Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
28
NAPOLI

XXV.A.28.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ

Triplici Tractatu abſolutæ,

Auctore

JOANNE GREYDANO,
L. A. M. Med. Doct.

Cum duplici Indice.

BIBLIOTECA NAZIONALE

FRANEQUERÆ,
Sumptibus, JOHANNIS ARCERII, Bibliopolæ, 1660

Digitized by Google

Nobiliſsimis, Ampliſsimis ac Præpotentibus Viris, D. D. Illuſtrium Friſiæ Ordinum

DEPUTATIS

NOVEM-VIRIS.

D. DOMINICO ab AYLVA.
D. CAROLO à ROORDA.
D. ONNIÆ à GROUSTINS.
D. ELCONI à GLINSTRA.
D. DANIELI de BLOCQ à SCHELTINGA.
D. JACOBO BOURITIO.
D. ALLARDO à BURUM.
D. EWOLDO STEENSMA.
D. FREDERICO ab INTHIEMA.

Eorumque Fideliſſimo à Secretis,

D. AHASVERO à VIERSSEN.

Digitized by Google

NEC NON.

Ampliſſimis Spectatiſſimis Viris D. D. Magiſtris Rationum.

D. AULO ab HAERSMA,
D. IDZARDO GEROLSMA,
D. GERARDO ADIO,
D. WILHELMO UMA,

Eorumque Secretario Digniſſimo,

D. ISBRANDO à VIERSSEN.

Ampliſſimi **Domini!**

Viator in ſtadio decurrens ad præfixũ ſibi terminum non pertingit, qui aut planè non progreditur, ſed ſecurus quieſcit; aut licet provehatur, extra viam tamen, per ambages ac præ-

præcipitia fertur, aut debito viatico, ac convenientibus mediis, ad abſolvendum iter requiſitis, deſtituitur. Ita haut abſimili modo, quicunque nos in Philoſophico ſtadio & Gymnaſterio verſamur, optato fine, qui eſt θεωρία τῶν ὄντων καὶ πρᾶξις τῶν δεόντων, quibus aliquâ ex parte imaginem Dei, lapſu Adami penè abolitam, quoad ejus naturaliter fieri poterit, reſtaurare annitimur, per ſæpe fruſtamur. Etenim aut non currimus, nec ad eruditionis culmen ſeriò adſpiramus; aut ſi omninò currere certò nobis propoſitum ſit, à legitimo tramite deflectimus, & in devia abripimur, quibus quô longius proceſſerimus, eô magis à ſcopo aberramus; quô celerius feſtinaverimus, eô citius labyrintho circumducimur inexplicabili. Aut denique licet ſeria nobis ac deſtinata ad rerum cogni-

tionem perveniendi, ſit voluntas, ac etiamnum genuinæ inſiſtamus viæ, prægrandis ſeſe offert mediorum, experimentorum, aliorumque ad iter hoc conficiendũ requiſitorum, aut penuria, aut difficultas, aut ignorantia: Quibus amovendis omninò conſeneſcimus, ac fato cedimus, ſitque ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Et licet quam multi, quorum de meliori luto pectus efformatum, herculeo verè auſu, iſti jam inveteratæ querelæ medelam afferre conati ſint, nondum tamen ſuperata omnis difficultas; adeo ut penè inſuperabilis ea videatur. Inter omnia verò media, quibus in hâc caligine adſpiramus ad accuratam omnium quaſi rerum notitiam, & τὸ πάντα εἰδέναι, (quo οὐδὲν γλυκύτερον; & quo ſublato tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ, & rerum agendarum, *Cicer. 1. fin.* ac

cui

cui ſi quis ſæpius vacare voluerit, ac ſapientiam amare didicerit, jucundam valde reddet vitam, & maximum in tribulatione præſtabit ſolatium:) una eſt ſcientia, quæ quòd ſit ſapientia, ſapientes, hoc eſt, omnium rerum peritos, ſui cultores reddat. Hæc eſt, quæ brevitate ſuccinctâ, ac claritate evidenti cognoſcendum exhibet, quidquid aut eſt, aut dici cogitarive poſſit; quidquid eſſe reale, aut rationis habet; Illa autem qui cognoſcit, omnia tenet. Hæc eſt, quæ ſui poſſeſſorem adeò reddit intemeratum ac rerum omnium gnarum, ut nihil ipſi occurrere, nihil proponi, aut objici poſſit, de quo dicere neceſſe habeat, ſe nihil de eo ſcire; Quidquid enim in cogitationem, ſermonem aut diſquiſitionem venit, eſt Deus, vel creatura, Ens, vel ejus affectio & attribu-

tum, aliquid, vel nihil; At de iis omnibus convenienter cogitare ac diſſerere ſuos ipſa facit cultores. Si quippe Ens fuerit, nôrunt ipſi ſuam conſtitutionem, eſſentiam, unitatem, veritatem, diſtinctionem, utilitatem &c. convenire; Et ſi non ens, ipſum illud dici & cogitari, non autem dari, opponi quidem alicui, non autem habere attributa realia, ilicò agnoſcunt; Quo ipſo hujus ſcientiæ peritus, reliquarum diſciplinarum inferiorum gnaros, longis antecellit paraſangis; nulla quippe eſt ſcientiarum, quæ omnium pollicetur, aut præſtare poteſt cognitionem: Ex. gr. teneat quis Geometriam, quæratur de Deo, Angelis, purgatorio, quid proferet, quâ Geometra: At hujus ſcientiæ epopta, de his & aliis omnibus aliquid proferre poteſt. Hæc ſcientia, ut generalis eſt, ita nihil

à ſua

à ſuâ excludit tractatione, adeoque quam maximè brevitati Studiorum conſulit; Prout enim ideo traditur Scientia hominis in communi, ut quod prolixum nimis in ſingulorum hominum cognitione repetendum eſſet, ſimul ac ſemel tradatur; ac ideo de Animalibus in genere præcipiunt naturalium rerum myſtæ, ut unico quaſi obtuitu teneatur, quod de ſingulis ſpeciebus cognoſcere & operoſum & tædioſum nimis foret; Ita & univerſalis Entis tradenda eſt ſcientia, quæ eô magis brevitati iſti conſulit, quô magis univerſalis eſt, & ad omnia pertinet. Hæc ea eſt, quæ ideo maximæ inter reliquas neceſſitatis ac utilitatis eſt, quod omnes, aut ſaltem maximè deformes naturæ humanæ defectus, ad priſtinam integritatem reducat. Non aliâ ratione, quam re-

liquis medicamentis, ad priſtinam ſanitatem corpori reſtituendam comparatis, illud merito præfertur, quod aut inſtar panaceæ omnes, aut præcipuos, aut plurimos morbos ſanare aptum eſt. At ubi reliquæ diſciplinæ particularem quemdam defectum tollere nituntur, hæc ſola omnem univerſim aufert; Et reliquis modo has, modò illas ſuccreſcentes infirmitates eradicantibus, ſola hæc illam, quæ reliquarum omnium caput & ſcaturigo eſt, radicitus evellit. Omnium quippe præſtat notitiam; non quidem ſingularium, ſed omnium in generaliſſimis ſuis attributis; Non quidem omnium ſecundum propriiſſimas ipſorum rationes, ſed generaliſſimas, ſub quibus hæ comprehenduntur; Non omnium quidem in ſeſe, ſed in principiis & cauſis ſuis; Non omnium pro-

ximè & actu; ſed remotè, & quaſi potentiâ, factâ accuratiori ad ſingula attentione in actum deducendâ: Adeòque prout ſemen virtute eſt tota arbor, ita hæc ſcientia, tota Philoſophia, omniſque ſtudio humano acquiſita notitia. Quare & γνωστικωτάτη, καθολικὴ, imò & κατ᾽ ἐξοχὴν Philoſophia & ſapientia meritò audit. Hujus igitur Inſtitutiones tradere, apprimè neceſſarium videbitur; Prout hujus ſtudium maximè eſt utile; Quamobrem eas breviter adornare, inque Diſcipulorũ uſum convertere conſtitui; idque non tantum vivâ voce, ſed & hacce διατυπώσει, pro ratione gratiæ Divinæ, præſtare tentavi: Quam dum publicæ luci, publicis in Academiâ veſtrâ Diſputationibus, in commodum Studioſorum, qui meis curis ſe committunt, expono, non potui huncce

fru-

fructum, utpote veſtrâ fœcundatione partum, Vobis (Illuſtriſſ. ac Præp. Domini,) animo grato, ac ſubmiſſo, non offerre; Fretus quam maximè, veſtro in veros veritatis cultores favore, ac in me ſingulari benevolentia. Haſce igitur Inſtitutiones ad V. D. aram ſuſpendo, easque ut benignè accipiatis, & à malignis livoris morſibus tutam vindicetis, ſupplex rogo.

Illuſtriſſ. Dominationibus V.

Devotiſſimus

Joannes Greydanus
Franekeranus.

PRÆFATIO

A D

VIROS

Reverendos ac Conſultiſſimos.

D. Regnerum Hachtingium,
D. Johannem Janſſonium,
D. Bartholdum Wiarda,
Verbi Divini Miniſtros.

D. Douvonem Mellinga,
I.V. Doct. & Advoc.

Viri Reverend. ac Conſul.

M*Irabimini forſan, neque immeritò, Metaphyſicam à me, non tantum privatis, ſed & publicis inſtitutionibus adornari, ut quem noviſtis animo maximè ab hoc ſtudio, cum ſub* Clariſſ. Præ-

ceptore

ceptore Johanne Phocylide *p.m. Philoſo-phiæ ſimul fundamenta jaceremus, maximè fuiſſe alieno; Sed memores utique eſtis, quam ſint* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, *quodque, quæ tam rei iniquâ æſtimatione, quam cæco præjudiciorum aſſenſu, immaturâ judicii trutinâ ſunt approbata, ea demum generoſiorum canum more* ῥινηλατοῦντες, *ac vetera veſtigia ſagaci odoratu repetentes, ſæpe numero rejiciamus, melius, abjecto omnis præjudicii velamine, id quod rei eſt, pondetantes. Ita quippe facere decet ingenuum, ita judicare æquum, ita intellectum ſuum rebus conformare* Philoſo-*phum, ut nihil admittat, tanquam verum quod non prius clarè ac diſtinctè percipiat; utque ſi quod receptum ſit, vel pravâ infantiæ & adoleſcentiæ inſtitutione, vel cæco præceptorum amore, vel & ipſorum ſenſuum idolis, genuino judicandi modo non conveniens, idem accuratiori examine ſuſpenſum, denuò æſtimetur, factâque æſtimatione, ſecundum diſtinctam ac evidentem perceptionem judicetur, factumque judicium, tanquam ſolum congruum retineatur. Quem morem in* ἐκλεκτικοῖς *Philoſophis à* Lipſio *laudatum, ubique me ſecutum noviſtis, ſæpius vobiſcum præjudica-*

tas

tas ſententias legitimâ perceptione ac æſtimatione prævià expendentem. Eundemque in Metaphyſicæ causâ me obſervâſſe profiteor. Fateor equidem, me maximo odio ipſam proſecutum, maximâque clade ipſam afficere, & ſi dîs placeret, planè è medio tollere conatum fuiſſe: Verum exuto præjudiciorum velo, rejectoque Autorum amore vel odio, ipsâque re tantummodo ſpectatâ, hanc longe aliter ſe habere comperi. Nunc igitur pro turpi exilio glorioſam ipſi molior introductionem, pro abjectâ vilitate ſummam præſtantiam, pro vili ſervitio faſtuoſum dominium, pro ſervili reſte, imperioſa ſceptra, pro infami contemtu, præclaras laudes, pro inani jacturâ, fructuoſiſſimam occupationem, omnibuſque cujuscunque ordinis eruditis, ſummopere neceſſariam, ipſi ſubeſſe exiſtimo; Immenſum igitur mutatus ab illo Hectore, qui olim vobiſcum fui. Rationem quæritis? fuit omnimoda ipſius Metaphyſicæ utilitas, quam dum Lectionibus ac Diſputationibus publicis habendis quotidie vacabam, ubique experiebar. Non enim ad ſubtilitates Diſputationum, ſed ad utilitates inſignes ipſam comparatam eſſe, in ipsâ tractatione, nî fallor ſatis enodavi. Veſtrum igitur erit V. R. &c.

R. & C. factum hoc excuſare, & quod ipsâ tractatione uſus pullulare poterit, rimari. Quo facto, me præter rationem animi conſilium non mutâſſe, diû clarius cognoſcetis. Cæterum faxit Deus Opt. max. ut quod hîc probè cœptum eſt, ulteriori ἀκριβείᾳ poſtmodum abſolvi poſſit. Valete V. R. & C. & Commilitonem olim veſtrum amare pergite,

Joannem Greydanum.

INDEX
Tractat. Sect. & Cap.

Tractatus. 1 *de Præcognitis.* 1
Introitus. 1
Sectio 1. *de Naturâ Philoſophiæ* 2
Sectio 2. *de Naturâ Metaphyſicæ.* 25
Sectio 3. *de Prærequiſitis.* 43

Cap. 1. *De Ente.* *ibid.*
2. *De Medio inter Ens & nihil in genere.* 48
3. *De Modis Entium.* 53
4. *De Relatione.* 63
5. *De Denominatione externâ.* 74
6. *De Ente rationis.* 78
7. *De Ente in potentiâ.* 89
8. *De Privatione.* 92
9. *De Principiis.* 98
10. *De Affectionibus.* 106

** Tra-

INDEX.

Tractatus II.

Cap. 1. *De Conſtitutione & Eſſentiâ.* 117
2. *De Vnitate.* 121
3. *De Singularitate & Vniverſalitate.* 137
4. *De Simplicitate & Vnione.* 152
5. *De Veritate.* 162
6. *De Neceſſitate & Contingentia.* 169
7. *De Statu, ſeu Mutabilitate & Immutabilitate.* 179
8. *De Certitudine & Evidentia* 182
9. *De Bonitate ſeu perfectione.* 184
10. *De infinitate & finitate.* 194
11. *De Abſoluto & Comparato.* 207
12. *De Diſtinctione & Exiſtentiâ.* 213
13. *De ubietate.* 224
14. *De Duratione.* 227
15. *De Actu & Potentiâ.* 230
16. *De Vtilitate, ſeu bonitate externa.* 243

17.

17. *De Dependente & Independente.* 247
18. *De Principio & Principiato.* 252
19. *De Causâ & Cauſato in genere.* 257
20. *De Efficiente & Effectu.* 272
21. *De Fine & Medio.* 286
22. *De Materiâ & formâ & Compoſito ex illis.* 301
23. *De Subjecto & Accidente.* 316
24. *De Toto & Partibus.* 331
25. *De Completo & Incompleto.* 345
26. *De Subjecto & Adjuncto.* 348
27. *De Subjecto & Objecto.* 352
28. *De Signo & Signato.* 355
26. *De Menſurâ & Menſurato.* 359
30. *De Antiquo, novo; Præterito, præſente & futuro.* 368
31. *De Præſente, Abſente, Proximo & Remoto.* 370
32. *De Convenientia & Diſconvenientia.* 371
33. *De Oppoſitione.* 379
34. *De Ordine.* 384
Tractatus III. 389
Exitus. 429

NOMINA RESPONDENTIUM.

ANNIUS ab ECHTEN, Friſius.

FRANCISCUS à BEMEN, Harling. Friſius.

ATZO NICOLAIDES, Franequeranus.

ELIAS SOBLE, Leov. Friſius.

PHILIPPUS SCHEFFER, Doccom. Friſius.

PETRUS OVERNEI, Franeq. Friſius.

PAULUS FABER, Zutphaniâ Geldrus.

VALERIUS WINSEMIUS, Franequeranus.

WILHELMUS WACHTENDORP, Doeſburgo Gelrus.

INSTI-

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM,

Tractatus Primus.

INTROITUS.

I.

INſtitutiones Metaphyſicas *triplici abſolvam* tractatu, *Proœmiali*, *Subjectivo* & *Conſequente*; Quorum *primus Præcognita*; *ſecundus* Metaphyſicæ *ſubjectum*, eôque pertinentia; *poſtremus*, proxima exinde *conſequentia* exhibet: Adeoque inter hos *primus* eſt quaſi *radix*, *ſecundus truncus*, *tertius fructus*.

2. Tractatus *Proœmialis tribus* conſtabit *ſectionibus*; Quarum *prima* Naturam *Philoſophiæ* in genere: *ſecunda* Naturam *Metaphyſicæ* in ſpecie: *tertia prærequiſita* ad notitiam *Entis* in genere explicat. Sit igitur

SECTIO. I.

DE

Naturâ Philoſophiæ.

1. LIcet ſapientes antiquitus, hodie rectius Phlioſophi dicantur, *Cognitio* tamen *humana*, cujus natura nunc explicanda, *rectius* Σοφία & *Sapientia* appellatur, *quam Philoſophia*; Quod tamen nomen ob vulgarem uſum retinebitur.

2. Non enim Humana cognitio hic *conſideranda* eſt, *ut habitus* mentis, neque ut *Syſtema*, libro & codice comprehenſum; (nam *priori* modo jam ab alio aliquâtenus *poſſidetur*: *poſteriori* poſſeſſæ quaſi *pictura*, & *utroque* multis numeris *imperfecta* eſt:) ſed in *ideâ*, præſcindendo ab actuali inhæſione, quâtenus illam, ut finem, propoſitam habemus, quâ ratione debitæ perfectionis particeps eſt.

3. Anguſtiores & latiores *vocis* Philoſophiæ *acceptiones*, ex habituali ejus inhæſione ortæ, majorem vel minorem ejus poſſeſſionem videntur indicare; niſi & genuinæ conditiones ignorentur, quæ ad eam pertinentibus diſciplinis convenire debent. *Adæquata* autem ejus *acceptio*, *ex fine*, *ſubjecto*, *objecto*, & *effectis* ejusdem *deſumenda* eſt.

4. Eſt

4. Eſt autem *Philoſophia*, *cognitio eorum*, *quibus mens perficitur ex lumine naturæ.* *Cognitio* dicitur, vel & ſcientia, quatenus hæc latè ſumta, *fidei* & *opinioni opponitur*. Ad faciliorem hujus captum, brevis habituum delineatio ſubjicienda.

5. *Habitus* itaque, qui *ordinarius* eſt, cujusque potentia naturaliter ineſt, (non extraordinarius, qui ſimul cum potentiâ eminentiori virtute confertur:) pro duplici animæ potentiâ, vel *intellectus* eſt, vel *voluntatis*: *Illius* generis eſt *Philoſophia*, non hujus, utpote per ſe hominem nec bonum, nec malum faciens; non enim aut virtus aut vitium eſt.

6. *Is* igitur *cognitio* quædam eſt; *oriturque* 1. vel ex nudo *intuitu* terminorum & conceptuum; idque vel ſolius *apprehenſionis* gratiâ, dicíturque *Intelligentia*, vel *ad* πρᾶξιν & *operationem* ordinatur, & *obſervantia* ſive Συντήρησις appellari commodè poteſt: vel 2. *Teſtimonio* & authoritate fundamenti loco utitur, & *fidei* nomine venit: vel 3. *Ratione* & diſcurſu comparatur; atque adeò fit *Scientia*, ſi *ex certis* & indubitatiś *principiis* ea notitia *debitè* oriatur: At *Opinio*, ſi rationes *pendulum* ſaltem efficere valeant *aſſenſum*.

7. *Philoſophia* igitur, cum tota *demonſtrativa* ſit, neque ad fidem neque ad opinionem revocari poterit; ab illius enim

parte inevidentia, ab hujus autem dubitatio & incertitudo obeſt.

8. *Intelligentia* quidem & *Obſervantia* primorum & indemonſtrabilium *principiorum habitus*, *Philoſophiæ* introitum, utpote ejus *principia* præparant, eam tamen non abſolvunt. Negligi tamen prorſus nequeunt; ut quæ ad Sapientiam quam maximè requiruntur.

9. Scientiæ autem hujus *tres* ſummæ *ſpecies* ſunt. 1. *Scientia ſtrictè* & *κατ' ἐξοχὴν dicta.* 2. *Prudentia.* 3. *Ars.* *Prima* eſt *Entis* alicujus, adeoque ſubjecti neceſſarii, ſolius *ſpeculationis gratiâ cognitio*; adeoque *ſubjecto* potiſſimum & *fine* à poſterioribus *diſtinguitur.* *Secunda* eſt cognitio eorum, quæ hominem bonum vel malum reddunt, per conſultationem *ad electionem vel fugam inſtituta.* *Tertia* eſt *habitus* cum rectâ ratione *effectivus*; ſive cognitio eorum, quibus intellectus inſtrumenta, ad operis alicujus effectionem dirigere & applicare poteſt.

10. Ex harum *ſpeciebus*, tanquam partibus, colliguntur *illæ*, quæ ad mentis perfectionem, ejusque reſtaurationem à corruptelis lapſus Adamitici, quoad ejus naturaliter fieri poteſt, requiruntur. *Quarum collectio* dicitur *Sapientia*, & Philophia illa modo *definita*. *Quæ* proinde meritò *cognitio* dicitur, cum omnes ejus partes cognitiones eſſe reperiantur.

11. *Differentia* autem *Philoſophiæ*, reliquis verbis definitionis contenta, *abſolvitur* 1. *Subjecto tractationis.* 2. *Subjecto inhæſionis & informationis.* 3. *Cauſâ.*

12. *Subjectum tractationis* ſuo *materiali* conſtat & *formali*. *Materiale* eſt *id, quod tractatur* & explicatur, quod hic ſimpliciter & abſolutè EORUM nomine deſignatur. Quod ſi cui nimis remotè nec ſatis determinatè fieri videatur, ei dicam, vix propius, magiſque determinatum citra copulam dari poſſe. Quod autem determinationi deëſſe videtur, id formali ſatis limitato completur. Sin à copulâ non abhorreas, loco *eorum* ſubſtituas Res divinas ac humanas: Eaſdem enim communiori illo modo dicendi, intelligendas volui.

13. *Res* autem *Divinæ* ſunt, *Deus*, *ejusque opera ordinaria* in Naturâ, ut pote quæ admirabilitate ſuâ, nos ad ſui contemplationem invitant: Dicunturque *aliter neceſſariæ*, quòd videlicet per arbitrium humanum non fiant, ipſive ſuum eſſe debeant. *Humanæ* verò res ſunt *opera hominis*, ab ejuſque arbitrio profecta, quæ ideò, quòd eſſe & non eſſe poſſint, *contingentia* appellantur. *Eorum* igitur, id eſt, *Dei*, *operumque divinorum ac humanorum* cognitio eſt Philoſophia

14. *Formale Subjectum*, eſt modus id

conſiderandi, Et in *tribus* conſiſtit; 1. *Fine, perficere.* 2. *Subjecto* inhæſionis, *mente.* 3. *Efficiente, lumine Naturæ.* Hæc tria Subjectum materiale, adeoque & ipſam Philoſophiam ita conſtituunt, ut nihil ad mentis perfectionem per naturalia media ipſi queat deëſſe; ac ita coarctant, ut quidquid ad illam perfectionem per ſe non requiratur, extra Philoſophiæ pomæria relegandum ſit.

15. *Subjectum inhæſionis & informationis* cui inhæret, ac quod perficit Philoſophia, eſt *Mens*, ſeu anima rationalis, potior hominis pars, quâ ſcilicet rationalis ac diſcurſivus eſt; Diſcurſus enim ac ratio omninò ad illam requiruntur. Hinc Brutis animantibus, utpote ratione deſtitutis, Philoſophia erit deneganda, & ſolum *proprium* ejus *ſubjectum* conſtituendum *Mens* humana, aut verò per denominationem, *homo.*

16. *Nec* tamen *eodem* prorſus *reſpectu* Subjectum inhæſionis & informationis eſt, ſed admodum diverſo: Dicitur namque *inhæſionis, quâtenus* Philoſophia, ut habitus adeoque & accidens, ipſi *inhæret*: At *informationis, quâtenus mens eâ informatur*, hoc eſt, perficitur, ac quaſi novâ formâ, vel priſtinâ ſanitate, lapſu Adami amiſsâ, donatur.

17. *Cauſa*, in definitione adducta, eſt *lumen*

lumen Naturæ, quâtenus gratiæ ac revelationi Divinæ contradiſtinguitur. Omnia igitur illa *complectitur*, quæ ordinario modo mentis informationem procreant ac adjuvant, adeoque univerſim omnes Philoſophiæ cauſas *Efficientes*.

18. *Cauſæ* enim *Philoſophiæ potiſſimùm externæ ſunt*; Nam *internæ*, materia nempe & forma, ut reliquis qualitatibus, ita *nec* Philoſophiæ *propriè* loquendo conveniunt. *Analogicè* tamen *materia* Philoſophiæ ſunt ejus *partes*, partiumque partes, quot ad ejus complementum requiruntur; Quemadmodum *forma*, illi reſpondens, earum partium *nexus* ac conveniens ordo & diſpoſitio eſt.

19. Sunt igitur Philoſophiæ *cauſæ*, vel *Efficientes*, vel *finales*. *Inter illas* una *prima* eſt, *Deus* Opt. Max. qui cum ſit ipſiſſima Sapientia, ejus quoque ratione hominem ad ſui imaginem condere voluit. Et ad ejus jam amiſſæ aliqualem reparationem, largâ ſuâ benedictione adjuvare. Opera igitur danda, ut ipſius timor, qui Sapientiæ initium à Sapientiſſimo mortalium deprædicatur, animis diſcentium inſtilletur, ejusque benedictio ſeriis ac ardentibus precibus imploretur.

20. *Reliquæ* Efficientes *ſecundæ*, & à Deo dependentes ſunt; Eæque vel *principales*, vel *minus principales*. *Illæ duæ*

ſunt, *Natura* & *Cura*.

21. *Natura* hîc dicuntur *potentiæ*, homini ab ipſo ortu *inditæ*, ſive illæ *primæ* fuerint, ſive *ortæ*, & à primis fluentes. *Primæ* iterum *duæ* ſunt; *Intellectus & voluntas*.

22. *Intellectus*, quâtenus *cogitationum* eſt *principium*, & actu meditatur, *principalis* Philoſophiæ dicitur *cauſa*; Quoniam omnis humana cognitio quædam de rebus eſt cogitatio. *Voluntas*, quâtenus *cogitationes* intellectus ad talia objecta, *determinat*, easque continuat aut abrumpit, *non minus*, quam ipſe intellectus, ad Philoſophiam *requiritur*. Intellectus enim, ex ſe indifferens, non magis de rebus Philoſophicis cogitat, quam de aliis quibuſcunque, niſi voluntas ipſum ad objecta determinet.

23. *Ortæ potentiæ*; Philoſophiæ quoque cauſæ principales, *tres* ſunt, *Apprehenſio*, *Iudicium & Memoria*. *Apprehenſio* eſt *potentia percipiendi*, quâ res objectas acie intellectûs debitè intuemur ac conſideramus; Pro cujus majori vel minori excellentiâ, facilior aut tardior ad rerum cognitionem patet aditus. Hac qui pollent, acuti ac perſpicaces ingenio, qui ſecus hebetes ac ſtupidi dicuntur.

24. *Iudicium* eſt *potentia æſtimandi* percepta, quâ debita rei attributa convenire, ac

ac indebita diſconvenire ſtatuimus. Hoc itaque perceptionem ſive apprehenſionem legitimam ſequi debet, non anteverteve: Differri tamen nequit, re jam benè perceptâ, ne in continuam fluctuationem ac dubitationem Philoſophia degeneret.

25. *Memoria* eſt *potentia retinendi* judicata, quâ ea promptè imprimimus, impreſſa retinemus, ac retentorum recordamur. Hæc ad omnem habitualem cognitionem tam neceſſaria eſt, ut per eam doctus ab indocto, peritus ab imperito diſcernatur.

26. Sequitur *Cura*, altera *principalis* cauſa, *quâ* naturam ejuſque potentias *promovemus ac adjuvamus*. *Quorſum pertinent* 1. *Attentio*. 2. *Exercitatio*. 3. *Ordo*.

27. *Attentio* eſt *rei* cognoſcendæ debita *conſideratio*; Debita autem hæc eſt, ſi ſatis acriter, ſatiſque diu circa unamquamque ſeorſim verſetur. Sine hac cogitare, eſt quaſi nihil cogitare; ſine hac non fit judicium; nec memoriæ quidquam imprimitur; adeoque quam maximè potentias ratione actuum perficit.

28. *Exercitatio* eſt frequens *actuum*, à potentiis fluentium, ut & attentionis *repetitio*. Hac igitur frequenter attendimus, percipimus, judicamus & memoriæ mandamus, ut ita repetitis iſtis actibus facilitatem, & quaſi habitum benè attendendi,

percipiendi, judicandi ac retinendi nobis acquiramus; Quod enim Natura incipit, id exercitatio perficit.

29. *Ordo* eſt, *partim* debita reliquarum *cauſarum ſucceſſio*; *partim earum* ad diverſa objecta, per debitam ſucceſſionem *applicatio*. *Duo* igitur Ordo *præſtat*, 1. *ut* ſupradictæ *cauſæ* ſecundæ inter ſe *connectantur*; nempe ut perceptionem ſequatur judicium, & hoc memoria, iiſque omnibus comites ſint Attentio & Exercitatio. 2. *Vt* dum per vices modò huic, modò illi objecto applicantur, illa *viciſſitudo* non temerè & fortuitò, ſed certâ quâdam *lege fiat*; adeò ut poſterius cognoſcatur, quod ab alterius notitiâ pendet.

30. Has *cauſas* omnes debitè *dirigere* & applicare, *non* videtur nudæ eſſe *naturæ*, *ſed* potius *artis* alicujus, hiſce omnibus certas normas ac *regulas præſcribentis*, ſecundum quas debitè inſtitui ac peragi debeant; ac ſimul ipſis rebus cognoſcendis ſeſe applicare docentis. Cujus Artis peritia, non minima eſt intellectus perfectio; adeoque nec illa extra Philoſophiam releganda videtur. Atque *hæc de cauſis principalibus*.

31. Sequuntur *minus principales*, quæ vel *impellendo*, vel *inſerviendo*, quod ſuum eſt, ad Philoſophiæ acquiſitionem *conferunt*. Inter *illas*; quædam ſunt *externa*, ex-

extra hominem conſtitutæ, quædam *interna*, in ipſo poſitæ. Inter *externas* occurrunt 1. *Res* ipſæ, quâtenus admirabiles ſunt. 2. *Homines*, tam *docti* & eruditione clari, quibus pares eſſe nitimur; quam *indocti* & obſcuri, quos ſuperare animus eſt.

32. *Interna radicalis* eſt *ignorantia*, ex quâ fluit eam detegens *admiratio*, quam comitatur *appetitus* ille naturalis cognoſcendi, ad attentionem, perceptionem, cæteraſque cauſas principales, tanquam media, ſuo deſiderio impellens. Sed harum nexum inter ſe, ac munus, quod præſtant, alibi latiùs expoſui.

33. *Inſervientes* cauſæ ſunt *inſtrumenta*, quæ vel *neceſſaria*, vel *arbitraria* ſunt. Et *neceſſaria* iterum vel ſunt *conjuncta* cum Philoſophiâ, vel *ſeparata*.

34. *Conjuncti* inſtrumenti munus, una *Philoſophiæ pars* alteri ſuggerit; ſive id fiat *per ſuggeſtionem modi* ac ordinis, quem Logica, Ars illa, theſ. 30. indigitata, præſcribit; ſive *per dependentiam materiæ* ac rerum, quomodo Metaphyſica reliquis omnibus, Matheſis Phyſicæ, Ethica Oeconomicæ & Politicæ inſervit.

35. Inter *ſeparata* inſtrumenta occurrunt 1. *Senſus*, quibus res ſeſe manifeſtant. 2. *Obſervatio*, ea quæ ſenſibus ſunt manifeſtata colligens, Græcis ἱστορίη dicta.

3. *Experientia*, obſervationes collectas ad uſum applicans. 4. *Inductio*, ex ſingularibus experientiis axiomata univerſalia colligens 5. *Diſcurſus* ſive *διάνοια*, ignotum ex notis univerſalibus deducens.

36. *Arbitraria* inſtrumenta ſunt, quæ ad bene eſſe ab arbitrio eliguntur; Cujus generis ſunt, *Præceptores*, *Libri*, *Academiæ*, *Scholæ* &c. Et hæc de efficientibus Philoſophiæ cauſis

37. Sequitur *finis*, qui *proximus* & adæquatus in definitione exprimitur, quòd ſit *mentis* humanæ ratione debiti objecti ac cauſæ conſimilis *perfectio*, quâ ipſi priſtina, quoad ejus fieri poterit, integritas, ac à defectibus, primorum parentum lapſu contractis, reſtauratio conciliatur. Hic tamen finis Deo, ejuſque gloriæ, tanquam omnium creaturarum fini ſupremo, ut & ipſi hominis bono ac ſaluti ſubordinatur: Et conſimiliter plurima Philoſophiæ effecta, tanquam ſui media ſibi ſuppoſita requirit.

38. *Effecta* autem illa vel *abſoluta* ſunt, vel *relata*: Quorum *illa per ſe* ad illam perfectionem pertinent: *Hæc* autem *uſum* Philoſophiæ iſtiusque perfectionis circa alia *oſtendunt*. *Ambo varia* ſunt; *priora* tamen *ad duo* quaſi capita reduci poſſunt, *Voluptatem* & *Libertatem*.

39. *Voluptas* Philoſophica, *non* illa *tantum* æſtimanda, quæ *ſenſuum* eorumque

eſt

eſt appetitus, ſive illa θυμικὴ, ſive ἐπιθυμικὴ fuerit, *ſed* potiſſimum mentis & *rationis*, quâ mens incomparabili dulcedine, & admirabili delectatione purâ ac conſtanti perfunditur, Vid. 10. *Eth. Nicom. cap.* 7.

40. *Hæc comites habet.* 1. *Puritatem.* 2. *Conſtantiam.* 3. *Sufficientiam.* *Puritas* Philoſophicæ voluptatis, eſt ejuſdem *cum* genuinâ *normâ*, tàm veritatis ejuſque modi, quam actionum voluntatis *convenientia*. *Conſtantia* eſt ejuſdem *convenientiæ immutabilitas.* *Sufficientia* verò eſt opulenta ac debita iſtius *voluptatis affluentia*, quâ nihil ipſi poſſit deeſſe, nihilque ſuperabundare, eorum quæ ad naturalem illam perfectionem requiri poſſunt. Hinc igitur veritas plurimorum Paradoxorũ Stoicorũ eluceſcit.

41. Cum his ſe[illegible]r omnes Philoſophiæ partes diffundit *voluptas*; adeoque vel *Contemplationis*, vel *Actionis*, vel *Effectionis* puritatem, conſtantiam ac ſufficientiam ſingulis convenientem inducit. Voluptas igitur *Contemplationis* eſt ſuaviſſima mentis lætitia, quâ poſt debitam admirationis ac ignorantiæ ablationem, ipſa variarum ac pulchrarum rerum clarâ ac diſtinctâ cognitione perfunditur. *Actionis* verò eſt conſimilis lætitia ac delectatio, orta ex facili & conſtanti actionum, ſecundum virtutem directarum, exercitio. *Effectionis* denique voluptas, oritur ex genuinâ

directione, & applicatione facili & non impeditâ, eorum actuum, quibus ipſa rerum cognitio comparatur. De his autem actibus vid. ſuprà inter cauſas.

42. Alterum *abſolutum* Philoſophiæ *effectum* eſt *Libertas*, ſoli Sapienti à Stoicis tributa, *quâ mens* humana maximè dicitur *ſui juris* eſſe, id eſt, quâ cuncta probando, bona tantum retinet; adeoque facit, non quod libet, ſed quod licet. Eſtque *hæc* ipſa quoque *triplex*, *Theoretica*, *Practica* & *Poëtica*.

43. *Theoretica* Libertas, in veritatis judicio conſiſtens, eſt *ſpontaneitas judicii*, quâ non niſi poſt legitimam perceptionem, per certam & infallibilem rationem, ſententiam aliquam recipimus. Veram igitur libertatem Philoſophicam non retinent illi, qui aut re nondum ſatis perceptâ, aut vî paſſionum, præjudiciorum, ac præconceptarum opinionum, aut denique ſolâ authoritate, ſententiæ alicui, licet alias veræ, ſubſcribunt. Hæc enim ſpontaneitati judicii fibulam imponunt.

44. *Practica* libertas eſt, *quâ* ſolam *exercere virtutem*, bonoſque mores, in quocunque ſtatu, tam publico, quam privato, maximè *libitum eſt*, quia tantum hoc licitum. Contrarium enim ei quidquam præſtare, libertatis non eſt inditium, ſed verum ſervitium, adeoque impotentis animi ſimulachrum.

45. *Poëtica* denique libertas eſt, *quâ* quiſque *per normam Artis* Logicæ inſtructus, liberâ *fruitur ratione*, adeo ut circa unumquodque cognoſcibile actus cognitioni debitos pro libitu applicando, verſari poſſit; eoſque actus ex ſuæ voluntatis beneplacito ad accuratam rerum cognitionem indagandam, inſtituere. *Et hæc de effectis* Philoſophiæ *abſolutis*: Sequuntur

46. *Relata*, quibus *utilitas* Philoſophiæ continetur. Ejus autem *utilitas* ad *quatuor* capita reduci poteſt. Uſum ſcilicet præbet 1. in cognitione *Dei*, 2. in cognitione *ſui* 3. in aliis *diſciplinis* & facultatibus. 4. in communis *Vitæ actionibus*.

47. Ad cognoſcendum *Deum* utilis eſt Philoſophia, non tantum quâtenus ipſa naturalem Dei ſcientiam, tanquam ſui partem, nobis ſuggerit, ſed potius, quòd ipſum Deum ejuſque attributa, triplici illâ viâ, vel cauſalitatis, vel eminentiæ, vel negationis, ex operibus ipſius ritè cognitis, deprehendamus; ſimulque exinde amorem ac reverentiam Dei in nobis accendamus ac augeamus.

48. *Seipſum* cognoſcit homo per Philoſophiam, non tantum ratione eſſentiæ & proprietatum, ſed etiam ratione ſuæ dignitatis præ reliquis fermè Creaturis, ut & vilitatis ratione Creatoris; ut dignoſcat, quid valeat, quid ad ſui conſervationem

ac

ac debitas actiones requiratur.

49. In aliis diſciplinis tantum præſtat Philoſophia uſum, ut non tantum omnes inſigniter promoveat, ſed & pleraſque ipſarum unicè ſtabiliat; Quod, ut pateat, in ſpecie breviter oſtendendum.

50. Cum igitur illæ diſciplinæ vel *liberales* ſint, ut Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Magia Naturalis, vel *mechanicæ* & quaſi ſerviles, quorſum omnes ſpectant artes, ad commodum hominis inſtitutæ; Nulla inter ipſas excogitari poterit, quæ Philoſophiæ inſignem non experiatur uſum.

51. Illum verò uſum neceſſarium in Theologicâ Diſciplinâ, tam ad διδασκαλίαν, quam ad ἔλεγχον, tam luculenter oſtendit *Keckermannus*, *lib.* 1. *Præcogn. Philoſoph. cap.* 4. ut ipſi aliquid ſuperaddere, ſoli facem accendere meritò videri poſſit. Ut mirandi, vel potius dolendi ſint illi, tam qui Paſtori futuro, nihil niſi quod ad Cathedram Eccleſiaſticam proximè pertinet, diſcendum aut utile eſſe, magno ſuo damno, ſive ex odio, ſive ex ignorantiâ, autores ſunt; quam qui Philoſophiam Theologiæ contrariari ac repugnare clamitant.

52. *Iuriſprudentiæ*, quâtenus diſciplina eſt, utilis eſt Philoſophia, non tantum *ratione Logicæ*, communis omnium facul-
tatum

tatum inſtrumenti; ſed & ratione 1. *Metaphyſicæ*, quatenus hæc principia & Axiomata generalia tradit, ex quibus non ſolum contemplativæ, ſed & practicæ concluſiones ſpeciales ſunt educendæ. 2. *Phyſicæ*, quâtenus juris naturalis ſubjectum, objectum & fundamentum ex rerum naturalium cognitione exoritur. Hoc autem jus naturale omnis æquitatis & juris eſt fundamentum; *Quæ enim rerum naturâ prohibentur*, *nullâ lege confirmata ſunt*, *leg.* 188. §. 1. *D. de Reg. Iuris.* 3. *Matheſeos*, quâtenus juſtitia tam commutativa, quam diſtributiva, proportione quâdam utitur, cujus naturam explicare puræ eſt Matheſeos. 4. *Ethicæ*, *Oeconomicæ* & *Politicæ*, utpote quæ ſecundum jus naturale bonum ac juſtum à contrariis ſeparant.

53. *Medicinæ* tam utilis, imò neceſſaria eſt Phyſica, ut nihil in ipſa ſolidè cognoſci, aut præſtari poſſit, quod ex rerum Naturalium cognitione non deducatur. Quamobrem & nonnulli eam Phyſicæ ſubalternatam eſſe crediderunt; Quod utut ratione principiorum verum ſit, ſubjecti tamen & finis ratione fallit. Eadem quoque neceſſitas eſt Logicæ & Metaphyſicæ, illius ut inſtrumenti, hujus ut fundamenti generalis. Conſimiliter ipſi utilis eſt Matheſis, quâtenus ſine hac ne quidem conſiſtit Phyſica. Nolim tamen conſimilem

lem utilitatem Aſtrologiæ judiciariæ ad Medicinam eſſe exiſtimes. Nimis enim remota, & maximè fallacia illa venditat ſigna, ubi Medici propinquiora & certiora domi habent.

54. *Magia Naturalis*, quorſum & Chymiam refero, occultiores corporum Naturalium virtutes, à Phyſicâ ſuggeſtas, artificio quodam detegens ac applicans, non niſi Phyſices ſpecialis fructus eſt; eam igitur, ut radicem & arborem ſuam, requirit & præſupponit.

55. *Mechanicis Artibus* quoque non mediocre confert Philoſophia, licet ipſi Artifices id rarò advertant. Tota Architectura in varias ſubordinatas Artes diſperſa, non niſi Geometriæ fructus eſt, quemadmodum Statica, Nautica, &c. Ita Venatoriæ omnes Phyſicæ ope utuntur; prout & Agricultura, Pictoria, ac ſtatuaria: Idem in reliquis experiri non eſt difficile.

56. Denique in *communibus Vitæ actionibus* utilitatem quoque ſuam præſtat Philoſophia, quatenus ipſa nobis præſcribit regulas & leges agendi, operandi, vivendi, prout communes in naturâ notiones, ut menſuræ & regulæ aſſumi poſſunt, ad ea menſuranda ac regulanda, quæ ab homine produci debent; Et viciſſim, ut ex iis facta, mores & ſtudia hominum exigamus ac æſtimemus, videndo an illa his re-

reſpondeant & conſentiant, an verò ab iis deflectant & diſſentiant. Conſimiliter dum Philoſophia rerum perfectiones ac dignitates ponderat, ac ſuo pretio æſtimat, multum facit ad deliberationes & conſultationes rectè inſtituendas, docens, quid ſit eligendum, quid fugiendum, quid laudandum, quid vituperandum. Et quantum confert ad vitæ ſuſtentationem, uxoris electionem, Prolis procreationem, alimentorum ac poſſeſſionum comparationem? &c.

57. Et cum tam neceſſarium polliceatur Philoſophia finem, quis de uſu ejus omnigeno dubius eſſe poterit? cum nihil debitè ab homine fieri poſſe certum ſit, quod mentis quandam perfectionem non ſapiat. Et *hæc de Definitione* & eſſentiâ Philoſophiæ, *ſequitur* ipſius *in partes* ſuas *diſtributio.*

58. *Partes* autem Philoſophiæ vel *generales* ſunt, vel *ſpeciales*: *Illæ* ſunt, quæ *ad omne* cognoſcibile ſe extendunt: *Hæ* verò quæ *certam* aliquam *claſſem* certi ac determinati finis gratiâ conſiderant. *Generales* partes *duæ* ſunt, *Metaphyſica & Logica*; Quarum *illa* in genere omne *Ens*, quoad attributa communia ſuggerit: Hæc verò *modum* illum cognoſcendi, ac intellectum ad rerum cognitionem dirigendi, cujus ſuprà facta eſt mentio, tradit.

59.

59. *Speciales* partes vel *intellectum perficiunt*, circa Entium cognitionem in ſpecie, adeoque ſunt *Scientiæ*; vel *Voluntatem*, circa ea, quæ homini bona vel mala ſunt, *dirigunt*, unde *Prudentiæ* appellantur.

60. *Scientiæ* autem illæ *duplices* ſunt, pro duplici genere ſubſtantiæ, ſcilicet vel *Mentium* vel *Corporum*. Atque *illæ* quidem vel *in genere* illa ſubjecta exhibent, vel *ſecundum ſpecies*. *Mentium* Scientia *in genere Pneumatica* vel *Pneumatologia*, *Corporum* verò *Somatologia* appellari commodè poteſt.

61. In ſpecie autem Mentium ſcientias ſeu Pneumatologias ſpeciales alii tres faciunt, Theologiam Naturalem, Angelographiam, & Pſychologiam; alii verò illas ad Metaphyſicam revocant: Sed ſicut hi inſigniter confuſam farraginem Scientiarum generalium & ſpecialium nobis offerunt; ita & illi formale Philoſophiæ ſubjectum, ex fine, ſubjecto ac cauſa junctim conſtitutum, violant, dum Angelos, quorum nec eſſentia, nec exiſtentia naturali rationis lumine innoteſcit, ad Philoſophiæ ambitum revocant. Duæ igitur, videlicet Theologia Naturalis & Pſychologia ſufficere videntur.

62. Quæ verò *Scientiæ corpus in ſpecie*, id eſt, ſub certâ aliquâ formâ *conſiderant*, vel *Phyſicæ* ſunt vel *Mathematicæ*; *illæ* ipſum

cum

cum eſſentiali formâ & *naturâ* conſiderant; *Hæ* verò *cum* Accidentali ſive *menſura*. *Phyſicæ* porro ſcientiæ, alibi à nobis enumeratæ, prout *variæ* ſunt, pro varietate corporum Naturalium, *ad unam* tamen totalem tanquam partes, nec præter rationem *reducuntur*.

63. *Mathematicæ* autem Scientiæ, vel præciſe ſolam illam menſuram conſiderant; quare & *puræ* ſive abſtractæ dicuntur; vel illam ipſam ad ſubjectum ſuum applicant, ac cum eo ipſam attendunt, unde *mixtæ*, ſive concretæ appellantur. Quia autem illa *menſura* duplex eſt *Diſcreta* ſive numerus, & *continua*, ſive menſura magnitudinis, *duæ* quoque puræ erunt *ſcientiæ Mathematicæ*, *Arithmetica*, quæ numerum, & *Geometria*, anguſtiori voce, quam par eſt appellata, quæ omne menſurabile continuum tradit.

64. *Miſtæ* autem vel *ad* ipſum *Corpus* referunt ſuam menſuram; Qualis eſt *Coſmographia*, *cujus partes* principaliores ſunt, *Aſtronomia* & *Geographia*. (*Aſtrologiam* judiciariam, conjecturâ potius, quam ratione ſuffultam, nec ad perfectionem mentis requiſitam, merito *omitto*:) Vel *ad Qualitatem*, affectionemve *Corporis* illam adhibent; qualis eſt *Optica*, circa lucem, lumen & Colores, tamquam objecta per ſe viſibilia, prout certâ menſurâ fiunt, propagan-

pagantur ac intereunt, occupata. Cui vulgò adjungitur *Muſica*, circa ſonum harmonicum, i. e. legitimâ intenſione & extenſione, ſive duratione conſtantem, verſans: ſed hæc potius Mathematicæ & *Philoſophiæ fructus*, quam ejus pars æſtimanda: Aures quidem demulcet ac animos, ſed mentem nihilo perfectiorem reddit, magiſque auditoris, quam authoris & poſſidentis gratiâ inſtituitur; Quod in reliquis partibus Philoſophiæ omnibus abſonum.

65. *Prudentiæ*, regulam *Vitæ*, tam *communis*, ut *in Ethicâ*, quam *ſpecialis*, ſive *Privatæ*, ut *in Oeconomicâ*, ſive *Publicæ*, ut in *Politica*, tradentes, quoniam ex lumine Naturæ, ac innato quaſi diſcrimine honeſti & turpis, ad mentis perfectionem, ad quam non minus πρᾶξις τῶν δεόντων, quam θεωρία τῶν ὄντων requiritur, adſpirant, quin *Philoſophiæ partes* ſint, dubitari non poteſt. Attamen quoniam lapſu Adami valde obnubilatum, imò ferè extinctum eſt, iſtud interioris conſcientiæ, ſive legis naturalis cordibus inſcriptæ, lumen, ejusque rudera ſaltem circa externos Virtutum actus aliquâtenus emicent, nunquam ipſæ ex purâ naturâ perfectionem ac finem, qui eſt hominis ſummum bonum adipiſci poſſunt. Quare ad aliud principium revocandæ videntur, ubi adæquata iſtius regulæ menſura

ſura, forma, finis ac perfectio proponuntur; Scilicet ad Obſervantiam, Theologiæ revelatæ poſteriorem partem. Non ſecus ac Botanicam & Phyſiologiam corporis humani Medicinæ ultrò, licet prodigâ nimis liberalitate concedunt, nonnulli ex Philoſophis.

66. Atque *hiſce partibus* earumque membris *Philoſophiæ Corpus abſolvitur*: *Ad hoc* autem complendum, certus quidam inter ipſas *ordo* requiritur, *qui* potiſſimum hîc *Doctrinæ* & cognitionis erit. Ordo enim *inventionis ex Hiſtoriâ* Philoſophicâ *petendus*, curioſitatem magis, quam hujus loci utilitatem ſapit. *Et fortean* dici poſſet, eas omnes partes *origine ſimul* fuiſſe; Id ſanè in Adamo in ſtatu integritatis collocato obtinuiſſe videtur; Et licet detrimentum ſatis inſigne lapſu Adami paſſæ ſint, aliquid tamen ex ſingulis, licet longè imperfectiori modo, in ipſo relictum fuiſſe, (quamvis nec hoc in cæteris obtingat:) non videtur involvere abſurditatem quandam. Sed de his alibi. *Ordine* autem *dignitatis*, ſi hic *ex ſubjecto* deſumendus ſit, *Speciales præ Generalibus*, *Scientiæ præ Prudentiis*, *Pneumaticæ præ Somatologiæ partibus*, *Phyſicæ præ Mathematicis* Scientiis, primas obtinent. Licet *ratione finis* & *evidentiæ* in quibuſdam *aliter* ſe res habeat.

67.

67. *Ordo* autem *Doctrinæ*, vel eſt *in* partibus *tradendis*, vel ipſis *addiſcendis*; Et in *diſcendis* quidem, requiritur *proceſſus à Generalibus ad ſpeciales* partes; Quare omnium *prima* eſt Ars *Logica*, generalem modum cognoſcendi ſuppeditans; *cui conjungatur*, aut immediatè ſuccedat *Metaphyſica*; Neutiquam enim hæ duæ, quarum una ſine alterâ ne conſtat quidem, ſejungi debent. In *ſpecialibus* opera danda, ut *ſimul cum ſcientiis* addiſcantur *Prudentiæ*; ne aliàs dum ſcientiâ ſumus tamquam Angeli alati, vitâ reddamur ſerpentes, humi repentes. Inter Scientias autem *Somatologia antecedat Pneumaticam. Mathematica Phyſicam*; *Pſychologia Theologiam Naturalem*, ut ita in Deo, Ente ſingulariſſimo, noſtræ perfectionis, ipſius reſpectu ſatis imperfectæ, quæramus complementum.

68. In *tradendis* verò partibus obſervetur ordo, huic priori quoad ejus fieri poteſt convenientiſſimus; Quare Logicæ ſubjungatur Metaphyſica; & huic omnes ſcientiæ ſpeciales, adeo ut prudentiis ultimus reſervetur locus. Sin cui vix placeat iſte ordo, ei dicam, cum Clariſſ. *Kypero* p. m. perinde fermè eſſe, ubi aliquid tractetur, modo benè tractetur. Solent quippe nec omnes omnium partium tractationem ſuſcipere, nec omnes omnium partium no-

partium notitiam quærere: ſed pro libitu, aut majoris commoditatis gratiâ, hanc vel illam partem à reliquis avocare; Prout in-præſentiarum Metaphyſicas Inſtitutiones ſeparatim ſubornare animus fert.

SECTIO. II.

DE

Naturâ Metaphyſica.

1. INter ſcientiæ cujuſcunque *præcognita* illa potiſſimum conſideranda, quæ *ad naturam* & conſtitutionem ipſius *pertinent*; Quare operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi ante ipſius Entis ſcientiam, aliquid de ipsâ ſcientiâ in limine præmoneam. Id autem, *poſt nominis conſiderationem*, commodè *ad* hæc *tria* capita revocari poteſt, ut inquiratur 1. in ejus *exiſtentiam* 2. In *eſſentiam* 3. in *diviſionem*.

2. *Variis* autem nominibus *hæc* Entis Scientia *appellatur*, inter quæ vulgatiſſimum eſt *Metaphyſica*: Sed cum omnes diſciplinas nomen à Subjecto ſive Objecto tractationis, ſortiri conveniens ſit, non immeritò æſtimare quis poſſet, Generalem hanc Entis ſcientiam rectius Ontologiam, ut vult *Calovius*, aut Ontoſophiam, ut æſtimat *Lobkowits*, quam Metaphyſi-

cam appellari. Etenim ob compoſitionem ex præpoſitione *μετὰ* vox non tantum ambigua videtur, modò poſt, modò ſupra Phyſicam conſtitutam diſciplinam, prout Interpretes ajunt, ſignificans: Sed & prætereà vox illa ab oppoſiti vel diverſi negatione deſumta eſt, adeoque ipſius ſcientiæ eſſe, à ſubjecto deſumto, minimè eſt conveniens. Et tandem poſt vel ſupra aliud eſſe, relationem aliquam denotat, adeòque aliquid ipſâ ſcientiâ poſterius.

3. Nolim tamen exinde conjicias, *Philoſophum* ſuæ tractationi inconveniens nomen tribuiſſe; *Non* enim omninò *eadem* eſt Metaphyſica *Ariſtotelis* cum *Scholaſticorum* Metaphyſicâ, *aut* eâ, quam hic tractabimus, *Ontologiâ*. *Philoſophus Theologiam* tractat, ut patet, ex *6 Met. cap. 3.* & *11. Metaph. cap. 6. Scholaſtici farraginem* plurium diſciplinarum, (quales ſunt *Ontologia*, *Angelographia*, *Pſychologia*, & *Categoriarum* ſeu Prædicamentorum *conſideratio:*) miſcent. At *nos* univerſalem *Entis ſcientiam* proponimus.

4. *Ariſtotelis* itaque *Metaphyſicæ* pulchrè conveniunt *nomina* & encomia, quibus eam exornavit; Qualia ſunt *Philoſophia*, *Philoſophia prima*, *Sapientia* & *Theologia*. Ea tamen *Ontologiæ* accommodari *nec omnia*, *nec* tam *aptè* poterunt, niſi hæc fortè *Primæ Philoſophiæ*, aut *Sapientiæ* nomine

ne aliquando venire poſſit. *Illius* quidem, *quâtenus communiſſima*, quæ & prima dicuntur, attributa conſiderat, *aut* quòd reliquis ſcientiis in accurato ordine *præmittatur*. *Hujus* verò, *quâtenus* immediatè ex primis, & ſolâ terminorum apprehenſione notis principiis proximas elicit concluſiones; id eſt, quâtenus *intelligentiam* proximè *cum ſcientiâ* conjunctam *habet*. Sed de his, ut & aliis nominibus, quibus Encomia ejus contineri videntur, latius inter ejus proprietates.

5. Ad *rem* igitur converſis, *primò* inquirenda ejus *exiſtentia*, de quâ quæritur; *An neceſſariò talis aliqua Entis ſcientia, à reliquis diſciplinis diſtincta, dari debeat? Reſp.* per affirmationem. Cum enim 1. Generalia generaliter, & ſpecialia ſpecialiter tractanda ſint, non minus quoque generaliſſima, qualia ſunt Metaphyſica, generaliſſimo modo ſunt conſideranda. At quid aliud eſt, generaliſſimo modo conſiderari, niſi in generaliſſimâ diſciplinâ, quæ neceſſariò ſcientia erit generaliſſima, ſi id tractandum ſit τὸ ὄν, ſive ſcientificum. Jam verò Ens in genere ſumtum eſt Ens, & ſubjectum ſcientificum generaliſſimum. Ergo in generaliſſimâ aliquâ ſcientiâ, diſtinctâ à ſpecialibus omnibus, tractari debet. At illa eſt Ontologia, vel Metaphyſica.

6. II. Poſito uno relatorum, alterum

 poni

poni neceſſe eſt: Quare poſitis ſcientiis ſpecialibus actu & de facto, non debet denegari generalis, utpote ipſis relativè reſpondens: Hujus enim reſpectu illæ ſpeciales, & illarum hæc generalis appellatur.
III. Cum omnis diſciplina diſcurſiva ex præcedente oriatur cognitione, aut dabitur progreſſus in infinitum, aut una aliqua prima & univerſalis ſcientia, quæ ex inſitis, aut ſaltem ſolo terminorum contextu & intuitivâ apprehenſione intellectuali notis principiis, immediatas elicit concluſiones, ex quibus reliqua cognitio diſcurſiva ſpecialis, per ſuccedentes demonſtrationes ratiocinando educetur: At quænam erit illa, ſi Metaphyſica expellatur?

7. IV. Omnis concluſio ſcientifica, etiam ſpecialis, ex immediatis debet oriri præmiſſis, ipſa concluſione generalioribus: At illæ præmiſſiæ non poſſunt eſſe univerſaliſſima, & ex terminis nota principia, ſi ſubjectum ſit ſpeciale. Non enim univerſaliſſimum & ſpeciale immediatè connectuntur. Quare quædam requiruntur principia intermedia, inter demonſtrata tamen generalia, proximè ex illis, quæ ex intelligentiâ terminorum fiunt, deducta, quæ ratione ipſius intelligentiæ ſunt concluſiones: Atque adeo ſubjectum habent, & ſcientifica ſunt; Quæ proinde Subjecti

& Sci-

& Scientiæ erunt generalis: Qualis illa noſtra præſupponitur.

8. V. Et de facto plurimi termini communes in ſpecialibus diſciplinis occurrunt, qui tamen per ſe noti non ſunt, adeoque explicatione opus habent; quæ in ſingulis ſpecialibus inſtitui, ob tautologiam, & ſæpius fruſtrà iteratam repetitionem, non poteſt: ac proinde generalis aliqua ſcientia conſtituenda, generalium iſtorum terminorum explicationem, ut propriam, ſibi vendicans. VI. Imò & ſpecialibus ſcientiis ſunt ſua communia principia, quæ tamen ex naturâ terminorum immediatè non fluunt, adeoque demonſtratione quâdam indigent. Quorum tamen demonſtratio in ſpecialibus iſtis inſtitui nequit, ob tautologiam, ac generalium & ſpecialium confuſionem. Quare in generali aliquâ & ipſis propriâ ſcientiâ eorum demonſtratio inſtituenda. Illa igitur ut detur, neceſſe eſt.

9 VII. Et cum quælibet Scientia ſubjectum ſuum præſupponat præcognitum; Neque tamen ſpecialis aliqua ſcientia ſubjectum ex terminis planè notum obtineat, neque immediatè ex notitiâ terminorum eductum, neceſſariò concedenda eſt talis aliqua ſcientia, in quâ ſubjecta ſpecialium ſcientiarum prænoſcuntur; quæque, ut vulgò dicimus, reliquis ſcientiis ſua

 ſub-

ſubjecta præſcribat; Quæ procul omni dubio erit Metaphyſica. Hiſce rationibus ſuperaddi poſſunt, aliæ aliorum rationes, quæ tamen potiſſimum à ſubjecto & modo conſiderandi omnes deſumuntur; Adeoque ad unam, miris modis ac formis contortam, revocari poſſunt: Vt Metaphyſicos Autores conſulenti manifeſtum eſt.

10. Unum tamen reſtare videtur, ut ſcilicet oſtendatur, hanc ſcientiam *ab aliis diſtinctam eſſe*: Sunt enim *qui ad Theologiam*, ſunt *qui ad Logicam* referunt; Et quidam *ad Theologiam* revocari *non* poſſe, ſi non ex allatis rationibus, vel ex *detectione cauſa* erroris dilucidè parere poterit. Ea enim hæc fuit, quod vulgares Metaphyſici etiam de Deo agerent, cujus cognitionem omnem ſibi voluerunt vendicare Theologi: Sed nec hi, nec illi rectè. Metaphyſicæ fas non eſt ad ſpecialia, multò minus ad ſpecialiſſimum deſcendere; Nec Theologi, lumen naturæ, cum revelatione, quidquid urgeant, unquam confundent.

11. Circa *Logicam* verò major videri poſſet dubitationis ſpecies, quòd *plurima* ipſis ſint *communia; Vtraque* enim *generalis*, & *circa* omne *Ens* eſt; *Nec reliquæ* ſcientiæ *ſine utrâque* conſtant; *multaque* conſimiliter *in utrâque* tractantur. *Major* tamen inter utramque intercedit *diverſitas. Differunt*

runt quippe 1. *Genere*, quod *Metaphyſicæ* eſt *ſcientia* ſtrictè dicta: *Logicæ* verò *Ars*. 2. *Subjecto tractationis*, quod *Metaphyſicæ* eſt *Ens* omne, quâtenus ſimpliciter Ens eſt: *Logicæ* verò finis ſuum ipſius ſubjectum eſt tractationis, *directio* ſcilicet *mentis* in rerum cognitione. Vide qq. Logicæ Elenchticæ 3. *Subjecto operationis* & uſus, quod *Metaphyſicæ nullum*: *Logicæ* verò *omne intelligibile* eſt. 4. *Subjecto informationis*, quod *Metaphyſicæ* propriè *nullum*, *Logicæ* verò *Mens* humana. 5. *Fine*, qui *Metaphyſicæ* eſt nuda *Entis contemplatio*, *Logicæ* autem *directio Mentis* & operatio. 6. *Effectis* variis, *Metaphyſica fundamentum*, *Logica verò inſtrumentum* reliquis ſuppeditat; *Metaphyſica demonſtrat*, *Logica modum* demonſtrandi *tradit*; *Metaphyſica* aliis ſcientiis *ſubjectum præſcribit*. At tale *nihil Logica*, &c. 7. *Medio demonſtrationis* & cognitionis, quod *in Metaphyſicâ* ſimpliciter *demonſtrativum*, ex proximis & propriis principiis, *in Logicâ* autem ſimpliciter *didaſcalicum*. 8. *Ordine tractationis*, qui *in Metaphyſica ſyntheticus*, à principiis ad affectiones: *in Logicâ* verò *analyticus* à fine ad media. 9. *Latitudine objecti*; *Metaphyſica Ens reale* cognoſcendum tradit, *Logica modum cognoſcendi omne intelligibile* proponit. Quare *diverſo modo utraque generalis*, & circa omne Ens

eſt, & ſine utrâque reliquæ non conſtant, multaque eadem in utrâque tractantur. Metaphyſica generale eſt fundamentum: Logica inſtrumentum; Metaphyſica eſt circa omne Ens, ut ſubjectum tractationis, Logica ut operationis; Reliquæ non conſtant ſine Metaphyſicâ, ut fundamento, ſine Logicâ, ut inſtrumento; Ea quæ communiter tractant, uni per ſe, alteri per accidens ſunt adjudicanda. Plura de his, tam differentiis, quam convenientiis in qq. Logicæ Elenchticæ ſuggeram.

12. Venit nunc indaganda *eſſentia* Metaphyſicæ, ubi expendenda 1. ejus *definitio*. 2. *Proprietates*. *Definitur* autem *Scientia Entis, quatenus ens eſt*. In quâ definitione notandum 1. *Genus*, Scientia. 2. *Subjectum tractationis*, reliquis definitionis verbis expreſſe indigitatum.

13. *Genus* ejus eſſe *ſcientiam*, ſcilicet ſtrictè dictam, ex definitione ſcientiæ *præced. ſect. theſ.* 9. ſatis elucet; Cui adjungi poſſent, omnes ſcientiæ proprietates, quales ſunt, ordine ſynthetico tradi, neceſſarias concluſiones per principia de ſubjecto oſtendere, ex principiis educere affectiones, &c. ſi id neceſſitas poſtularet.

14. Quia igitur ſcientia eſt Metaphyſica, *omnia* quoque *ipſi conveniunt*, *quæ ad eſſe ſcientiæ in genere requiruntur*, ſive *ſubjectum inhæſionis*, ſive *cauſæ*, ſive *effecta*, ſive

ſive *proprietates* omni ſcientiæ convenientes fuerint; *Quæ* tamen *omnia* pro naturâ ſubjecti ipſi *propria* ac *particularia* evadunt. Quare ſi quæras, *cur in definitione Metaphyſicæ, æquè ac in definitione Philoſophiæ, non fiat mentio cauſæ efficientis ac finis?* Reſpondebo, eorum generalem mentionem implicitè fieri in poſito genere, quod ſufficit; Expreſſe enim poni in definitione ſpeciei, quod ad eſſentiam generis ſpectat, Logices præcepta vetant. Specialem verò mentionem ex poſito ſubjecto eſſe hauriendam. Quoniam igitur demonſtrativa eſt omnis ſcientia, vel progrediendo ab univerſalibus ad ſpecialiora, vel regrediendo ab his ad illa, per inductionem demonſtrativam, conſimilis quoque eſt Metaphyſica, ex naturâ notis principiis generales demonſtrans concluſiones, & has viciſſim ſingularium enumeratione comprobans. Unde ſimul patet, *quare in definitione non addatur, Metaphyſicam proximè cum intelligentiâ conjunctam eſſe*; Quia enim generaliſſima eſt ſcientia, ut ex ſubjecto palam eſt, proximè ad intelligentiam accedere debet.

15. Sicut *circa Genus* hujus diſciplinæ *vix diſſenſus* eſt inter Philoſophos, ita è contra, *circa ſubjectum*, cujus eſt ſcientia, *vix* reperies *conſenſum*, aliis hoc, aliis aliud ſtatuentibus. In definitione noſtrâ

 dici-

dicitur Metaphyſica *Entis quâtenus Ens eſt*, ſcientia. *In quo* ſubjecto proponitur 1. *Materiale*. 2. *formale*. *Materiale* eſt *Ens*, quod nec ſemper idem ſignificat, nec eodem modo capitur. *Significat* autem hic tantũ, *id quod eſſe verum, reale ac poſitivum*, id eſt, propriè dictum, *obtinet*: *non* autem *omne* illud, *de quo aliquid affirmatè dici poteſt*; alias enim vel ipſius attributa & affectiones formaliter Entia forent. Et quidem *in priori* ſignificatu *ſumitur*, vel *in actu ſignato*, vel *in actu exercito*. *Priori* modo accipitur *pro communi* aliquâ *notione*, vicem generis vel quaſi generis à ſuis ſpeciebus abſtracti, aut abſtractè conſiderati, gerente: *poſteriori* autem pro ipſis *ſpeciebus* ac ſpecierum ſpeciebus, quotquot in exercitio de iſtâ notione participant; Quomodo hîc accipi debet. Quare *Entis ſcientia* hîc idem eſt, quam *ſcientia* omnium eorum, *quæ eſſe tale verum ac poſitivum habent*: *Ea* autem ſunt ipſa *ſingularia*, ut in ſeqq. oſtendetur. *Omnium* igitur *ſingularium*, quorum tale eſt eſſe, *Scientia* eſt *Metaphyſica*.

16. *Ab hac* igitur Metaphyſicâ *exulare debent*. 1. Quæ *verum eſſe* non habent, ut *denominationes externæ*, *Relationes*, *Entia in potentiâ*. 2. Quæ non habent *eſſe reale*, ut ſunt *Modi Entium*, *Entia rationis*, *Entia ficta*, & *notiones ſecundæ*. 3. Quæ non habent *eſſe poſitivum*, ut *privationes*, *negatio-*

gationes &c. Hæc enim omnia à materiali objecto excluduntur.

17. Alii *nominaliter* vel *participialiter* Ens ſumi ajunt ; Verum 1. nominaliter ſumtum ens eſt, quod potentiam ad eſſe habet, non verò eſt. 2. Non poteſt explicari niſi per participium. 3. Ei non competunt Entis attributa originalia, quæ vulgò principia dicuntur, eſſentia nempe & exiſtentia. *Participialiter* ſumi ajunt, *pro eo quod reverâ ſuum eſſe habet*; *Hic* autem *nominaliter* ſumi ajunt, *non participialiter*. Sed cum *hoc ultimum ſolum Ens* ſit, ejuſque attributa habeat, omninò tantum hujus loci eſſe debet. Nec obſtat, quod ſingulare ſit ; nihil enim in rerum naturâ præter ſingularia datur, quæ ſi ſine notis hîc & nunc conſiderentur fiunt univerſalia. Præterquam quod ſingularitatis forma ab ipſis in Metaphyſicâ auferatur, quoniam ſub conceptibus omnium generaliſſimis conſiderantur : Hoc enim formale ſubjectum involvit.

18. Circa explicationem autem *ſubjecti formalis*, notandum 1. *Quare hoc addatur*? 2. *Quid hoc propriè ſignificet*? Circa *primum* videri poſſet, fruſtra addi, illud *quâtenus Ens eſt*, quia æquè Phyſica ſcientia, & tamen ſimpliciter corporis naturalis eſt; omnis enim ſcientia ſimpliciter ſuum ſubjectum conſiderat. Verum enim verò

niſi hoc formale adderetur, ſola Metaphyſica eſſet ſcientia, utpote omnia Entia, ſecundùm omnes ſuas rationes ac notiones conſiderans, quemadmodum omnia illa illo materiali ſubjecto ſunt indigitata. Quare alia ratio eſt Phyſicæ, cujus materiale & formale æquè patent, ac cui ad ſpecialia ac inferiora omnia deſcendere licet, ac Metaphyſicæ, cujus materiale ad omnia ſe quidem extendit, at per formale ad certam quam rationem contrahitur. Additur igitur, ut denotetur modus, quo Metaphyſica omnia illa ſingularia; verum, reale ac poſitivum eſſe habentia, tractet, ne videlicet quoſvis eorum conceptus ſibi vendicando, panſophias titulum ſibi aſſumat, reliquaſque ſcientias ſolio deturbet. Et quidem omnis ſcientia ſimpliciter ſuum ſubjectum conſiderat, ſed quâtenus hoc ex materiali & formali ſuo conſtat.

19. Quoad *ſecundum* quæritur, quid propriè ſignificetur, hac limitatione, *quâtenus Ens eſt?* Vulgò *reduplicativè* vel *ſpecificativè*, ſumi hanc particulam *quâ* vel quâtenus, Lexici Autores ſunt, quod ut avidè ſatis arreptum à Metaphyſicis, ita tamen non ſatis evidenter explicatum ac applicatum; Quare ſtatuendum, hanc particulam ſumi, ut notet vel *ſenſum compoſitum*, vel *diviſum*; *ſenſum compoſitum* qui-

quidem, quâtenus *idem ad ſeipſum* limitat & quaſi reduplicat, ut homo quâ homo: *Diviſum* verò, quando *idem per aliud*, limitat ſive ſpecificat, ut homo quâ Animal eſt ſentiens. Ex quibus videtur conſequi, hanc particulam hîc ſumendam eſſe in *priore modo*, quia ſcilicet Ens refert ad ſeipſum. Quod quidem verum eſſet, ſi idem denotaret Ens hoc limitans, quod limitatum. Hoc verò in actu exercito ſumi ſupra oſtenſum eſt: At limitans in actu ſignato ſumi debet, quâtenus videlicet collectionem conceptuum communium denotat; alias enim omnia Entia in ſpecie conſideraret quoad proprias rationes Metaphyſica. Et ſi hoc ſit reduplicativè ſumi, omninò negandum videtur, quâtenus in hac limitatione reduplicativè accipi debere: Quod confirmatur, quia de quâtenus reduplicativè ſumto valet hæc regula Logicorum, à quâtenus ad omne valet conſequentia; adeoque tali modo accipi debet, quando licet ad ſpecialia omnia deſcendere, ut in Phyſicâ. At ſpecificativè tum ſumitur, quando ad ſpecialia digredi fas non eſt, ut hîc.

20. *Formale* igitur *objectum* per hanc limitationem *excludit* quoſvis rerum *particulares conceptus*, quibus vel ſecundum proprium eſſe, vel quoque aliquod aliud genericum, non tamen univerſaliſſimum,

concipiuntur. Quare de *Deo*, *Angelis*, *mente humanâ*, *Prædicamentis*, cæterisve Entibus in ſpecie Metaphyſica agere nequit, citra manifeſtam ἀμεθοδίαν, & formalis ſubjecti violationem. At Metaphyſica illa cognoſcenda tradit, quæ ab aliis ſcientiis ob nimiam generalitatem excluduntur; adeoque tam ad hanc, quam ad illam ſpecialem pertinerent; in quibus ſi tractarentur, præter maximum ταυτολογίας vitium, nulla quoque ſcientia determinatum haberet ſubjectum.

21. Quandoquidem igitur omnia Entia, quatenus de communi ac generali notione entis participant, Metaphyſica conſiderat, *non adæquatum* poſuêre ejus *ſubjectum* I. Qui illud *Deum*, Ens unicum ac ſingulariſſimum eſſe contendunt. II. Qui *Ens creatum* illud conſtituunt; nam nec hoc generale & adæquatum eſt, nec ipſi omnes affectiones ac diviſiones accommodari poſſunt. III. Qui aut *ſubſtantiam in communi*, aut *ſubſtantiam immaterialem* ponunt, ob eaſdem ſcilicet rationes. IV. Qui *Ens quâ immateriale* faciunt; nam & hoc formale nimis anguſtum, nec generale eſt. 2. Planè hoc æquivocum eſt formale. Quid enim immateriale ſecundùm eſſentiam & ſecundùm indifferentiam præter nomen habent commune? 3. Et generalia & quædam ſpecialia ſimul involvit

hoc

hoc formale. At nulla ratio dari poteſt, quare de unâ magis quam de alterâ ſpecie generalis diſciplina agat. Quemadmodum contra *latius* debito illud *ſubjectum* ponunt, qui *omne intelligibile*, ſeu Ens in generaliſſimâ ſignificatione hujus ſubjectum eſſe volunt. Non enim id genus eſſe poteſt, ne quidem analogum. 2. Nec per ſe cognoſcibile eſt, aut communes affectiones obtinet. 3. Præterquam, quod & ſic principia & affectiones ſubjecti nullæ dari poſſent, de quibus & ſubjectum formaliter dici non poſſet. II. Qui *omne Ens ſecundum omnes rationes* ac notiones ſuas etiam ſingulariſſimas huc referunt: Confundunt quippe generalia ac ſpecialia, & omnium ſcientiarum multitudinem, à ſubjecto deſumendam, tollunt.

22. Sequuntur *Proprietates* Metaphyſicæ, ex hac definitione reſultantes, *quæ vel* ſunt propria *officia* & effecta, *vel* propria *attributa*. *Officia* ejus vel *generalia* ſunt vel *ſpecialia*. *Generale* officium eſt, ut quemadmodum omnium reliquarum diſciplinarum, naturæ lumine acquiſitarum, fundamentum eſt, ita utilitates iſtas omnes, ſuprà Philoſophiæ conceſſas, ſuperiori quodam ordine promoveat ac adjuvet, adeò ut ejus uſus nullibi deeſſe poſſit.

23. *Specialia* munera ratione ſcientiarum varia ſunt, ita quippe 1. Dum principia

cipia ab aliis ſcientiis præſuppoſita, aut demonſtrat, aut immediatè ex conceptibus eruit, rectè dicitur ejus officium eſſe, *aliarum ſcientiarum defendere principia*. 2. Et quia ubi aliæ ſcientiæ incipiunt, hæc deſinit, *aliis ſubjectum præſcribere* dicitur. 3. Et quia terminos generales, in ſpecialibus ſcientiis occurrentes, explicat, mirificè quoque *confert tam γενέσει quam ἀναλύσει* reliquarum ſcientiarum. Sed de his aliiſque Metaphyſicæ officiis abundè dicetur, in *tractatu tertio*, ubi ejus utilitas explicabitur & applicabitur.

24. Inter *propria attributa* hæc *ſex* potiſſima ſunt. I. Quod ſit *ſcientia accuratiſſima*, id eſt clariſſima ac diſtinctiſſima; ut pote quæ ex maximè primis principiis deducitur, adeo ut reliquæ ſcientiæ ejus principia præſupponant; Unde & hac in parte Mathematicas ſcientias ſuperat, in ſe & actu ſignato ſpectata. Quod enim Mathematicæ demonſtrationes evidentiores videantur, quam Metaphyſicæ, id non vitio Metaphyſicæ, ſed incuriâ Metaphyſicorum factum eſt.

25. II. Quod ſit ſcientia *præſtantiſſima*; ubi notandum, ſcientiæ alicujus præſtantiam ex *triplici* oriri poſſe *fundamento*. 1. Ex dignitate *ſubjecti*. 2. Ex evidentiâ *Medii*, ſeu demonſtrationis. 3. Ex *fine* & uſu. *Primo modo non eſt digniſſima*; niſi etiam

ad

ad ipſam referatur Theologia naturalis; Cum alias univerſaliſſima minimæ ſint entitatis ac dignitatis: At *duobus poſterioribus* modis reliquas ſuperat omnes, ob ſummam evidentiam ac utilitatem.

26. III. Quòd ſit *Sapientia*; non quòd ſit integra Philoſophia, niſi ratione uſus & fundamenti, nec quòd ſit præſtantiſſimi ſubjecti; ſed potius 1. quòd aliquo modo omnia cognoſcenda tradat. 2. Quòd ſit præſtantiſſima ſcientia. 3. quòd immediatè ex intelligentiâ deducatur.

27. IV. Quòd ſit *Domina*; Dominium autem ejus in ſummâ utilitate, fundatione, ac quadam dependentiâ inferiorum ab ipſâ conſiſtit.

28. V. Quòd ſit *ordine naturæ*, adeoque & doctrinæ, reliquis omnibus *prior*. Maximè quippe generalis eſt, adeoque proximè ad intellectum accedit.

29. VI. Quòd reliquæ *ſcientiæ ipſi ſubalternentur*. Quod tamen laxiori vocis acceptione intelligendum; Quam ut capias, nota, *triplicem* eſſe *ordinem* ſcientiarum inter ſe 1. *Coordinationem* 2. *Subordinationem*. 3. *Subalternationem*. *Prima* eſt inter ſcientias tales, quarum ſubjecta ſunt ſpecies unius generis, v. gr. inter *θεολογίαν* & *ἀνθρωπολογίαν*. *Secunda* eſt inter ſcientias, quarum unius ſubjectum eſt ſpecies vel pars alterius ſubjecti, qualis v. gr. inter Meta-

Metaphyſicam & reliquas omnes. *Tertia* hanc ſubordinationem præſupponit, & vel *latè* ſumitur vel *ſtrictè*. *Latè* 1. pro ſolâ ſubordinatione. 2. Pro communione mediorum ſeu principiorum. 3. Pro conſenſu finium. *Strictè* verò ſumitur, quâtenus priores tres modos includit, & ſimul illi inferiori vel partiali ſubjecto accidentalem quam differentiam ſuperaddit; Quomodo frænefactoria eſt ſubalternata equeſtri: non autem reliquæ ſcientiæ Metaphyſicæ, ut pote quæ & propria habent principia & proprios fines; nec accidentalem, ſed eſſentialem addunt ſubjecto differentiam; Nec Medicina Phyſicæ, quia ſubjectum tractationis Medicinæ, quod eſt ejus finis, non continetur, ut ſpecies vel pars, ſub ſubjecto Phyſicæ. Et hæc de eſſentiâ Metaphyſicæ, ſequitur de ejus diviſione judicium.

30. Recepta quorundam *diviſio* eſt *Metaphyſicæ* in partem *Generalem* & *Specialem*. Sed quoniam Deus, Angeli, Mentes humanæ, aliæque Entis ſpecies, jam alteri foro ſunt adjudicatæ, & abſurdum ſit, Scientiæ generalis quærere partem ſpecialem; Et quoque Ens quâ Ens, ejus ſubjectum, reſpuat ſpecies, ut pote ad illas indifferens; ejusque finis ſit generalis Entis cognitio, cum ſpecies ſpecialem finem requirant; & denique omninò generali-

ralitas ad illam ſcientiam requiratur, quæ proximè ad intelligentiam accedit, ſepelienda videtur iſta diviſio; niſi partem ſpecialem voces illam, quæ uſum Metaphyſicæ aſſerit; aut quæ eſt de generalibus affectionibus ſingulis; adeò ut generalis ſit quæ Ens, ejusque Principia & affectiones in genere tradit. Et hæc de naturâ Metaphyſicæ, ſequuntur reliqua prænoſcenda, quæ exhibet

SECTIO. III.
DE
Prærequiſitis.

CAP. I.
De Ente.

1. PRærequiſitum Scientiæ *primarium* eſt ejus *ſubjectum*, quod ut conſtituatur *præcognitum* eſſe debet 1. Ratione *exiſtentiæ*, quòd ſit, 2. Ratione *eſſentiæ*, quâtenus nomine certo ac definitione quâ diſtinguente exprimitur. 3. Ratione *attributorum*, quæ ipſi ut ſit ſubjectum convenire debent. Præſupponit quippe omnis ſcientia ſuum ſubjectum eſſe in rerum naturâ, id-

idque, aliquâtenus & ex parte cognitum, habere principia quædam & affectiones ſibi debitas, quæ nec minus quomodo ad illud ſubjectum ſeſe habeant, cujusque ſint naturæ, prænoſcenda.

2. *Subjectum* autem Metaphyſicæ conſtitutum eſt *Ens*, quod dari omni dubio caret illi, qui ſeipſum eſſe, Deique exiſtentiam neceſſariam certè & infallibiliter cognoſcit; vel ſi ſenſuum judicio ſtare velit, perplurima hinc inde ſibi occurrentia advertit.

3. Quid *nomine* Entis ſignificetur, & quomodo hoc accipiendum, ſuprà oſtenſum eſt: Hic tamen repetendum, *Ens hîc non tam latè ſumi, ac quid, ſeu aliquid*, ſed ſolum denotare, *Ens verum, reale ac poſitivum*. Unde facilè dijudicamus, quid ſentiendum ſit de *ſynonymis* Entis, *qualia* dicuntur eſſe *Aliquid* & *Res*.

4. *Primò* enim *aliquid* aut idem eſt, quod *aliud quid*, & ſic *anguſtius* patet quam Ens; Quia Ens quâ Ens non præſupponit aliud quid exiſtere præter ſe; alias enim Ens ut ſic pluralitatem involveret. Vel aliquid eſt idem quod *quid*; omne illud denotans, quod non eſt omninò nihil, ſed de quo aliquid affirmatè poteſt dici; atque ita *latius* patet, quam Ens hoc Metaphyſicum, ſignificans etiam omnia illa, quæ vel Principii vel affectionum Entis ratio-

tionem obtinent. Hinc facilè ſolvi poteſt difficultas, *an inter Ens & nihil detur medium*? Nempe datur, ſi Ens Metaphyſicum deſignetur: non datur, ſi Ens idem ſit, quod aliquid.

5. *Secundò Res*, etiam inter ſynonyma Entis adducta, aliquando idem eſt, quod *aliquid*, denotans ſcilicet, omne, de quo reris, & ſic Ente Metaphyſico *latius* patet. 2. Res eſt idem quod *ſingulare* aliquod, jam actu exiſtens, cum ſua ſingularitatis formâ, id eſt hic & nunc præciſe conſideratum, quâ ſignificatione, vulgò paſſim uſitatâ, æquipollet Subjecto Metaphyſicæ materiali. 3. Denotat res, quidquid habet *eſſentiam veram*, & ſic ficto opponitur, Ensque reale denominat, ac *latius* eo patet. 4. Notat illud quod *per* ſe ſuum *eſſe* habet, & ſic opponitur Modis ac relationibus, & penè cum Ente coincidit. Ex quibus liquet, totum illud negotium de ſynonymis Entis infirmo ſtare talo, & exigui pretii eſſe, cum Grammaticum potius, quam Metaphyſicum ſit.

6. Quoniam igitur Ens Metaphyſicum dicitur, quidquid verum, reale ac poſitivum eſſe habens, cum aliis, ſi quæ ſint, conceptu univerſaliſſimo & communi convenit, porro inquirendum venit, *an illi applicari poſſint, ſubjecti genuini requiſita*? Et quidem 1. Cum unius ſcientiæ unum de-

debeat eſſe ſubjectum, dubitatur, *numne hoc Ens unum quid dici queat*; cum de facto plurima Entia dentur, darive poſſint? *Reſp.* Ens in actu exercito, prout ſubjectum materiale eſt, non unum eſt, ſed multa, unitur tamen ratione iſtius actus ſignati, ſeu conceptus, communiter eo formali quâ Ens, expreſſis.

7. Sed *datur ne talis conceptus communis?* Alii prorſus negant, alii analogum concedunt, alii tantum æquivocum, alii etiam, univocum volunt; Alii formalem conceptum analogum dant, ſed objectivum negant. Quæſtio igitur ſpinoſis ſubtilitatibus difficilis reddita.

8. Qui negant omnem prorſus conceptum communem, hoc potiſſimum ducuntur fundamento, quòd inter infinitum & finitum nulla ſit proportio. Verum hoc non impedit, quo minus habeant conceptum communem. Nam ſi eſſet extenſio infinita æquè ac finita, eæ proportionem quidem nullam, communem tamen habebunt conceptum, quo utraque extenſio aut quantitas dicatur. Quare potius dicemus, aliquem eſſe communem Entis conceptum, licet is diverſimodè ad inferiora ſe habeat. Nam vel hoc de omnibus concipimus, quod ſint, conſtituta in ſuo eſſe, & ab aliis diſtincta; unde hæc tria ipſis communia aſſignamus 1. eſſe,

2. con-

2. conſtitui in eo. 3. ab aliis diſtingui, quæ communi illo Entis conceptu includuntur.

9. Sed *an hæc tria omnibus æqualiter conveniunt*, hoc eſt, an ille conceptus eſt univocus, an analogus, an æquivocus? *Reſp.* Non eſt planè æquivocus, quia in æquivoco ſaltem nomen commune eſt, & nihil rei. Sed hîc præter nomen communis etiam ratio τοῦ εἶναι omnibus convenit; utpote quibus hoc commune eſt, quod inter ſe ratione ſcilicet iſtorum trium, magis conveniant, quam cum nihilo; Omnibus enim illa tria conveniunt, nihilo nullum. Et quidem nec univocum, ſed analogum eſſe hunc conceptum vulgaris ſuadet ratio; quia illud eſſe non omnibus æqualiter convenit, ut pote independenti magis, quam dependenti tribuendum. Quod omninò verum eſt, commodiusque hoc ſtatuitur, quam univocatio à *Scotiſtis*, modum illum eſſendi omittentibus.

10. Ex dictis denique ſimul manifeſtum eſt, non eſſe illum conceptum communem tantum formalem & purè intentionalem, ſed & objectivum; præterquam enim, quod alias non ſufficeret ad unitatem ſubjecti conſtituendam, nihil quoque hîc concipitur, niſi quod in re ſive objecto fundamentum habeat; quod tamen formaliter ab inferio-

ferioribus diſtinctum eſt. Qui enim Ens conſiderat, quâ Ens, ſive in illo actu & conceptu Metaphyſico, is illud non conſiderat, ut ſubſtantiam aut accidens; ita namque illud conſideraret, ut jam reſtrictum per differentias, quæ neque ſubſtantiæ, neque accidentia ſunt, in illo tamen conceptu involvuntur.

11. II. Nec minus dubium eſt, *an huic Enti etiam ſua ſint principia & affectiones?* Cum enim non-Ens non poſſit eſſe Entis principium aut affectio, & præter Ens nihil videatur dari poſſe, hac in parte deficere ſubjectum Metaphyſicæ videtur. *Reſp.* Illa nec nihil prorſus ſunt, nec planè formaliter idem cum Ente: diverſimodè tamen ipſum Ens afficiunt; quæ diverſitas, ut pateſiat, hîc de medio illo, inter ens & nihil intercedente, agere conſultum eſt.

CAPUT. II.

DE Medio inter *Ens & Nihil in genere.*

1. MEdium igitur illud, *inter Ens* Metaphyſicum, id eſt verum, reale, poſitivum, *ac nihil* intercedens, *generalem* poſtulat tractationem & *ſpecialem*: In *generali*

nerali hic inquirendum. 1. *An ſit* tale medium? 2. *Quo nomine appellandum*? 3. *Quid rei ſubſit*?

2. Quantum ad *primum*: Licet ſuperiori cap. ſufficienter hujus medii neceſſitas ſit demonſtrata, ex eo quod principia & affectiones Entis ipſum Ens formaliter non ſint, nec tamen omninò nihil eſſe poſſint, hîc tamen propius ejus inter Entia præſentia expendenda venit. Quoniam, igitur I. Multa Entibus tribuuntur, quæ ſi alia entia forent, cum iis compoſitionem, aut mutationem, ab ipſorum naturâ alienam, aut proceſſum in infinitum inducerent, neceſſariò videntur concedenda talia quædam, quæ nec omninò nihil, nec quoque præciſe ipſum Ens ſunt. Talia autem attributa ſunt principia & affectiones Entium; item reliquæ denominationes externæ, relationes ac modi Entium. Quæ ideo planè nihil non ſunt, quod & inter ſe differant, ac de Ente ſuo modo dicantur; Cum nihil à nihilo non differat, neque de Ente quovis modo dici queat.

3. II. Idem de facto ex modis entium, Relationibus, Entibus rationis, denominationibus externis, privationibus &c. oſtenditur. Hæc enim nemo ſanus ſuo modo dari negabit, nec tamen Entia eſſe Metaphyſica, ſuprà viſum, & infra in ſpecie demonſtrandum eſt; Nec quoque prorſus nihil.

4. *Nomen* igitur talis medii in genere quod attinet, credo ipſum proprio ac determinato carere, quare id ſimpliciter *medium inter Ens & nihil* appellandum cenſui, donec ipſi de commodiori titulo proſpiciatur. Alibi id appellavi *Non-Ens*, ſcilicet comparatè ad Ens Metaphyſicum ſumtum. Obſervo quoque id alibi appellari *Modum Entis*, ſed *preſſiori* quam par eſt *denominatione*, ut infra patebit. Potius nunc, quid rei ipſi ſubſit, inquirendum.

5. Circa *rem* autem multa inveſtiganda occurrere poſſent, ſcilicet, quæ hujus cauſa, utilitas, ratio &c. ſed de his in genere vix certi quid afferri poteſt, quare in præſentiarum rei conſiderationem abſolvam, indagando. 1. *Quid ſit* hoc medium? 2. *Quomodo ſe habeat ad extrema?* 3. *Quæ diviſio*, ac differentia?

6. *Quid* ſit in genere hoc medium, *difficilius* eſt *definitu*, quam quid ſit Ens aliquod. Hoc enim certo generi jam aſſignatum, illi verò nondum de claſſe eſt proſpectum, ac plurima quoque etiam toto genere diſtantia ſub ſe continet. Quare mihi hoc inſtanti *ſufficit* hæc *deſcriptio*, quâ medium hoc dicitur, *aliquid ab ente diſtinctum ad illud aliquo modo pertinens.* Quæ ſi generalibus nimis terminis concepta alicui videatur, eum rogatum vellem, ut ad com-

communne Theatrum Metaphyſicorum convenientiorem afferat. *Hæc* equidem hoc *medium à nihilo* ſimul & *Ente* diſtinguit, ejuſque *habitudinem* ac officium ratione extremorum ſatis *effert*.

7. *Extrema* autem hujus medii ſunt *Ens* Metaphyſicum & *Nihil*, inter quæ *non* intercedit, ita *ut* aliquid ab utroque *participet*; ita enim nihil & Ens Metaphyſicum inter ſe commiſceri, ac unum aliquod junctim conſtituere deberent. Sed potius ut utrumque extremorum de ipſo negetur; Licet enim ratione materiæ ſeu conceptus materialis & identici illud medium vel ens, vel Nihil ſit, ratione tamen formæ & conceptus formalis ab utroque diſtinguitur, ut non poſſit hoc de aliquo extremorum dici, aut eorum formam induere. Unde quoque dimetienda diſtantia ipſius ab utroque extremo: Nam hinc patet, quod omne hoc medium, utpote aliquid ratione formæ, magis accedat ad Ens Metaphyſicum, quod etiam aliquid eſt, quam ad nihil. At ratione materiæ quædam propius ad Ens, ut modi, Relationes &c., quædam propius ad nihil accedunt ut Entia rationis, privationes &c.

8. Quoad *differentias*: Medium hoc vel *poſitivum* eſt, vel *negativum*. *Poſitivum*, eſt, quod *per ſe adeſſe* dicitur: *Negativum* verò, quod *adeſt ob abſentiam alterius*

terius, adeoque in ſe non eſt aliquid, ſed nihil.

9. *Poſitivum* ergo, quod *in ſe aliquid* eſt, vel *internum* eſt, vel *externum*: *internum ad* ipſam *rem pertinet*, eamque immutat, ſi non re, ſaltem conceptu, eſtque *modus Entis*, ſcilicet ſtrictè dictus; Nam aliqui omne medium modum appellant. *Externum* verò eſt, quod *rem nullatenus immutat*; Eſtque *primum* & radicale *Relatio*, & *Ortum* ex primo, *Denominatio externa*.

10. *Negativum* autem medium, quod per ſe nihil eſt, ſed cui ab intellectu noſtro forma affingitur, *triplex* eſt. 1. *Ens rationis*. 2. *Ens in potentiâ*. 3. *Privatio*. Quorum *duo priora* in formâ ſuâ aliquam *perfectionem* includunt: at *privatio* meram *imperfectionem* involvit.

11. Hæc tria *Negativa* media à quibuſdam *etiam Entia rationis* appellantur; nec malè, *ab intellectu* enim, quoad formam *dependent*, & ratione materiæ, ſive in ſe, nihil ſunt. Nam quando intellectus noſter concipit illud, *quod non eſt, ac ſi eſſet*, dicitur in ſpecie *Ens rationis*, quemadmodum ſi conciperet montem aureum, qui non eſt, ac ſi eſſet. At cum intellectus concipit illud, *quod non eſt, ac ſi poſſet eſſe*, dicitur *Ens in potentia*, ut ſi pullum, qui non eſt in ovo, concipiam âc ſi poſſet eſſe ex eo.

Deni-

Denique cum concipit intellectus, id *quod nihil eſt* in ſe, *ac ſi deberet eſſe*, tum id nihil *privatio* dicitur. Quemadmodum ſi quis concipiat viſum, qui cœco non ineſt, ac ſi deberet ineſſe.

12. Quæ *differentia* ſimul *ordinem* in ſpeciali mediorum conſideratione inſtituendum *oſtendit*. *Priora* quippe ſunt *poſitiva negativis*, & inter illa *interna externis*; quemadmodum & inter externa *prima ortis*, & inter negativa, *quæ perfectionem deſignant*, *iis quæ* meram *imperfectionem notant*. Et denique inter illa, *quæ* denotant perfectionem *præſentem*, *iis* quæ *non præſentem* ſignificant. Hoc igitur ordine ſibi ſuccedent. 1. *Modus Entis*. 2. *Relatio*. 3. *Denominatio externa*. 4. *Ens Rationis*. 5. *Ens in potentiâ*. 6. *Privatio*, De quibus ordine.

CAP. III.
De Modis
Entium.

1. MOdus *Entis*, cui primus locus nunc conceſſus, conſiderandus eſt, 1. Quoad *nomen*. 2. Quoad *rem*.

2. Quoad *nomen*. 1. ſumitur *reſpective* ad omne modificatum, atque ita omne

modificans ſignificat, ſive hoc ſit forma, ſive differentia qualiscunque, ſive qualitas, ſive aliud quodvis accidens. 2. Pro *omni medio* accipitur, quo pacto etiam Relationes modi ſunt. 3. Pro *tali* modificante, *quod formaliter non eſt Ens*, ipſum tamen ſuo modo limitat; Quâ hic ſignificatione expendendus eſt.

3. Quoad *rei* explicationem, inprimis adverto inſignem difficultatem hujus, partim ob maximam generalitatem ac latitudinem, partim ob nimiam varietatem modorum, ut non mirum ſit ingenia Scholaſticorum hoc in negotio maximè ſe torſiſſe. Neque ipſe hic aliud, quam glaciem frangere auſim, conando exponere 1. *Quid ſit* modus? 2. *Quid non ſit*? 3. *Quotuplex ſit*?

4. *Quidditas* modi definitione hac exprimitur, quod ſit *alicujus interna & poſitiva limitatio*. *Vbi* notandum. 1. *Genus* 2. *Subjectum*.

5. *Genus* eſt *Limitatio*, id eſt, determinatio, ſive reſtrictio quædam; effectum enim modorum eſt modificata limitare, ſeu determinare, adeo ut quodammodo munere formæ ſive differentiæ fungantur. Ea tamen reſtrictio pro diversâ naturâ modorum varia eſt. Alio enim modo infiniti & immutabiles modi, alio finiti, alio illi, qui ſaltem formaliter differunt à re, & alio

qui

qui totâ naturâ. *Burgerſdicio*, modus *dicitur appendicula limitans.* Sed Limitatio activa iſtius appendiculæ etiam modus eſt, unde ſic nullus modus, niſi mediante alio aliquo, ipſi modificato convenire poſſet.

6. *Ex hoc* igitur genere, *colligi poteſt* modum *eſſe aliquid*; quia ſcilicet omnis limitatio aliquid eſt: Et quoque modus acceſſu & receſſu ſuo mutationem, & ſuâ præſentiâ aliqualem compoſitionem efficit.

7. Sequitur *Subjectum*, de quo *in genere* & *in ſpecie* agendum. *In genere* eſt aliquid; non tantum Res, aut Ens: Modificantur enim & illa, quæ Res non ſunt; Dantur quippe & modi modorum.

8. *In ſpecie* circa ſubjectum, quæritur 1. *An omni Enti conveniat modus*? *Reſp.* Omninò; Omne enim Ens ab alio diſtinguitur; diſtingui autem, limitari, & limitatio modus eſt. Non tamen qualeſcunque cuilibet Enti conveniunt, ſed unicuique debiti.

9. Quæritur 2. *An igitur & Deo conveniant modi*? Reſp. Quidni? ut enim taceam diſtinctionem trium perſonarum, modo ſubſiſtendi diſtinctarum: Omnis autem diſtinctio modum præſupponit; tales quoque modi ipſi convenire debent, qui ut affectiones ac principia Entis Metaphyſici evadant, inadæquato conceptu

modificato convenire apprehenduntur; Prout quoque propria ipſius attributa, quæ in ſe & ſenſu identico idem ſunt cum ipſo Deo, formaliter tamen, & inter ſe, & à Deo diſtincta non niſi inadæquati quidam modi conſiderandi ſunt.

10. Sed *objic.* 1. Modi limitant: At Deus limitari non poteſt. *Reſp.* 1. An & quomodo tres illi modi ſubſiſtentiæ exiſtentiam Dei limitent, nulla oſtendit naturæ ratio, quare de eo Theologi conſulendi. 2. Reliqui illi modi Deum extrinſecè limitant ad conceptum, & tamen quia infiniti ſunt, hoc præſtant citra ullam imperfectionem, aut ipſius eſſentiæ coarctationem.

11. *Objic.* 2. Modi faciunt mutationem. At Deus immutabilis. *Reſp.* 1. Immutant modi ſuo acceſſu & receſſu; At Deo nec accedunt, nec ab ipſo recedunt. 2. Immutant modi, ſi ſint finiti & mutabiles: Infinitorum autem alia eſt ratio. 3. Immutant, ſi non ſaltem formaliter, ſed & ex rei naturâ à modificato differant. At Attributa Dei ſaltem formaliter, id eſt, definitione & inadæquato conceptu à Deo diſcrepant.

12. *Objic.* 3. Modi faciunt compoſitionem: At Deus nullo modo eſt compoſitus. *Reſp.* 1. An illi modi *ὑπάρξεως* divinæ infiniti non faciant compoſitionem aliquam

quam

quam (utpote quæ aliquam diſtinctionem involvunt, omnis autem diſtinctio unitorum facit compoſitionem:) nolo in præſentiarum diſputare, Theologis quod revelatum eſt concedens. Novi quidem, exinde nullam imperfectionem ad Deum redundare, quia juxta *Burgersdicium*, compoſitio ex modis finitis & mutabilibus, non autem ex infinitis immutabilibus imperfectionem infert: Sed præterea hos modos ſubſiſtentiæ, non autem immediatè eſſe ipſius eſſentiæ, & tales nullâ ratione imperfectionem, ſed ſi infiniti ſint, infinitam, quæ Dei eſt, perfectionem præſupponere, ratio dictitat. 2. Modi faciunt compoſitionem, ſed non omnes eandem; Quare illi modi conſiderandi Deum non magis faciunt compoſitum, quam ipſum Ens: Hoc autem ſaltem conceptu dicitur compoſitum ex iis, quæ identicè eadem ſunt cum ipſo, quæ compoſitio in reipsâ nulla eſt.

13. Quæritur 3. *An modus etiam aliis modis conveniat*? *Reſp.* Omninò, nec hoc tantum, ſed & modis modorum convenit modus; quemadmodum ex. gr. motui, qui modus eſt, convenit celeritas & tarditas, & hiſce etiam certi gradus. *Objic.* Atqui ſic foret proceſſus in infinitum. *Reſp.* 1. Is proceſſus inter Entia negatur: ſed an pari modo inter puros modos negari de-

beat, non ita palam eſt. 2. Proceſſus in infinitum infertur inter ea, quæ vel realiter, vel totâ naturâ differunt, ſed modi modorum, ab illis modis, quorum ſunt modi, tali modo non diſtinguuntur; ita v. gr. celeritas aut tarditas motus non diſtinguitur ex naturâ rei à motu, quemadmodum nec gradus celeritatis ab ipsâ celeritate. 3. Quod ſemel atque iterum obtinet, non ſemper progreditur in infinitum; niſi ſuccedentia parem ſervent entitatem; At modi modorum continuò exiliores fiunt.

14. Quæritur 4. *An etiam aliis mediis ſui ſint modi? Reſp.* Privationi competere videtur; Quia hæc in ſubjecto eſt, idque certo modo. Reliquis verò ſubjectum non requirentibus non convenit modus.

15. Reſtat inquirendum, *quid non ſit* modus? Et quidem 1. *Non* eſt *omninò nihil*; ut pote, quod nec limitat, nec componit, nec mutat. 2. Modus *non* eſt *res ipſa* formaliter; ab illâ enim, tanquam modificatâ, diſtingui debet: Præterquam, quod ſi modus res ſive Ens eſſet, ac omni Enti conveniret; jam aliquod ens conveniet omni Enti; cui iterum conveniet ſuus modus, & ſic proceſſus foret in infinitum. *Excip.* Licet modus diſcrepet ab illo Ente, cujus eſt modus, manebit tamen in ſe Ens. *Reſp.* Non manebit: Dantur quippe modi &

di & omni Enti, & maximæ ipſius parti convenientes, v. gr. duratio, præſentia, & reliquæ Entis affectiones; Quæ Entia nullatenus fieri poſſunt.

16. Quæres 2. *Quomodo igitur modi ab Ente diſtinguuntur? Reſp.* 1. Si ens in ſe conſideretur, differt toto genere à modis; quia ita ſumtum ſine modis cognoſcitur; At ſi Ens ut modificatum conſideretur; modi non niſi formaliter, non identicè ab ipſo diſtinguuntur, hoc eſt, definitione & conceptu inadæquato; quia ſunt quaſi formæ & differentiæ modificati, ut ſuprà viſum.

17. Deinde 3. Modus *non* eſt *privatio*; hæc enim abſentiam alicujus, modus autem poſitivam præſentiam denotat. 4. *Nec* eſt *denominatio externa*; quia hæc ſubjecto non ineſt, ut modus. 5. *Non* eſt *relatio*, quia hæc in medio duorum ſubjectorum eſt, modus autem præcisè in uno.

18. *Quoad differentias* modorum; has tradere non ita in propatulo eſt, ob inſignem ipſorum varietatem, ſubjecti latitudinem, ac multitudinem ipſorum in eodem ſubjecto; Quod tamen conſtat, communicandum. Igitur *differentiæ* modorum ſunt vel *communes*, ſive accidentales, vel *propriæ* ſive eſſentiales.

19. Inter *accidentales* 1. à *connexione* modi *cum* ſuo *ſubjecto*, vel eſt *eſſentialis*,

vel *accidentalis*. *Eſſentialis* eſt, qui *ad eſſentiam* ſui *ſubjecti* pertinet: *Accidentalis*, qui ſalvâ manente eſſentiâ *tolli poteſt*. *Eſſentialis* iterum *duplex* eſt, *Antecedens*, ut ſunt *Entis principia*, vel *conſequens*, ut *affectiones*.

20. Eâdem ratione, 2. *modus* eſt vel *ſeparabilis* à ſuo ſubjecto, ut motus ab homine, vel *inſeparabilis*, ut duratio ab Ente.

21. Ratione *Status* & conditionis, 3. modus eſt vel *immutabilis*, vel *mutabilis*, ſcilicet ratione ſui, non ſubjecti, alias enim cum præcedente coincideret hæc diſtinctio.

22. Ratione *ſtatus ſubjecti* 4. *modus* eſt vel *eſſendi*, vel *fiendi*: *Prior* eſt qui eſt in re conſtitutâ, poſteriore verò ipſa conſtituitur; hic tamen reſpectu conſtituentis eſt eſſendi; Quemadmodum incubatio ovorum ratione conſtituendi pulli eſt modus fiendi: at ratione conſtituentis gallinæ modus eſſendi.

23. *Eſſentiales* differentiæ modorum *à Subjecto proprio deſumendæ* videntur, quare modus ſic vel eſt *rei*, vel alterius *modi*; quorum ille immediatè rei convenit, hic verò mediante alio modo: Ille denominat ſubjectam rem, hic verò modum, & non rem ipſam, niſi concretè cum modo modificato ſumtam.

24. *Modi rerum* porrò vel *Generales* ſunt, omni

omni Enti convenientes, vel *ſpeciales* huic & illi tantum competentes. Ad *generales* refero, *Principia* & *ex affectionibus quaſdam* (non enim omnes per modum modi, ſed & quædam per modum relationum & denominationum externarum &c. concipiendæ ſunt:) ipſius Entis.

25. *Speciales* modi vel *Infiniti* ſunt, vel *finiti*. Illi æterni, inſeparabiles, immutabiles, infinitam perfectionem involventes, & à ſe invicem non diſtincti, adeoque idem in ſe & cum ſubjecto ſunt: Quod in finitis non requiritur.

26. *Finiti* modi vel *ſpirituum* ſunt, vel *Corporum*; verum quinam illi præter generales, ſpiritibus proprii ſint modi, nondum plenè conſtat, negari tamen prorſus nequeunt.

27. *Corporum* modi vel *ſimplices* ſunt, vel *compoſiti*; *Simplices quinque* ſunt: *Menſura*, *Motus*, *Quies*, *Situs* & *Figura*.

28. *Menſura* eſt cujuslibet *extenſi* quà talis *limitatio*. Adeoque vel *quantitatis continuæ* eſt, vel *diſcretæ*, & *hujus*, vel *numeri*, vel *temporis*; Gradus intenſionis, remiſſionis & perfectionis in qualitatibus ut numeri ſe habent.

29. *Motus eſt potentiæ* ad exercitium *limitatio*; Diciturque ratione exercentis *Actio*, at recipientis *paſſio*. Manente illâ motus definitione, is etiam Spiritibus

conveniet. Quare *duæ* ſpecies erunt actionis, *Cogitatio*, & *motus ſtrictè dictus*. *Prior Spiritibus*, *poſterior corporibus* propria eſt acto.

30. *Quies* eſt *Entis permanſio* in potentiâ: Quare totidem modis ac motus, qui ipſi contrariè opponitur, dividi debet.

31. *Situs* eſt *ordo partium vel corporum* inter ſe; Huc ergo pertinent 1. *Sex poſitionum differentiæ*: Antrorſum, retrorſum: dextorſum, ſiniſtrorſum: ſuperum, inferum: Quæ quidem ſtrictè loquendo ſolis animantibus conveninnt, at latiori acceptione etiam reliquis corporibus. 2. Ad ſitum ſpectat, *geſtus* ac *habitus* corporis.

32. *Figura* eſt *magnitudinis determinatio*; quæ vel *regularis* eſt vel *irregularis*; & *utraque* vel *plana* vel *ſolida*: Ad *Regularem planam*, pertinent, *Triangulum*, *quadratum*, *Circulus*, *Ellipſis*: &c. ad ſolidam, *Pyramis*, *Conus*, *Cubus*, *Sphæra*, *Cilindrus* &c. *Irregulares*, tam *planæ*, quam *ſolidæ innumerabiles* ſunt.

33. *Compoſitus* modus eſt, quando plures ſimplices inter ſe coëunt, qualis *in* pluribus eſt *Qualitatibus*.

34. Et hæc de difficili illa materiâ modorum nunc ſufficient; Reliqua, quæ deſiderari poſſent, alibi, ſi voluerit *Ille*, ſupplebo.

CAP.

CAP. IV.

DE *Relatione*.

1. R*Elatio à referendo* nomen habet, quia in eo quod unum ad aliud referatur conſiſtit. Vulgò *latè* ſumi dicitur tam pro tranſſcendentali, quam pro prædicamentali, tam pro rationis, quam pro reali reſpectu; Et *ſtrictè* pro ſolo prædicamentali & reali. Verùm *lata* illa acceptio hîc *retinenda*, ea enim, quæ quam maximè generalia ſunt, hîc accipienda veniunt. Nec tanta eſt differentia inter relationes tranſſcendentales ac prædicamentales, ac vulgò exiſtimatur, ut infra patebit.

2. *Synonyma* ejus ſunt *apud Latinos* quidem 1. *Reſpectus*. 2. *Ordo*, quatenus hîc latè ſumitur pro omni ordinatione, non ſtrictè pro ſolâ illâ, quæ fit ſecundum aliquam ſucceſſionem. *Apud Græcos* autem Χέσις i. e. habitudo, quia τὰ πρός τι aliquo modo ſe ad ſeinvicem habent.

3. In *re*, *Relatio explicanda* venit, ut inquiratur 1. *Quid* ſit? 2. *Quid non* ſit? 3. *Quæ* ejus *diviſiones*?

4. *Quid* ſit *relatio* explicatur 1. *definitione*. 2. *Requiſitis*, ex definitone deducendis

dis. *Definitur* autem, *habitudo unius ad aliud*. *Habitudo* dicitur, vel & reſpectus. unde apparet, quod relatio 1. ſit *aliquid* 2. Aliquid *poſitivum*. 3. Poſitivum *ratione duorum* ſubjectorum.

5. *Requiſita* relationis *vulgò quinque* enumerantur, 1. *Relatum*. 2. *Correlatum*. 3. *Subjectum*. 4. *Terminus*. 5. *fundamentum*. Sed hæc ipſa neque inter ſe, neque ab ipsâ relatione realiter differunt. *Definitio* noſtra *duorum facit mentionem*, *unius* nempe & *alterius*. *Vnum* illud eſt, *à quo* incipit relatio, quod & ideo *terminus à quo* dicitur, item *ſubjectum*, quia de eo prædicatur Relatio; In quâ prædicatione ſi concretivè ſimul cum ipſa relatione conſideratur, dicitur *Relatum*; Unde apparet, ſubjectum & Relatum non niſi denominatione differre, in re prorſus idem eſſe.

6. *Alterum* illud eſt, *ad quod* tendit Relatio, diciturque ideo 1. *terminus ad quem*, & *terminus ſimpliciter*. 2. *Correlatum*, quatenus & hoc à relatione denominatur, & cum eo concretè conſideratur: Unde iterum patet, terminum & correlatum in ſe idem eſſe, & tantùm denominatione differre. *Duo* igitur illa *re* quidem, ſed *modo* & denominatione *quatuor* in omni relatione requiruntur.

7. Unde conſequitur veritas iſtius effati, *omnem Relationem eſſe inter duo*, non inter plu-

plura, nec inter pauciora. Cui tamen obſtare videtur 1. Quod idem ſibi ipſi dicatur ſimile; Unde eſt & relatio ejuſdem ad ſeipſum. *Reſp. Idem* quâ idem, hoc eſt *materialiter* ſumtum, *non* eſt ſibi ipſi ſimile; *ſed* quâtenus *diverſas induit formas*, ſecundum quas illa identitas ac convenientia æſtimatur; v. gr. cum dicitur hodiernus & heſternus. Vel 2. dici poteſt, quod idem conveniat cum ideâ, quam in mente expreſſam habet, aut exprimere apta eſt; Unde tunc relatio erit inter hominem objectivè & eundem formaliter conſideratum.

8. Deinde obſtare videtur huic effato, Quod unus ſit princeps & plures ſubditi; unus pater & plures filii; item quod ſint plures fratres, Amici &c. Ut & quod teſtatio intercedat inter teſtem, teſtimonium & rem teſtatam. *Reſp.* 1. In genere; *plura* poſſunt eſſe, ſi *materialiter* & abſolutè, ut res & entia conſiderentur: ſed *duo* tantum ſi *formaliter*, relationis ſcilicet formâ denominata, conſiderentur. Unde 2. Plures illi ſubditi, unam ſubjectionis formam recipiunt, quâ ad Principem, tanquam correlatum referuntur. 3. Idem pater eſt re & materialiter, hoc eſt quatenus homo eſt, ſed plures ſuſcipit formas ſeu Paternitates, pro numero nempe filiorum. 4. Plures amici & fratres non unâ relatione,

niſi

niſi nomine tenus, ſed pluribus ad ſe invicem referuntur. 5. Diverſa quoque relatio eſt inter teſtem & teſtimonium, & inter teſtimonium & rem teſtatam; prout quoque diverſa eſt inter teſtem & rem teſtatam.

9. Porro *de ſubjecto* Relationis *duo quæri* poſſunt 1. *An Relationis ſubjectum debeat eſſe inhæſionis*, quale eſt accidentium, *an verò ſufficiat ſubjectum denominationis*? *Reſp.* Relatio nec requirit, nec habere poteſt ſubjectum inhæſionis. Nam 1. Reſpectus inter duo manet, neque utrique, neque alterutri ineſſe poteſt. 2. Si relationes ſubjectum inhæſionis haberent, deberent id novâ relatione (inhærentiâ) reſpicere; quæ iterum requireret ſubjectum inhæſionis, & ſic foret proceſſus in infinitum. 3. Accidentia ſæpe ſunt ſubjecta relationum, v. gr. magnitudo æqualitatis, qualitas ſimilitudinis. At nullum accidens ſubjectum inhæſionis eſſe poteſt. 4. Subjectum inhæſionis mutatur acceſſu & receſſu ſui inhærentis: At ſubjectum relationis acceſſu & receſſu relationis non mutatur. Quemadmodum nos hîc non mutamur, licet fortè homo apud Indos naſcatur aut moriatur, cum quo ſimilitudo inter nos & ipſum oritur ac perit. 5. Præterea etiam Deo relatio convenit, nec tamen is, niſi

mu-

mutabilis dicatur, ſubjectum inhæſionis eſſe poteſt. 6. Si relatio requireret ſubjectum inhæſionis, inhæreret, & ſic prout eſſentiam accidentis haberet, verum foret Accidens, & per conſequens Ens aliquod, quod abſurdum; ut ſtatim oſtendetur. Sufficit igitur in relatione ſubjectum denominationis.

10. II. Quæritur, *quodnam ſit illud ſubjectum denominationis, an relatum, an correlatum, an utrumque?* Reſp. *Vtrumque*; non quidem ut nonnulli exiſtimant, geminatâ relatione; Quorſum enim multiplicatio illa relationum? Prout igitur unus ille fluxus exercitii actio dicitur & Paſſio, neque geminatur, ita conſimiliter, una eſt relatio, bina illa ſubjecta denominans.

11. *Fundamentum* Relationis, illud dicitur eſſe, quo mediante relatio ſubjecto convenit. Sed an hoc requiritur? *Reſp. Non* ut ſit *aliquid abſolutum* ab ipsâ relatione *diſtinctum*: *Sed* ut ſit *ratio* aliqua in ipsâ re fundata, *propter quam* relatio *adſit*; quæ tamen realiter à relatione diſtingui non debet. Alias enim nova relatio inter fundamentum & relationem fundatam intercederet, quæ denuò fundamentum poſtulans, proceſſum in infinitum induceret. Et quidem hæc vera ſunt de Relationibus realibus; eorum enim quæ rationis ſunt, nullum eſt fundamentum, præter cauſam.

12.

12. *Secundum* circa Relationem explicandum fuit, Quid non ſit illa? Et quidem 1. *Non eſt omninò nihil*; quoniam differt à relatione relatio: alio quippe modo ſe habet Dominus ad ſervum, alio Pater ad filium; Quæ diverſitas licet à fundamento oriatur, adeo ut per illud relationes inter ſe diſtinguantur, ſufficit tamen, ut Relatio aliquid ſit; Nihil enim neque per ſe, neque per aliud à nihilo differre poteſt.

13. II. *Relatio non eſt Ens*. Ratio. 1. Quia in ſubjecto, nec compoſitionem aut mutationem facit; Ubi tamen nullus congreſſus entium citra compoſitionem, aut regreſſus ſine mutatione concipi aut fieri poteſt. Sed *Objic*. Multæ tamen relationes, ex præviâ mutatione oriuntur. *Reſp*. Ita eſt: Sed illa mutatio naturâ prior relatione iſtâ, & quaſi ejus cauſa eſt, ſi in ſubjecto vel termino eveniat. Aliud autem eſt mutationem eſſe cauſam relationis, quod verum eſt; aliud relationem eſſe cauſam mutationis, quod falſum. 2. Rat. Si relatio eſſet Ens, novâ quâ relatione ſuum ſubjectum deberet reſpicere; Omne enim Ens alteri alicui Enti additum ad illud relationem quamdam obtinet. Sed inter ſubjectum & Relationem aliam ſtatuere relationem, eſt 1. Multiplicationem quidditatum, 2. proceſſum in infinitum admittere.

14.

14. III. *Relatio non eſt modus Entis*, quia nihil in re mutat,aut componit. IV. *Nec eſt privatio*; Quia à relatione deſumitur quædam perfectio & præſentia, quæ de ſubjecto prædicatur: Omnis autem privatio imperfectionem & abſentiam involvit.

15. *Differentiæ* relationum ac relatorum *variæ* paſſim circumferuntur; ſuntque vel *communes*, vel *eſſentiales*.

16. Inter *communes primò* dividitur,quod ſit vel *mutua* vel *non-mutua*. Mutua dicitur, quæ geminâ relatione utrique ſubjecto convenit: Non mutua, cum ſimplex relatio uni ſubjecto inhæſivè, alteri denominativè convenit. Sed 1. in nullo reſpectu gemina eſt relatio. 2. Neque relatio ſubjectum inhæſionis requirit. Sed 3. omnis relatio eſt inter duo, de quibus denominativè tantum dicitur. Unde omnis relatio mutua eſt. Nec obſtat, quod relatio inter Creatorem & creaturam ineſſe quidem creaturæ, non autem creatori dicatur, adeo ut non eſſet mutua; Nam neque creaturæ, neque Creatori ea ineſt, ſed tam hic, quam illa, ab eâ denominatur; quare etiam & illa mutua eſt.

17. *Secundò*, dividitur *relatio*; quod ſit vel *realis* vel *rationis*. *Realis* eſt, *quæ* habet *fundamentum in re*; *ejus* igitur *duæ* ſunt *conditiones*, 1. Ut *utrumque* ejus relatum

tum ſit *Ens* verum. 2. Ut *habitudo* inter illa intercedens *in ipsâ* re ſit fundata, & non conficta. Unde contra, *relatio rationis* dicitur 1. cum *utrumque* relatum eſt *figmentum*. 2. Cum *alterutrum* tale eſt. 3. Quando *habitudo* inter Entia vera *concipitur*, quæ in naturâ talis non eſt. *Dices*. Si dentur Relationes reales illæ erunt entia. *Reſp*. Non omne reale ſtatim Ens eſt: Dicuntur autem relationes reales, non quod ipſæ ſint Entia, ſed quod reipsa inter entia non cogitata intercedant.

18. *Tertio*, *Relata* dividuntur, quod ſint vel *ſecundum dici*, vel *ſecundum eſſe*: Hæc dicuntur, quæ eô ipſo, quod ſint, ad alia referuntur: Illa verò, quæ per ſe pertinent ad aliud prædicamentum, adeo ut totum ipſorum eſſe ad aliud non referatur; At *hæc diſtinctio* ipſis competit *ratione* ſigni, ſive *nominis*, quo appellantur; Quædam enim relata tali efferuntur nomine, quod per ſe ad aliud nullum prædicamentum pertinet, ut Pater. Quædam verò tali, quod per ſe ad aliud prædicamentum dirigitur, ut Scientia.

19. *Quarto*, *Relatio* dividitur, quod ſit vel *tranſſcendentalis*, vel *prædicamentalis*; Hæc dicitur, quæ eſt *inter* talia *relata*, quæ ratione eſſe abſoluti *ad unum* aliquod pertinent *prædicamentum*, ut v. gr. *inter patrem & filium*. *Illa* verò, quæ eſt

eſt *inter talia relata*, *quæ* vel ſecundum abſolutum eſſe, ipſis prædicamentis *generaliora* ſunt, ut inter cauſam & cauſatum; *vel* inter talia, quæ ſunt *diverſorum prædicamentorum*, ut *inter ſubſtantiam & accidens*; *Vel* inter talia, *quorum unum* quidem eſt *prædicamenti* alicujus, *alterum* verò *nullius*, *ut inter creatorem & creaturam*. Veruntamen omnis relatio ratione ſuperioris ſui generis appellari poteſt tranſſcendentalis; neque illæ, qui prædicamentales dicuntur, aliquem uſum habent, niſi ad tranſſcendentales referantur. Quare magnoperè errant illi, qui illas toto genere diſtinctas volunt; quippe eadem utriſque convenit definitio, eædemque notæ ac proprietates, ut ſolidè demonſtravit, *Clariſſ. P. Voet. Philoſ. prim. reform. cap.* 28. Interim ſi cui libeat tranſſcendentales appellare, illas relationes, quæ ſunt inter tres perſonas divinitatis, & reliquas omnes prædicamentales, non inconvenienter faciet; Vix enim illæ aliquid præter nomen cum cæteris commune habent.

20. *Quintò* dividuntur *relata*, quod ſint vel *Synonyma*, *eodem nomine*, vel *heteronyma*, *diverſo* nomine appellata. Sed hæc externa eſt à ſigno petita diſtinctio; nec novi eam alicujus eſſe fructûs.

21. *Sexto relata* ſunt vel *æqualia*, vulgò æquiparantiæ dicta, quæ eamdem habent digni-

dignitatem; vel *inæqualia*, diverſâ dignitate conſtantia. *Horum* autem, quod *dignius* eſt, dici ſolet relatum *ſuperpoſitionis*, ut *Creator*; at *indignius ſuppoſitionis*, ut *Creatura*.

21. Eſſentiales & ſummas Relationum differentias tradere ſolus videtur laboráſſe *Keckermannus*, in tabulâ Prædicam. Relationis, ubi ipſas dividit in duas ſummas ſpecies, ut ſint vel *κατὰ φύσιν* ſive naturales, vel *κατὰ θέσιν*, ſive ex inſtituto. Sed utut magno labore, nec minori emolumento illam tradiderit, nondum tamen in omnibus ſatisfacit. Nam 1. exulat omnis relatio rationis. 2. Externa ſaltem diviſio eſt, à cauſa efficiente petita. 3. Quædam relationes ex parte à naturâ, ex parte ab inſtituto ſunt, ut conjugium. 4. Quædam quoque eodem modo inter relata intercedentes, & conſimilem planè habitudinem inter illa oſtendentes, modò à naturâ, modo ab inſtitutione fiunt; prout ſignificatio, inter ſignum & ſignatum intercedens, manifeſtè oſtendit. 5. Deſideratur quoque dependentiæ altera ſpecies, inhærentia nimirum, &c.

23. Alia igitur tradenda videtur, quæ mihi nunc ex reliquis, quas olim tentavi, quam maximè allubeſcit; quam etiam admonitus corrigam. Eſt ergo relatio vel *realis*, vel *rationis*; eo ſcilicet ſenſu, quo ſuprà explica-

plicata eſt; Et hæc quidem *certas ſpecies habere non videtur*. *Realis* autem vel *infinita* eſt vel *finita*. *Prior eſt inter perſonas divinitatis* tantum: *Poſterior inter reliqua* omnia. Ubi & hoc notandum, quod infinitæ tales dicantur, non tantum ratione ſui ſubjecti, ſed & ratione proprii eſſe: At finitæ ſaltem ab alterutro, vel utroque ſubjecto denominantur; In ſe enim nec infinitæ, nec finitæ eſſe poſſunt: Quoniam finitas & infinitas Entis proprietates ſunt; plures diverſitates inter relationes divinas & reliquas, vid. apud *Clariſſ. Voet.* l. d.

24. *Vltimi* autem *generis* relatio, vel eſt *prima* vel *orta*; *Prima* eſt, quæ relato *citra alterius* relationis *interventum* convenit; Eſtque *vel interna vel externa*; *Interna* eſt inter talia, quorum unum eſt de eſſentiâ alterius; adeòque *vel* eſt *Dependentia*, *vel Vnio*. *Externa* eſt inter talia, quorum unum non conſtituit eſſentiam alterius, eſtque *Appoſitio, vel Circumſtantia*. *Orta* denique relatio, in priore aliquâ fundata, eſt *vel convenientia & diſconvenientia, vel ordo*.

25. Et quidem *hæ relationes fundamenta* ſunt omnium *reſpectivarum Entis affectionum*; Unde quoque principia illa prima, quibus ſpecialium Entium affectiones cognoſcimus, deducuntur, quare *de iis inter affectiones* erit dicendum. Et hæc de relatione.

CAPUT. V.

DE

Denominatione externâ.

1. SEquitur *Denominatio externa*, *aliter* etiam *attributum externum* &, quandoque ſimpliciter *denominatio* dicta, ut cum v. gr. dicimus, aliquid rei convenire vel inhæſivè, vel denominativè.

2. *Circa* hujus *notitiam*, indagandum 1. *Quid* ſit? 2. *Quotuplex* ſit? 3. *Quomodo* ab aliis *differat*?

3. Quantum ad *primum*: *Denominatio externa* definitur, quod ſit *attributum denotans ordinem relati externi ad ſuum correlatum*; hoc eſt, oſtendens illud quod extra rem eſt ad illam pertinere. Unde *apparet* 1. Quod *non* ſit *nuda vox*, ſed præter hanc aliquid eâ denotatum, ordo nempe inter Relationem & Relata. 2. Apparet, quod *non* ſit *ipſa res*, à quâ denominatio deſumitur, aut quæ denominata eſt, ſed medium aliquod inter utramque; Quemadmodum dicit Philoſophus, τὸ ἔχειν, ad prædicamentum habitus pertinens, eſſe medium aliquod inter veſtem & eum, qui eâ indutus eſt, ſcilicet veſtitum eſſe; Præterea, mutatâ denominatione

tione externâ non mutatur res, ejusque acceſſu & præſentiâ in re nulla fit compoſitio, ut cum v. gr. Deus dicitur Creator, Conſervator, &c. Quibus accedit, quod denominatio à Relatione deſumatur, eamque ut fundamentum præſupponat: At nec ipſa Relatio Ens vel Res eſt.

4. Hinc ſequitur 3. Quod denominationes externæ *non ſint planè nihil*; Nihil enim de Ente verè dici nequit: At Denominationes externæ verè de Ente affirmantur; ac fundamentum, æquè ac reales relationes, in re nemine cogitante, obtinent; Ac denique Denominationes inter ſe & ab aliis differunt; quod à nihilo eſt alienum. Sunt ergo medium aliquod inter Ens ſtrictè dictum, ſeu Metaphyſicum, & inter Nihil.

5. Quantum ad *ſecundum*; *Variæ differentiæ* denominationum externarum ſunt, quæ *ex termino externæ relationis*, utpote ejus fundamento, omnes *deſumendæ* videntur. Notabis tamen Relationem internam hîc paulò anguſtius ſumi, ac ſuperiori cap. fuit definita; ibi enim ea, quæ intercedit inter cauſas externas, earumque cauſatum, internæ titulo venit, eò quòd cauſæ illæ ad iſtius cauſati eſſentiam pertineant: Hic tamen excluditur, quoniam cauſæ illæ non fiunt partes eſſentiæ iſtius cauſati, aut illud, ut accidentia inhæren-

tia penetrant. Quare hic tantum unio & dependentia cauſativa interna, ut & inhærentia, internæ dicuntur relationes: Reliquæ omnes externæ.

6. Sed ordine iſta fundamenta denominationis externæ, addito exemplo, proponenda. Itaque I. Denominatio deſumitur *à dependentiâ externâ*, & quidem 1. à cauſâ *efficiente* denominatur effectus, v. gr. Corpus vel Naturale dicitur vel Artificiale, homo filius. 2. Efficiens cauſa *ab effectu*, ut Deus Creator, homo Pater. 3. Finis denominatur *à medio*, ut Pax alia bello, alia ſupplicatione & pretio pacta. 4. Medium *à fine*, ut Bellum vel offenſivum, vel defenſivum.

7. II. Deſumitur extrinſeca denominatio, *ab Appoſitione*, ejuſque ſpeciebus, ut 1. ab *adjuncto* ſtrictè dicto, homo dicitur Veſtitus, Ocreatus, Uxoratus. 2. Ab *objecto*, ut Lex civilis & Eccleſiaſtica; homo Rex, vel ſubditus, Dominus, ſervus, &c. 3. A *ſigno*, ut Orion nimboſus, Cometa minax. III. A *circumſtantia*, tam *loci*, ut homines Europæi, Aſiatici, &c. quam *temporis*, ut morbus brevis & chronicus, Homo ſenex, juvenis &c. IV. Ab *ordine*, Res primæ, ſecundæ, principales, minus principales, pretioſæ, viles. V. A *convenientiâ & diſconvenientiâ* res ſimiles, diſſimiles, æquales, inæquales, &c.

ex-

extrinſecâ denominatione appellantur.

8. *Quid tandem* denominatio externa *ab aliis non-entibus differat*, nunc videndum; Et quidem I. differt *à Privatione*, quia hæc in ſubjecto eſt, denominatio verò non ineſt. 2. Privatio denotat abſentiam ejus, quod adeſſe debet, denominatio ordinem ejus quod præſens eſt. II. Differt *à modis*, qui inſunt, & acceſſu & receſſu ſuo ſubjectum mutant: Denominatio verò nec ineſt, nec mutat. III. Differt *ab Ente rationis*, ut quod non eſt, ſed eſſe concipitur: Denominatio verò eſt. IV. Tandem *à relatione*, ut ejus fundamento differt denominatio; quare Relatio prior naturâ eſt denominatione, eamque menſurat, ac ſtabilit.

9. Ex hac de denominatione externâ doctrinâ, varia documenta educi poſſunt, quorum potiſſima ſunt, quæ ſequuntur. I. *Nulla denominatio externa eſt de rei eſſentiâ*; quoniam nempe ab externo accedit. *Unde* quoque denominatio externa 1. *nequit eſſe genus* rei, v. gr. Logicæ inſtrumentum, Philoſophiæ Doctrina, aut Diſciplina. 2. *Nec* poteſt eſſe rei *differentia eſſentialis*, ut in Domino & ſervo &c. II. *Nulla denominatio in re denominatâ facit mutationem*; Quoniam ſcilicet ipſa res non eſt; fundamentumque habet, quod nec ipſum eſt Ens, videlicet relationem. Hinc igi-

tur nulla ſtatuenda mutatio in Deo Opt. Max. quòd is dicatur Creator, Conſervator, &c. III. *Nulla denominatio externa cum re facit compoſitionem*; Non enim magis componet, quam relatio; quæ nec hoc præſtare poteſt. Quare nec ob illas denominationes compoſitio in Deo ſtatuenda eſt. IV. *Omnis denominatio præſupponit reſpectum*; ut pote relationem, ejus fundamentum. Abſoluti igitur quâ talis nulla eſt denominatio externa. Et hæc de Denominatione breviter dicta ſufficient.

CAP. VI.

DE

Ente Rationis.

I. ENs rationis ſequitur, ita appellatum, quod in intellectu ſedem habeat; quẽadmodum reale dicitur, quod eſt à parte rei extra intellectum. *Diverſis* autem *modis accipitur*, & quidem 1. *Latiſſimè* pro omni eo, *quod ad rationem* ſive intellectum aliquo modo *ſpectat*, & ab eodem dependet: *Quod* quidem *triplici* modo vulgò fieri *dicitur*. Quædam enim *effectivè* à ratione dependent, quorſum pertinent, quæcunque ab arte, aliiſque mentis actionibus aut habitibus, opera prodeunt. Alia

verò

verò *ſubjectivè*, ut Potentiæ, diſpoſitiones ac habitus intellectuales omnes, menti ut ſuo ſubjecto inhærentes. Alia denique *objectivè*, qualia ſunt, quæ rebus conveniunt, prout menti objiciuntur, aut quæ omni realitate objectivâ extra mentem carent.

2. Ea quidem, *quæ* duobus *prioribus modis* Entia rationis dicuntur, *veram habent eſſentiam*, adeoque veræ ac realis exiſtentiæ capacia ſunt; Eorum igitur hîc conſideratio nulla eſt. *At* verò *poſtrema Claſſis* Ens rationis *latè* ſumitur, prout & Ens in Potentiâ, & Privatio Entia rationis appellari poſſunt, ut ſupra oſtenſum; At *ſtrictè* tantum, *pro eo quod concipitur* vel fingitur *ac ſi eſſet*; Idque vel *pro omni* eo, adeo ut & Entia ficta & chymærica comprehendat, vel *ſtrictè*, pro ſolo eo, quod fundamentum in re habet, ut Notio ſecunda. *Hic* igitur *pro eo* accipi debet, *quod ac ſi eſſet concipitur*, & *commune* quid eſt *figmentis* & *Notionibus ſecundis*.

3. Quo dato *duplex* ipſius inſtituenda *tractatio*, *Generalis & ſpecialis*. *Illa* explicabit, 1: *An* ſit? *Quid ſit*? 2 3. *Quid* ab aliis differat? 4. *Quæ nam* ejus ſint *requiſita*. 5. *Quo pacto dividenda*? *Hæc vero ſpecies ejus* ſpeciatim *proponet*.

4. *Primo* igitur quæritur, *an ſit Ens rationis*? Cujus quæſiti duplex poteſt eſſe ſenſus; 1. Quidem an ſit à parte rei? Quod negandum; ſic enim aut res ipſa foret, aut

aliquid ad illam neceſſariò requiſitum; Quomodo eſſentiæ & exiſtentiæ extra intellectum foret particeps 2. At ſi quæratur, *an ſit in ratione?* Affirmari poteſt, ſi præſupponatur intellectus de eo cogitare, ac id apprehendere. Neceſſitas autem ejus in genere nulla; Non enim ideo hoc dari debet, quia ens rationis eſt, ſed quia eſt ta'e aliquod, rebus, prout intellectui objiciuntur, conveniens. *Dices* fortè: Atqui huic Enti rationis affectiones reales tribuuntur, ut v. gr. Regiæ ſolis, ſua materia &c. *Reſp.* Eſt Simia Entis realis, adeoque analogicè illæ affectiones ipſi potius affinguntur, quam attribuuntur.

5. *Secundò*, Ens rationis definitur, *aliquid ab intellectu conceptum, ac ſi eſſet.* Aliquid dicitur, quia planè nihil non eſt; Differunt quippe Entia rationis inter ſe, nihilum autem à nihilo non differt. Reliqua diſcriminant hoc Ens rationis potiſſimum à Privatione & Ente in potentiâ; illa enim ab intellectu quoque concipiuntur, ſed ſub aliâ planè formâ, hoc ac ſi poſſet, illa ac ſi deberet eſſe.

6. Atque ita quidem ſimul manifeſtum eſt, quid ab illis differat Ens hoc rationis, non tamen æquè perſpicuum videtur, *quomodo à reliquis diſtinguatur?* Et quidem 1. *Relatio* etiam *ens rationis* dici poſſe videtur, quoniam ipſius forma intellectus opus

opus eſt; Et omninò dantur relationes rationis, quæ nullo modo ab Ente rationis diſtingui poſſe apparent. *Reſp.* Relationis quidem, ut apprehenſæ & æſtimatæ, non autem ut fundatæ, forma dependet ab intellectu; in ſe igitur Ens rationis dici nequit, ut pote per ſe ſuum materiale ac formale poſſidens, antequam ab intellectu concipiatur; Præterquam quòd relatio ſublatâ cogitatione maneat, manente fundamento: At Entis rationis eâ ablatâ, nihil eſt reliquum. Relationes rationis quod attinet, ſi inter figmenta dicantur intercedere, habent ſeſe ad illa, quemadmodum Relatio realis inter Entia, inter quæ verè intercedit, eadem videlicet conſequuntur: Conceptis igitur quibuſdam, ut Entibus, ordo quidam inter illa vel non attendentibus conſequitur. Sed an hoc Ens rationis appellabitur, quòd ens rationis, ut fundamentum ſequatur? Non magis, meo judicio, quam relatio realis ideo Ens reale dicitur, eo quòd Entia realia ſequatur. At quid dicendum de illis Relationibus rationis, in quas, ut in objectum formandum per ſe occupatur ratio, adeoque illas inter vera Entia citra ullum fundamentum intercedere concipit? *Reſp.* Illæ non concipiuntur ac ſi eſſent Entia, ſed ac ſi eſſent relationes, quare denominatione à cauſâ efficiente deſumtâ, non Entia, ſed rela-

tiones rationis appellantur: Quoad cætera maximus eſt conſenſus.

7. Nec fortè minus difficile erit, *Ens rationis*, *à modis Entium diſtinguere*, & præſertim illis, qui ſecundum indæquatam conſiderationem Enti tribuuntur, quales ſunt Principia Entis, ejuſque affectiones plurimæ, quæ materialiter idem planè ſunt cum modificato, ac ſecundùm identicum ſenſum de ipſo in caſu recto prædicantur, adeo ut non niſi ratione diſtinguantur. *Reſp.* Diſtinctio facilis & aperta eſt inter illa: Ens rationis materialiter nihil eſt, at modus talis materialiter eſt ipſum Ens. 2. Nullum Ens rationis cum Ente identificari poteſt, utpote toto genere ab ipſo diſtans: At identificatur talis modus. Diſtinctio quidem rationis eſt; ſed eo ipſo, modus ille diſtinctus cum Ente coincidit, nec Ens rationis eſt. *Dices*: Attamen illa diſtinctio forma eſt iſtorum modorum? *Reſp.* Quid inde? Manent tamen modi in ſeipſum Ens: At Ens rationis, ut formam à ratione obtinet, ita materialiter & in ſe nihil eſt.

8. Sequuntur *requiſita* Entis rationis, quæ ad hæc tria revocari poſſunt 1. *ut concipiatur*. 2. *ab intellectu*. 3. *ac ſi eſſet*. *Primo* requiſito indigitatur, partim ejus exiſtentiam in actu concipiendi conſiſtere, partim ipſum extra illum conceptum nihil

eſſe

eſſe. *Secundo* exhibetur ejus efficiens, intellectus quippe, cujus eſt cogitando concipere. Et quidem hic humanus potiſſimum intelligi debet intellectus; inutiles quippe ſunt quæſtiones, an Deus formet Entia rationis? Et an per intellectum Angelicum formentur? Quæ enim Deus format, ea exiſtentiam veram acquirunt; Nec, alicujus gratiâ ea à Deo prodirent Entia rationis. Angeli, quia finiti ſunt ſpiritus cogitantes, cogitando Ens rationis concipere poſſe, nihil abſurdi, aut quoque difficultatis habet. *Tertium* requiſitum poſtulat, ut ipſi, tanquam Entis ſimiæ, affingantur veſtimenta, id eſt, principia & affectiones Entis; quæ eo modo ſunt, quo ipſum illud Ens rationis, hoc eſt finguntur.

9. *Dividitur* Ens rationis, quod ſit vel *rationis ratiocinantis*, vel *rationis ratiocinatæ. Prius* eſt, quod *fundamentum* habet *in* ſolo *intellectu*, quorſum pertinent *figmenta*, & Chymærica: *Poſterius* eſt, quod aliquod *fundamentum* quoque habet *in objecto* quodam, quod ipſum certo modo menſurat, cujuſque gratiâ inſtituitur: Huc dirigendæ *Notiones ſecundæ*. Et hæc fuit *Generalis* tractatio, ſequitur *Specialis*, *quæ* primò exhiberet *figmenta*, *ſi* horum tractatio *utilis* eſſet; aut magis ſi ipſa certâ lege, menſurâ, formâ, conſtarent; Nunc verò pro vago intellectu

humano ad libitum immutantur. Sint ergo illa Generali iſtâ conſideratione, contenta.

10. *Specialis* igitur Entis rationis tractatio, *ad notiones ſecundas* ſe tantùm extendit; Quas antequam explicem, in anteceſſum *dubium* erit removendum, *annon plura ſint Entia rationis ratiocinatæ, quam Notiones ſecundæ?* Notiones enim univerſales primæ, ſive univerſalia omnia formam ab intellectu dependentem habent: At in reipſa nihil eſſe videntur. *Reſp.* Forma univerſalium eſt conceptus, & is ab intellectu concipiente eſt: At falſum eſt, quod in reipſa nihil ſint; Sunt enim ipſa ſingularia, ut infra oſtendetur. Quare *nota duplicem* hanc inter univerſale & Ens rationis *differentiam*. 1. *Ens rationis* eſt materialiter *nihil*: *Univerſale* autem ipſum *Ens*. 2. *Ens* rationis *toto genere* ab Ente *differt*: At *univerſale* ſaltem *conceptu*.

11. *Notio* igitur ſecunda *conſideranda*. 1. Quoad *nomen*. 2. Quoad *rem*. Dicitur autem *vox* Notio *à notando*, vel notum faciendo, quia ſcilicet notificat aliquid intellectui, unde eſt quaſi imago intellectui objectum aliquod repræſentans; quæ dum ab intellectu reſpicitur, *aliter ſpecies*, vel *idea* appellatur. *Secunda* autem dicitur hæc notio, eo *quod mediante aliâ* quâ notione rem ipſam *repræſentet*, utpote im-

immediatè notionem primam, ejuſque conceptum deſignans, ad differentiam primæ notionis, quæ immediatè rem ipſam repræſentat, adeoque objectivè eſt ipſa res. Quamobrem etiam hæc ſæpiuſculè pro reipſâ ſumitur; unde *nonnunquam Notio ſimpliciter* hanc ſecundam denotat.

12. *Quod rei* ſive naturæ eſt notionis, *explicabitur hiſce articulis*, 1. *An* ſit? 2. *Quid* ſit? 3. *Quid non* ſit? 4. *Quæ* ejus *cauſæ*? 5. *Quis modus*? 6. *Quæ diviſio*?

13. Ad *primum*, non difficile eſt, ait *Burgersdicius* noſter, demonſtratu, quoniam præter ea, quæ rebus tribuuntur, prout ipſa ſunt in ſe, etiam quædam rebus conveniunt, prout à nobis apprehenduntur, atque inter ſe ab intellectu comparantur: Et hæc ſunt Entia rationis, ſive Notiones ſecundæ: Aut clarius, intellectus non ſaltem illa reſpicit, quæ de rebus dicuntur, ſed & ad modum attendit, quo ipſa dicuntur; Ille autem modus notionis ſecundæ eſt fundamentum; Cui ſi accedat actualis iſtius modi perceptio fit ipſa notio. Quare reipsâ non datur, ſed ſaltem cogitatione ſive perceptione.

14. Ad *ſecundum*: *Notio ſecunda* eſt *imago ab intellectu concepta ad repræſentandam habitudinem prædicatorum.* Quæ definitio genere, efficiente, fine ac objecto conſtat.

15. Tales autem *notiones non* ſunt purum putum *nihil*, ut ad *tertiam* accedam; utpote quæ imagines ſunt alicujus, inter ſe & ab aliis differunt, à nobis intelliguntur, & officio quodam funguntur; Quorum nullum puro nihilo convenire poteſt. Nec tamen ſunt Entia realia; ſunt enim 1. quaſi imagines imaginum ſive notionum primarum, quæ in ſuâ formâ, ſaltem Entium realium conceptus ſunt. 2. Mentis & cogitationis beneficio à puro nihilo ſeparantur, atque ita conſtituuntur. 3. Sunt media, quibus res ac Entia cognoſcimus: Atque hæc ſi Entia forent, aliis mediis ad ſui cognitionem opus haberent; quare proceſſus foret in infinitum, ipſumque Ens incognitum maneret; Infinitum enim quâ tale incognitum eſt.

16. Nec difficili negotio *à Privatione & Ente potentiali* diſtingui poteſt Notio, licet genere cum ipſis conveniat; eo enim modo differt, quo omne Ens rationis. A *modis Entium* quoque *differt*, utpote formaliter in ente conſtitutis, aut per inadæquatum modum conceptis. A *Relatione* autem, quod ex multis relationibus rationis oriatur, adeo ut ſit quaſi imago variarum relationum beneficio conſtituta. Dicitur quippe imago repræſentans convenientiam, id eſt relationem, prædicatorum, id eſt eorum, quæ etiam ad aliud referuntur.

17.

17. *Cauſæ* Notionum ſecundarum ſunt vel *efficiens*, vel *Materia*, vel *finis*. *Forma* enim earum *ex efficiente & fine* componitur.

18. *Efficiens* cauſa earum *duplex*, *Principalis* & *Minus principalis*: *Principalis* efficiens eſt *intellectus*, utpote qui cogitat, & cogitando aſſimilat. Sunt quippe cogitationis beneficio notiones ſecundæ. *Minus principales* ſunt *diverſi* illi *actus*, tam *præparantes*, quam *conſummantes*, quos inſtituit intellectus, ut ſibi tales imagines efformet; ſuntque potiſſimum *quatuor*. *Primò* enim *format* notiones primas. 2. Eas factas inter ſe *comparat*, ut ſcilicet appareat, quo pacto Enti conveniant. 3. *Reflectit* ſe ad illam comparationem, ut ſcilicet illum arctius inſpiciat. 4. *Percipit* modum ex illâ comparatione, quo & notiones primæ Enti conveniunt, & inter ſe, & ab ipſo apprehenduntur, cujus perceptio notioni ſecundæ ultimam manum addit.

19. *Materiam* notionum *conſtituit partim* earum *ſubjectum*, quod eſt ipſe *intellectus*, *partim fundamentum*, quod *duplex* eſt *remotum* & *proximum*. *Remotum* eſt relatio quædam rerum ac attributorum inter ſe; *Proximum* verò modus, quo illa relatio apprehenditur ac concipitur.

20. *Finis* notionum ſecundarum eſt *repræſentare* habitudinem eorum, quæ Enti conveniunt, adeoque *ut ſint conceptus*, il-

lum

lum quo cognoſcimus ſuâ ſimilitudine *adumbrantes*, atque ita *cognitionem* noſtram non mediocriter *promoventes*.

21. *Modus* notionum ſecundarum, *in eo* collocandus, quòd ipſæ certâ *lege*, certoque *numero* ac *ordine* fiant. Certâ autem *lege* fiunt, ſi intellectus, debito modo actus illos, ad formationem ipſarum requiſitos, inſtituat; atque adeo illam habitudinem ejuſque modum, tanquam fundamentum ſequatur; Planè ſecus ac in figmentis, quæ nec debito illo modo ac fundamento, neque inſequentibus intellectus actibus opus habent. Debitus *numerus* in eo conſiſtit, ut, licet multæ uni Enti tribuantur, eo quod ipſum pluribus modis cum aliis ratione prædicatorum comparari poſſit; illæ tamen certo numero conſtent, nec prorſus infinitæ ſint. Conveniens denique earum *ordo* requiritur, qui naturali prædicatorum ordini, quoad ejus fieri poteſt reſpondeat.

22. Conſpicua quidem *diverſitas*, eademque ſatis inſignis, inter notiones ſecundas eſt; non tamen æquè manifeſtum, quo pacto in ſuas ſpecies ac claſſes dirimendæ ſint. Intentatum quippe hoc: Mihi notio ſecunda vel *vocum* eſt vel *rerum*: Notionis *vocum* exempla præbent Grammatici. Notio *rerum* vel eſt *ſimplicium*, vel *complexarum*, prout vel ſimplex vel com-

complexum thema repræſentat; ad illam pertinent, Genus, ſpecies, ſubjectum, prædicatum, &c. Ad hanc autem Propoſitio, ſyllogiſmus, inductio &c. Quibus nunc acquieſco, alibi prolixius examinaturus, quid hæc diviſio frugi habeat; Quo dato reliquas inferiores ſpecies enumerabo.

CAP. VII.

DE

Ente in Potentiâ.

1. ENs in potentiâ, vel aliter Ens poſſibile, eſt, quod cum non ſit, concipitur tamen ac ſi poſſit eſſe: ſive, quod non quidem exiſtit, ad exiſtendum tamen nullam involvit repugnantiam.

2. Hoc igitur materialiter nihil eſt, utpote quod non eſt, aut exiſtit, neque per ſe, neque per aliud: formaliter tamen certum genus eorum quæ ſunt aliquid, per conceptum noſtrum conſtituit.

3. Formalitas autem illa non repugnantiæ ſive poſſibilitatis ad eſſe concipitur. 1. Ratione cauſæ. 2. Ratione objecti poſſibilis. Illius quidem, quatenus virtus ſive potentia alicujus cauſæ talis & tanta eſt, ut per illam tale Ens eſſe acquirat. Hujus verò quâtenus ipſum illud talibus conſtat præ-

prædicatis, quæ contradictionem aliquam non involvunt. Et quidem poſſibilitatem illa duo includere, ex oppoſito ipſius impoſſibili apparet; Hoc enim quia nunquam extra cauſas produci poteſt, in terminis *primo* involvit contradictionem, *ſecundò* nunquam in virtute cujuſcunque cauſæ eſſe aut fuiſſe; Poſſibile igitur tam contradictionem tollit, quam virtutem in cauſa præſupponit.

4. Quoniam verò duplex virtus eſt, infinita & finita, *duplex* quoque *poſſibilitas* ſtatui debet, una *abſoluta*, quâ ejus eſſe infinitâ virtute procurari poteſt: Hæc etiam poſſibilitas Logica appellari poteſt, utpote quæ ex terminorum contradictione negatâ æſtimatur: Altera *comparata*, quando aliquid poſſibile æſtimatur ex virtute finita; Hæc verò non tantum non-contradictionem præſupponit, ſed & 1. præſentiam ſubjecti. 2. ejus aptitudinem, tam quæ ordinario curſui objicitur, quam quæ extraordinariæ operationi obedit. Si ordinarius curſus præſupponatur dicitur Ens in potentiâ Phyſicâ: Sin alteri iſti pareat, in potentiâ obedientiali eſſe dicitur. Interim nota, etiam aliquando virtutem infinitam extraordinario modo ad ſubjectum revocari poſſé, inque eo operari, quæ etiam ſubjecti aptitudo, quâ illam actionem reciepre poteſt, obedientialis potentia dicitur:

tur: Sed hæc ratione Dei, illa ratione Artis obedire dicitur.

5. Virtus illa ſi determinetur aut à ſeipſa, aut aliunde, ut aliquid ſibi poſſibile exiſtere faciat, illud poſſibile *futurum* facit; Quod proinde vel *abſolutè* tale eſt, ratione ſcilicet cauſæ infinitæ, cui nihil obſtare poteſt, vel *comparatè*, ratione virtutis finitæ, quæ impediri poteſt: Poſſibilium verò in ſe nulla eſt futuritio antecedenter ad voluntatem Dei decernentem: Licet abſolutè futura dicantur, ex hypotheſi conſtantiæ determinationis virtutis divinæ. De Poſſibilitate autem latius in ſequentibus dicendum, eô loci, ubi de Perfectione agetur.

6. *Vnum* tamen hîc *inquirendum* reſtat, videlicet, *annon hoc Ens poſſibile*, ſeu in potentiâ, *ad ſubjectum materiale Metaphyſices pertineat?* Metaphyſica enim ipſum Ens ab exiſtentiâ videtur ſeparare, ut pote illud non præcisè jam exiſtere conſiderans. *Reſp.* Neutiquam; Ens enim in potentia ab eo excluditur, ut ſupra oſtenſum; Et quomodo includeretur, cum uno conceptu communi, cum Ente actuali, illo ſcilicet, quod Deo & Creaturis commune eſt, concipi nequit; Non enim hoc habet, ſed habere ſaltem poteſt, ut exiſtentiam, ita & eſſentiam, ut quæ indivulsè cohærent. Metaphyſica quidem à determinato

to hîc & nunc auffert ſuum Ens, non tamen prorſus ab omni; Singularia enim talia eſſe relinquit, licet ea communi quodam conceptu conſideret, ſecundum quem non nunc præcisè, ſed aliquando ſunt.

CAP. VIII.
DE
Privatione.

1. PRivatio ſequitur, id quod non eſt ac ſi deberet eſſe repræſentans; etiam, *quoad nomen*, ac id *quod* ipſius *Entitati ſubeſt*, conſideranda.

2. Ad nomen *ambiguè dicitur* privatio. 1. *Latè* de *omni* & quâcunque *negatione* quomodò viſu carere lapis dicitur. 2. *Anguſtius*, quâtenus etiam *privationem includit phyſicam*, hoc eſt, quâtenus id quod adeſſe poteſt, & quoque, ſed nondum ordinario naturæ motu, aderit, quemadmodum in Ovo privatio dicitur eſſe pulli, ſignificat: Atque *in hac* ſignificatione *Privatio Phyſica* dicitur, atque inter generationis principia vulgò numeratur. 3. *Adæquatè*, quâtenus ſaltem *debitam* perfectionem *negat*, hoc eſt, quando jam aptum eſt ſubjectum habere, & illud quod adeſſe negatur, haberi, non tamen hoc habetur, nec illud habet, quemadmodum Animali morbus convenit. Atque *in hac* ſignificatione, prout vera ac

pre-

proprie dicta eſt privatio, ita *hîc conſideranda* venit.

3. In *rei* vel quaſi rei *conſideratione*, diſtinctè *explicandum*, 1. *An* detur privatio? 2. *Quid* ſit? 3. *Quid non* ſit? 4. *Quomodo dividenda*?

4. I. *Dari* privationem, *ambigendum* eſſe *non* videtur, cum actu & de facto multa de rebus dicantur, quæ, cum non ſint poſitiva, alicujus perfectionis iſtis debitæ involvunt negationem, ſicut homo dicitur cæcus, ægrotus &c. *Attamen* vehementer *obſtare videtur*, 1. Quod dari ſit idem quod poni in rerum naturâ, & hoc quod poſitivum eſſe; Quare dum privatio non poteſt eſſe poſitiva, nec poni, nec dari quoque poſſe videtur. 2. Quoniam id quod datur in rerum naturâ, alicubi præſens eſſe debet; Atqui præſentia exiſtentiam, & hæc Ens præſupponit; Quare ſi daretur privatio, ens fore videtur. 3. Et magis, quod datur, productum ut ſit oportet; Non Ens autem produci nequit, ſed tantum Ens; prout cauſam habere producentem & exiſtere facientem, ipſi Enti tantum convenit. *Reſp.* Ad deciſionem notandum, duo privationis conceptu includi poſſe, 1. puram abſentiam, iſtius quod adeſſe debebat, & ſic neutiquam datur privatio, ſed in ſe non-Ens & nihil eſt, Ex gr. ſi cæcitas præciſe ſignificet ipſam viſus

ſus abſentiam in oculo humano, non datur, ſed dati ſeu debiti eſt negatio. 2. Illam diſpoſitionem partium ſubjecti, quæ, quod ibi ſit, ubi ipſi eſſe non convenit, prava dicitur; Atque ita quidem datur, ſed non niſi denominativè eſt ipſa privatio. Ex gr. ſic illa diſpoſitio partium oculi datur quidem, ſed quia nunc talis eſt, ut actiones lædat aut tollat, ideo prava dicitur & morbus, vel privatio, ſed non niſi denominativè; ipſa enim illa diſpoſitio poſitivum quid eſt, à poſitivâ etiam cauſâ factum.

5. II. *Quidditas* Privationis *definitione* explicanda eſt; Hanc autem mihi definitionem conſtitui, quod ſit *perfectionis debita abſentia*; *Abſentia* dicitur *vel* & *Negatio*, quâtenus hæc abſentiæ eſt index: Attamen licet omnis privatio ſit negatio, non tamen vice verſâ omnis negatio eſt privatio: Differunt quippe inter ſe 1. ſubjecto, quod privatio præſupponit, negatio tollit. 2. Objecto, quoniam privatio negat debitam perfectionem, Negatio quamcunque. 3. Modo, quia privatio habilitatem ſubjecti præſupponit, quam ne curat quidem negatio.

6. *Illud quod* per privationem *abeſt* & negatur, *debita* eſt *perfectio*. *Perfectio* dicitur, *quâtenus ad complementum* rei, tali tempore, ordine & conditione conſtituendæ *requiritur*, *quæ* quoque eò ipſo, quòd

quòd quaſi à ſubjecto, haberi debeat, *habitus* appellatur, *qui* ideoque hîc nihil eſt, niſi *debitæ* iſtius *perfectionis præſentia*.

7. *Debita* autem hîc dicitur, iſta privatione negata *perfectio*, eô *quod* ipſi *ſubjecto* vel *naturâ*, vel *tempore*, vel *ordine conveniat*. *Naturâ* inquam, prout illa perfectio ad eſſentialem rei conſtitutionem aliquo modo pertinet, prout Animal naturâ ſuâ viſus ſubjectum eſt. *Tempore* autem, quâtenus ad illam conſtitutionem poſſidendam nonnunquam prærequiritur quædam præparatio, aliquo temporis tractu peragenda, quo nondum exſpirato, abſoluta nondum cenſetur debita iſta perfectio; adeoque tum ejus abſentia privatio dici nequit. Quemadmodum catuli ante nonum diem non videntes non rectè appellantur cæci; & infantes ante ſextum menſem licet dentes non habeant, edentuli tamen non ſunt dicendi. *Ordine* denique quâtenus, aliquâ ſucceſſio, inſtitutio, aut contractus requiritur ad iſtam præſentiam, ac perfectionis debitudinem, quibus non extantibus non fit privatio, licet ea perfectio non acquiratur. Ita filius Regis non niſi poſt mortem Patris regno carere dici poteſt.

8. Ad *tertium*, 1. Hinc patet *privationem non eſſe* purum ac putum *nihil*, quoniam nihil non eſt alicujus ſubjecti. At pri-

privatio requirit ſubjectum. Nihil à nihilo non differt. At à privatione differt privatio, à cœcitate ſurditas. 2. *Nec tamen eſt res aliqua* vel Ens. Hoc enim quid poſitivum eſt, ac ponit perfectionem: At privatio negativa & perfectionem tollit. Quinimo ſi privatio foret Ens, privationis poſſet dari privatio; adeoque daretur proceſſus in infinitum.

9. *Quartò*, Privationis *diviſio* ex oppoſita habitus ſive debitæ perfectionis diverſitate petenda. Quare dum perfectio rei vel à natura, vel ab ordine & inſtitutione ipſi convenit, *Privatio* quoque vel *Naturalis* erit vel *Politica. Priore tollitur perfectio* naturæ *debita*; *poſteriore* ea *quæ ab inſtitutione*, vel mandato eſt.

10. *Naturalis* privatio vel eſt ipſius *eſſentiæ*, vel *Proprietatum* eſſentiæ. *Illâ* tota rei *natura perit*, adeo ut naturali naturæ ordine ab ipsâ non detur regreſſus, ut à morte ad vitam; quare ea ipſa quoque ſubjectum illud è tali ſuo eſſe deſtruit.

11. *Privatio proprietatum*, vel eſt *concomitantium*, id eſt, *potentiarum*, vel *conſequentium*, id eſt *actuum*. *Illa nunquam* fit, *niſi ſimul* adſit *eſſentiæ privatio*, *quare* & illa ipſa, æquè ac illa eſſentiæ *totalis* appellatur, *neque* ordine naturali *regreſſum* ad habitum *patitur*. Hæc autem *ſubjectum* tali in eſſe *remanere præſupponit*, quod

quod tamen vitio organorum aliorumque ad operationem requiſitorum, actibus ſuis fruſtratur. *Quare* etiam *partialis* dicitur, *regreſſumque admittit* ad habitum.

12. Hîc tamen notandum, illum regreſſum quidem non admitti à privationibus Eſſentiæ & proprietatum concomitantium; non tamen proinde ab omnibus partialibus & conſequentium proprietatum privationibus admitti debere; Nam & inter has ſunt, quæ naturalem regreſſum excludunt.

13. Præterea attendendum, nonnunquàm aliter accipi Privationem totalem & partialem, ut ſcilicet totalis non ſit, quæ totam eſſentiam deſtruit, ſed quæ deſtruit omnem planè actum, ut univerſa cœcitas: Partialis verò quæ actum depravat, aut imminuit, ut in Myopia, Nyctalopia, & obſcuritate viſus cerni poteſt. Atque in hunc ſenſum nonnulli etiam dicunt à totali privatione non dari regreſſum; Quod licet in quibuſdam obtineat, in nonnullis tamen planè fallit; Ventriculus quippe non ſolum à Bradypepſiâ, & Dyſpepſiâ, ſed & ab Apepſiâ ad ordinariam coctionem reduci poteſt.

14. *Politica* privatio, ita Doctrinæ causâ appellata, eſt *defectus* iſtius *perfectionis*, quæ eſt *ab inſtituto*. Eſtque vel *communis*, vel *Propria*. *Illa* eſt *defectus à regulâ* & normâ, *vitæ* & actionibus præ-

ſcriptâ; Adeoque eſt *peccatum. Hæc* verò eſt *partim carentia* graduum *dignitatis, affinitatis* ac *conſanguineitatis*: *partim defectus poſſeſſionum ac divitiarum*, &c. Et hæc de Privatione, adeoque & reliquis Mediis, pro inſtituto dicta ſufficient.

CAP. IX.

DE
Principiis.

1. IN omni *ſcientiâ tria requiri* ſupra dictum eſt, *Subjectum*, ejuſque *principia* ac *affectiones*, eademque aliquo modo inter ſe diſtincta; *Quare* nec minus *illa Metaphyſicæ* tribuenda videntur, utpote quæ ſcientiarum eſt accuratiſſima. Fuit quidem conſideratum Ens, tanquam ejus ſubjectum, *qualia* autem ejus ſint *principia*, *qualeſque affectiones*, ac *quomodo* ſe ea *ad Ens habeant*, prænoſcendum nunc reſtat; Materia ſatis ardua, ac vix dum ab aliis tentata, in quâ glaciem quaſi frangendo, conabor explicare, *primò principia, deinde affectiones.*

2. Quantum igitur ad *principia*, 1. *explicanda* generalis eorum *natura* ac diverſitas *in actu ſignato*. 2. *In actu exercito* ipſa *ad Ens* erunt *referenda*.

3. *Principium* ergo *generaliter definitur*, quòd

quòd ſit *illud, unde res eſt, fit ac cognoſcitur.* Quæ definitio ob generalitatem, omnibus modis dependentiæ latiſſimè dictæ, adeoque & omnibus cauſis, tam rei, quam cognitionis accomodari poteſt; Unde *duplex* communiter ſtatuitur principium, ſcilicet *eſſendi*, quod etiam principium fiendi ſub ſe continet, & *cognoſcendi*, quorum *hoc complexum*, eo quòd axiomata conſtituat, *illud* autem *incomplexum*, utpote ſimplici termino apprehenſum, appellatur.

4. Principium porrò *eſſendi*, vel eſt *externum*, vel *internum*. Exerna, quæ actione aliquâ intercedente aliquid à ſuâ eſſentiâ diverſum conſtituunt, Efficiens & finis ſunt. Interna autem ipſam eſſentiam ingrediuntur, eamque intrinſecè conſtituunt, ita ut ipſa rei eſſentia evadant, neque ab ipsâ ulterius diſtingui poſſint, niſi vel ratione ratiocinatâ, vel conceptu quodam inadæquato, per modum alicujus originatione conceptuum prioris; Qualia corporis naturalis ſunt materia & forma.

5. Ex his igitur enumeratis Enti quædam convenire debent, aut ipſum omni principio deſtituetur; Quænam autem conveniant, quænam non, in ſpecie videndum. Occurrunt itaque 1. Principia complexa, quæ ſunt axiomata quædam, ex ſolis terminis, eorumque complexione nota. Atque hæc quidem ut in omni ſcientiâ ita

quoque in Metaphyſica requiruntur; Sed ea non ſunt ipſius ſubjecti, ſed cognitionis noſtræ principia: Scientiæ autem eſt, principia ſui ſubjecti ſtatuere. Quare licet adſint illa principia cognoſcendi, alia tamen, quæ aliquo modo & eſſendi ſunt principia, Metaphyſica ad ſuum ſubjectum poſtulare videtur.

6. *Dices*: Metaphyſica, quoniam Sapientia eſt, hoc eſt, ex intelligentia & ſcientia conflata; etiam complexorum principiorum eſt cognitio; Quare hæc ſufficere videntur. *Reſp*. Ita quidem eſt: Sed Metaphyſica tamen non facit illa principia cognoſcendi, ut ſint principia ſui ſubjecti: Sed illa ex notionibus ſuis eruta, vel ſui vel alterius ſcientiæ ſubjecti cognitioni ſubſternit. Quare nec propterea illa complexa ſufficere videntur; Quoniam & illa cognoſcendi principia, ſi proxima fuerint, ab ipſis principiis eſſendi, eorumque notionibus deſumi debent; quâtenus nempe axiomata certa & indubitata ex eis circa ſubjectum colliguntur.

7. Deinde inter *eſſendi* principia *primò* occurrunt *externa*: Sed *hiſce Ens* quâ Ens porſus *caret*; neque in ſcientiâ omni requiruntur, utpote extra eſſentiam ſubjecti conſtituta. Ea quippe ſi enti ut ſic velles tribuere, proceſſum in infinitum non evitabis. Principia enim eſſendi externa, ab

Ente

Ente realiter deberent diſtingui, nec tamen minus quidquam eſſe, quam Ens, utpote virtute ſuâ Ens continentia. Quare ſi hæc Entia dicantur, viciſſim alia requirerent principia; Quæ, eo quod entia eſſent, & Ens omne ex hypotheſi principia externa haberet, denuò alia requirerent; Et ſic manifeſtus eſt ille proceſſus. Deinde Deus Ens eſt, principia tamen talia non habet, ob ſummam ac infinitam ſuam perfectionem, ac omnimodam independentiam; Quod autem non convenit omni Enti, id quoque Enti, quâ Enti non convenit.

8. *Interna* igitur ſola *reſtant*, *quæ* vel ideò *requiri videntur*, quod alias nulla ſubjecto Metaphyſicæ convenirent; adeoque nullæ affectiones aut directè, aut à priori de Ente demonſtrari poſſent. Imò ſic nulla axiomata, ſive complexa cognitionis principia, debitè formarentur; iis enim ut conſtet ſua veritas, in ipſius Entis fundantur principiis, adeoque aliquid, Enti à priori conveniens, exprimere debent. Quin & principia demonſtrationis indirectæ, ſive ad impoſſibile ducentis, (quale eſt illud: *Impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*) utpote negante modo expreſſa, aliud præſupponunt, cujus modus eſt affirmans, quale v. igr. eſt: *Neceſſe eſt, quodlibet eſſe vel non eſſe*; quod in ipſo Ente ipſum eſſe præ-

ſupponit, tanquam aliquod prius; quemadmodum ſemper abſtractum concreto ſuo, aliquo ſigno rationis ad minimum prius concipiendum eſt.

9. Vehementer tamen *obſtare videtur* 1. Quòd Entis principia in genere, etiam Deo, ac attributis divinis accommodari deberent; Nihil enim Enti ut ſic, tribui debet, quod iis, de quibus Ens dicitur, repugnet. 2. Quòd videantur illa principia Entia eſſe debere, adeoque iterum alia requirere principia, quare per ea, æquè ac externa, proceſſus in infinitum induceretur. 3. Quòd ſic omne Ens compoſitum foret, ex illis videlicet principiis, quæ quia ſunt interna, videntur nulla alia eſſe poſſe, præter materiam & formam. At nihil abſurdius, quam Ens quâ Ens dicere compoſitum, præſertim ex materiâ & formâ. 4. Quod ſic Ente aliquid prius concedendum eſſe videretur; Quoniam principiũ omne ſuo principiato prius eſt. Verùm enim verò quoniam *duplicia* ſunt *principia* interna incomplexa, *quædam* videlicet, quæ *ſimul cauſæ* ſunt ſubjecti & affectionum *propriè dictæ*, ideoque *re differunt*, ab eo cujus principia eſſe dicuntur: *Quædam* verò *re non diſtinguuntur, ſed* ſaltem ſunt *rationes* ſive notiones *per modum antecedentiũ conceptæ*, quibus ad conſequentium notitiã venire poſſumus, quo pacto Deitas eſt principium infinitatis, quia hæc illam præſupponit. Ea igitur,

quæ

quæ *primi ordinis* ſunt principia, hic omninò *negari debent*, ob allatas rationes; Quibus tamen *poſterioris ordinis* principia *non tolluntur*; Vid. *Combacchium, lib.* 1. *Metaph. cap.* 3.

10. Quare ea Entis *principia ita erunt conſtituenda*, *ut Deo*, ejuſque attributis *non repugnent*, ac ſimul *omni Enti conveniant*. *Non* igitur *Entia* quædam, ab eo Ente, cujus ſunt principia, erunt *diſtincta*; nedum materia & forma, licet ipſis ratione officii aliquo modo analoga. Quæ proinde proceſſum in infinitum non involvunt, neque Ens compoſitum aut alio aliquo poſterius reddunt, utpote quæ ſaltem inadæquato modo conſiderandi, per modum antecedentium in ſigno rationis, ſive ſecundum originationem conceptuum, de Ente concipiuntur, ac ſi junctim ipſum Ens conſtituerent: Quod omninò ſecundum conceptus ipſorum formales locum habet; à parte enim objecti & rei idem planè ſunt, cum ipſo Ente.

11. In ordine igitur Entitatum *ad modos revocanda* ſunt, quoniam concipiuntur ſecundum formas ſuas in ipſo Ente eſſe, illudque conſtituere. *Inadæquati* quippe *modi* Entis *duplicis* generis ſunt, *alii* enim *per modum antecedentis*, qui *principia*, *alii per modum conſequentis*, qui *affectiones* dicuntur, ipſi Enti ineſſe concipiuntur.

12. *Talia* autem principia *vulgò Eſſen-*

tia & exiſtentia dicuntur: Sed *non ſatis accommodatè. Primò* enim illa principia ita conſtituenda ſunt, ut Enti quâtenus eſſe habet, in omni ratione conveniant, neque ab ipſo vel conceptu ſeparari & abeſſe queant. At Ens nec ſemper, nec omne, ut præſens ſuum eſſe habens, hoc eſt exiſtens concipitur; Ita enim nunquam ſine ſingularitatis formâ concipi poſſet. *Secundò*, eſſentia non præcisè infert ipſum habere τὸ eſſe, quod tamen quam maximè ad principii radicalis rationem requiritur, ſed præterea certum quem modum, quo illud eſſe habetur, quare alterutrius principii quaſi modus eſt, & entis potius affectio, quam principium. *Tertiò*, exiſtentia non niſi modum ipſum eſſe conſequentem, quâtenus ſcilicet Ens hoc præſens habet, denotat; Quare nec minus quam eſſentia principii alicujus modus eſſe debet. *Quartò*, interna principia Entis analogicè materiæ & formæ, eſſe naturale corporis naturalis conſtituentibus, reſpondere debent. Quemadmodum igitur hæc ipſum eſſe naturale inferunt, & quidem materia prout illud ipſum ſimpliciter eſt naturale; forma verò prout illud tale vel tale eſt, diſtinctum à quovis alio: Ita quoque principia Entis, ipſum eſſe Entis inferre debent, adeo ut unum illud eſſe conſtituat, hoc eſt poſſideri vel haberi, alterum

terum illud à quocunque alio diſtinctum dicat.

13. Cui negotio ſufficere exiſtimo, ſi *principia* Entis *interna* ſtatuantur eſſe *Conſtitutio* & *Diſtinctio.* Et quidem ut *Conſtitutio* ſit ipſius *eſſe poſſeſſio*, hoc eſt ipſum eſſe, quâtenus poſſidetur: *Diſtinctio* verò ipſius *eſſe ſeparatio*, ſive ipſum eſſe, prout ab aliis diſtinguitur. Quod ut pateat, imprimis notandum, tam conſtitutionem, quam diſtinctionem, *non ſemper poſitivo* ſenſu accipi debere, ac ſi omne Ens ab alio aliquo eſſet conſtitutum, aut ipſo actu ab aliis diſtinctum: *ſed* & quandoque *negativo*; quomodo & Deus negativè conſtitutus dici poteſt, quâtenus nihil aliud eſt, quod ipſum conſtituat: Et ante mundum creatum, negativè diſtinctus dici poteſt, quâtenus & tunc æquè ac nunc eſſe ſibi proprium obtinebat. *Neuter* tamen ſenſus *hîc* ſeorſim *acceptandus*, *ſed* aliquis *indifferens* ad utrumque.

14. Atque hunc in modum non tantùm omni Enti conveniunt Conſtitutio & diſtinctio, ſed & ex iis abſolutæ Entis proprietates ſeu affectiones omnes deduci ac demonſtrari poſſunt; Cujus gratia Principia Entis potiſſimum inveſtiganda videbantur. Et hæc de principiis Entis.

CAPUT. X.

DE *Affectionibus.*

1. R*Eſtant* denique inveſtigandæ, ac cum Ente conferendæ, ipſius *Affectiones*, quæ de ipſo per ſua principia demonſtrantur; Quæ conſimiliter *explicandæ* veniunt, 1. *quoad actum ſignatum.* 2. *quoad exercitum actum.* Adeò *ut in priori* conſideratione *generalis* affectionum *natura* ac differentia *explicetur*: *in poſteriori* verò exædem *cum Ente conferantur*, ipſique applicentur.

2. *Prior* igitur partim *nominis*, partim *rei explicatione abſolvitur*. Quoad *nomen* igitur; *Affectio ab afficiendo* nomen habet, eô quod ſubjectum, dum de illo prædicatur afficiat. *Significat* autem *modò animi affectum*, qualis eſt ira, amor &c. *modò diſpoſitionem praviam*: *modò reſpectum* & relationem; *modò* quodvis *accidens*: *modò* denique *proprium* alicujus πάθος ſeu *attributum*, ex eſſe ipſius reſultans; *idque* vel *latè*, prout etiam tribuitur illis, quæ non-ſunt omninò nihil, v. gr. Privationi, Relationi &c. vel *ſtrictè*, prout ſoli Enti tribuitur.

3. Et quidem *in hac ſignificatione*, hîc retinendâ, *aliter* dicitur 1. *Proprietas*, quòd ſoli ſuo ſubjecto conveniat. 2. *Paſſio*, quod Ens in prædicando ab ipsâ quaſi patiatur. 3. *Attributum*, quod quidem aliis, præ reliquis, eò quod aliquam imperfectionem videantur involvere, maximè allubeſcit, mihi verò generalius debito eſſe videtur, eò quod etiam dentur attributa v. g. genus & differentia, quæ tamen affectiones non ſunt. Neque ulla, in reliquis apparet imperfectio, niſi quod aliquam paſſionem ſeu ſubjectionem ſubjecto tribuant, quæ, cum nulla ſit, niſi prædicationis, & non ſtrictè dictæ paſſionis aut inhæſionis, etiam nomine Attributi involvitur.

4. In *reipsâ* videndum 1. *Quid* ſit *Affectio*? 2. *Quotuplex* ſit? Quoad *primum*, *Affectio eſt attributum alicui proprium, ad eſſe ipſius conſequens. Vnde* conſtat, 1. Quod omnis *affectio* de ſuo ſubjecto *debeat prædicari*; non enim alias foret attributum. 2. Quod *de ſubjecto ſolo* debeat dici, quoniam proprium eſt ipſum conſequens: non quidem ſemper ordine naturæ ſtrictè dictæ, ſed etiam ordine originationis conceptuum.

5. Ad *ſecundum*, *Affectio* vel *abſoluta* eſt, vel *reſpectiva*. *Abſoluta* dicitur, *quæ* ſubjecto, *per ſe* convenit, adeoque ex

ipſis principiis jam unitè ſpectatis emanat, adeò ut certus aliquis modus ſit, ipſi ſubjecto conveniens, eô quod ex talibus principiis conſtet. Et *hujuſmodi* affectiones vel *accidentales* dicuntur, eò *quòd* etiam *abeſſe poſſint*, vel *eſſentiales*, *quòd* ſalvo ſubjecti eſſe *non abſint*.

6. Atque hæ *eſſentiales nonnunquam à ſubjecto* ſuo *diſtinguuntur*, non tantum formaliter, quod ſemper & in omnibus ad minimum requiritur, ſed etiam *ſecundum rem* ipſam, quia tales affectiones etiam diſtinctum ſuum eſſe, licet à ſubjecto dependens habeant; Quales v. gr. dicuntur eſſe propria Accidentia ad ſeries categoriarum reducta. *Nonnunquam* verò *tantum formaliter* diſtinguuntur, ſuntque nihil aliud, quam inadæquati quidam modi, ipſum ſubjectum conſiderandi.

7. Præterea *talis affectio*, *vel* eſt *Poſitiva*, *vel Negativa*; *Illa* poſitivam ſui modi *præſentiam indicat*: *hæc* verò *oppoſiti* alicujus *negationem*; Quod imprimis intelligendum *ratione vocis*, quæ ob defectum melioris negativa eſt, aliquid poſitivum nihilominus in re deſignans; deinde & *ratione conceptûs*, quâtenus is per remotionem oppoſitæ, ſive imperfectioris, ſive perfectioris, poſitivo conceptu apprehenſæ, perfectionem aliquam, aut aliter non comprehenſibilem, aut difficulter

ex-

exprimendam, repræſentat.

. 8. *Reſpectiva* dicitur affectio, quæ *ſubjecto convenit*, *ob relationem* ſeu reſpectum ipſius ad aliud; *Quæ* proinde, quòd ex relatione oriatur, non niſi *externè denominat*.

9. Sequuntur nunc *Affectiones in actu exercito* conſiderandæ, quâtenus Enti tribuuntur; Quæ & ideo *tranſſcendentales* appellari poſſunt, quod ſpecies & genera prædicamentalia Entium ſuâ generalitate ſuperent: *Minus rectè* tamen, ſeorſim, *tranſſcendentia* dicuntur; Illa enim appellatio, non minus Enti ejuſque ſynonymis, quam Affectionibus tribuenda, non tantum ratione communitatis ſignificandi, ſed & generalitatis conceptuum.

10. *Affectiones* igitur, quâtenus Entis ſunt, *expendendæ* veniunt, inquirendo 1. *An Enti conveniant* affectiones? 2. *Quid ſint* illæ? 3. *Quid Enti ſuperaddant?* 4. *Quotuplices ſint?* 5. *Quis ordo* inter eas de Ente demonſtrandas, in genuino Metaphyſicæ tractatu, obſervari debeat?

11. I. *Dari Entis affectiones*, utut negandum non videatur, *non admodum firmiter* tamen alii plerique eas *demonſtrârunt*. *Burgerſdicius*, id non debere eſſe dubium aſſerit, quoniam datur medium inter Ens & nihil. Sed non ſtringit ratio, à poſitione generis ad poſitionem determinatæ ſpeciei; qualis eſt v.gr. hæc: Da-

tur Animal; Ergo datur homo. Non enim omne medium ſtatim Affectio eſt Entis. *Alii* illas dari probant, quia dantur de facto Unitas, veritas &. Sed ſic quod inquiritur, deſideratur, nempe an unitas, veritas &c. ſint Entis affectiones. *Alii* hoc inde aſtruunt, quia Metaphyſica ſcientia eſt, ideoque ſui ſubjecti requirit affectiones. Sed manifeſtus ſic circulus committendus eſt; Antea quippe metaphyſicam ſcientiam eſſe,probari debet,quia Ens, quod ipſius ſubjectum eſt, habet affectiones, & precariò obtineri poteſt Metaphyſicam eſſe ſcientiam, donec Entis affectiones oſtendantur. Certius igitur eas probari exiſtimo. *I. Dialecticè*; Quia multa dantur, quæ de Ente prædicantur in quale, eique ſoli conveniunt: quod autem in quale de uno ſolo dicitur, id ejus affectio eſt. 2. *Analyticè*; Omne habens eſſe, habet & requiſita ad eſſe; Ens autem habet eſſe; Ergo & requiſita ad illud; Quod verò illa requiſita habet, id perfectum eſt; Et quod perfectum eſt habet perfectiones, ſive affectiones. Firmiores ſi quis promat, rationes, gratiæ ei non erunt denegandæ.

12. Verum *obſtare videtur* hisce Entis affectionibus 1. Quod ſic Ens quâ Ens compoſitum foret, ex eſſe videlicet & affectionibus. *Reſp.* Negatur conſequentia, quia Entis affectiones aut identificantur cum

cum ſubjecto, neque ab ipſo realiter, ſed tantum inadæquato conceptu differunt; aut non niſi denominationes ſunt externæ, nullam cum ſubjecto compoſitionem involventes. *Objic.* 2. Affectio debet realiter diſtingui à ſubjecto ſuo. *Reſp.* Non ſemper, ut plurimum enim contrarium obtinet. *Inſtant.* 1. Atqui prædicantur affectiones de ſubjecto in ſecundo modo per ſe: Sed quæ ita prædicantur, realiter diſtinguuntur. *Reſp.* 1. Hoc poſtremum in plurimis fallit. 2. Ut & Antecedens, quoniam multæ affectiones neceſſitatem tertii gradus obtinent, ac reciprocè de ſubjecto prædicantur. *Inſtant.* 2. Inter prius & poſterius realis requiritur diſtinctio: At ſubjectum eſt prius, & affectio poſterior. *Reſp.* Antecedens falſum 1. in ordine naturæ ſecundum exiſtendi conſecutionem, v. gr. Animal prius eſt homine, non tamen ab ipſo realiter diſtinguitur. 2. In prioritate originationis metaphyſicæ, quæ ſaltem conceptuum inter ſe eſt, quo pacto eſſentia prior dicitur exiſtentiâ, ab ipſâ tamen realiter non diſtinguitur. *Objic.* 3. Affectio non debet dici in quid de ſuo ſubjecto: At ſi affectio eſſet realiter idem cum Ente, poſſet quoque de ipſo in quid dici. *Reſp.* Ad antecedens; Affectio poteſt dici de ſubjecto ſecundum identitatem realem, non ſecundum formalitatem conceptûs, quemadmodum & affectiones divi-

divinæ de Deo dicuntur.

13. II. Quid ſint affectiones ex applicatâ generali definitione patere poteſt; ſi videlicet, eæ tali modo Enti dicantur convenire, ac ibi alicui competere dictæ ſunt; ut videlicet de Ente ſolo prædicentur, nec tamen ſint formaliter ipſum Ens, ſed ipſius ſaltem conſequentia. Non igitur ſunt ſubſtantiæ aut accidentia, aut in univerſum aliquod Ens, quia & hisce, ut Entibus ſuæ forent affectiones, & his utpote denuò Entibus etiam ſuæ, idque in infinitum.

14. III. Quoniam prædicatio Affectionum de Ente non eſt identica planè & nugatoria, manifeſtè apparet ab iis Enti aliquid apportari, quod præciſe ipſum Ens non eſt, dubitari poteſt, quidnam ſit illud, quod in tali prædicatione affectiones Enti ſuperaddant? Quod quidem non poteſt eſſe, aut Ens, aut ſubſtantia, aut Accidens, quia nihil horum ſunt affectiones, ſed certa aliqua formalitas, quæ ab ipſo realiter non diſtinguatur; Sed velut ipſius modus conſideratur, ut Eſſentia, Exiſtentia, Unitas, Veritas &c. Vel ut denominatio externa, ut Cauſa, Cauſatum, Dependens, Independens, &c. Addunt alii etiam Negationem, Privationem, & Ens rationis. Sed priores duæ, licet voce videantur deſignari, in re tamen perfectionem tollunt, non addunt:

Poſterius

Poſterius autem, Ens rationis puta, fundamentaliter nihil eſt, cum tamen Entis affectiones eo modo ipſum Ens eſſe debeant; Quare nec hoc admitti poteſt, niſi dicamus id ideo fieri, quia plurimæ affectiones ratione formæ ab intellectu concipiantur. Quæ ratio tamen non ſufficit, ut illæ Enti, dum de ipſo prædicantur, Ens rationis ſupperaddere dicantur.

15. IV. *Differentias* affectionum ex legitimis fundamentis *eruere*, laboratu *opus eſt*; Inprimis igitur Entis *affectiones* vel *abſolutæ* ſunt, vel *reſpectivæ*; Quarum *illæ, ex principiis erutæ*, definiri poſſunt, quod ſint, *certi modi Entis ipſi conſequenter tributi, eô quod in eſſe conſtitutum ac diſtinctum* ſit. Dicuntur autem *modi Entis*, quia conceptu ſaltem diſtinctæ, in ipſo eſſe conſiderantur; Enti *conſequenter tribui* dicuntur, non tempore, aut naturâ ſtrictè dictâ, ſed originatione metaphyſicâ conceptuum. Et denique ipſi tribui dicuntur, *quod conſtitutum ac diſtinctum ſit*, ut denotetur, eas ex illis duobus principiis deduci ac demonſtrari debere. Hæ autem, putà reſpectivæ affectiones, *Enti conveniunt propter relationem ad aliud aliquod.*

16. *Abſolutæ* affectiones, licet omnes *utrumque* Entis *principium præſupponant*, *non* tamen ſemper *æquè principaliter*; Quare ſecundum illa principia, tanquam ſua funda-

fundamenta dividi poſſunt, quod *aliæ* oriantur, ſcilicet principaliter *ex conſtitutione*, aliæ *ex diſtinctione*, aliæ *ex utrâque*. *In omni* tamen genere *una* quaſi *radix* eſt omnium reliquarum, ex ea ortarum: Quemadmodum earum, quæ ex *conſtitutione* oriuntur, prima & immediata eſt *eſſentia* : At quæ *ex diſtinctione*, *exiſtentia*; Ex *utrâque* *Actus*.

17. *Ab eſſentiâ* autem oriuntur *tres* illæ notiſſimæ, *Vnitas*, *Veritas*, *Bonitas*, ſive perfectio. *Vnitati* iterum *ortum debent* 1. *Singularitas & Vniverſalitas*. 2. *Simplicitas & Vnio*. *Veritati*, 1. *Neceſſitas & Contingentia*; 2. *Mutabilitas & Immutabilitas*. 3. *Certitudo & Evidentia*. *Bonitati* autem ſive perfectioni, *Infinitas & finitas*, *Abſolutio & Comparatio*.

18. *Exiſtentia*, *ex diſtinctione ſolâ* dimanans, *præſentiæ*, adeoque *localitati* ſive ubietati, ac *durationi ortum præbet*. Quemadmodum *ab Actu ex utroque* principio dimanante, propullulat *Vtilitas*, ſive bonitas externa: Atque hæ abſolutæ Entis Affectiones ſunt.

19. *Reſpectivæ affectiones*, prout *relationem præſupponunt*, ita quoque pro *diverſitate relationum* inter ſe *diſtingui debent*; Adeo ut *aliæ* oriantur à Relatione *primâ*, aliæ ab *ortâ*: *à primâ* quidem vel *internâ*, vel *externâ*: Ab *internâ* I. à *Dependentiâ* fluunt affectiones conjunctæ. 1. *Indepen-*

&

& dependens. 2. Quæ hujus ſpecies vel modi ſunt, *Principium & Principiatum*. 3. *Cauſa & Cauſatum*. 4. *Subjectum & Accidens*. II. Ab *unione*. 1. *Totum & Pars*. 2. *Completum & Incompletum*.

20. Ab *externâ* relatione conſimiliter oriuntur, & quidem I. ab *Appoſitione*, 1. *Subjectum & Adjunctum* ſtrictè dictum. 2. *Subjectum & Objectum*. 3. *Signum & Signatum*. 4. *Menſura & Menſuratum*. II. *A Circumſtantiâ*: I. *Temporis*, *Antiquum & Novum*. 2. *Præteritum*, *Præſens & futurum*. II. *Loci*, *Præſens & Abſens*. 2. *Proximum & Remotum*.

21. Ab *ortis* relationibus etiam fluunt affectiones, nomine tamen ab ipſis relationibus nondum diſtinctæ; Quare hîc occurrunt, *Convenientia & Diſconvenientia*, cum omnibus ſuis modis & ſpeciebus, inter quas quoque *Oppoſitio* collocanda; Et denique *Ordo*, cujus ſpecies *Prioritas*, *Poſterioritas & Simultas*; Quemadmodum quoque *Principalitas & Minus principalitas*. Atque hæ omnes enumeratæ Affectiones Entis reſpectivæ ſunt; An etiam aliæ ſint, quæ ad has revocari non poſſint, nondum conſtat: Si quæ mihi occurrant, earum in *Exercitationibus Metaphyſicis*, volente Deo, meminero.

22. V. *Inter has* explicandas ac de Ente demonſtrandas *ordo*, requiritur, qui qua-

lis

lis inſtitui debeat, vix patet, aliis alium ſequentibus; Quos ut ſuo judicio frui permitto, rogatos volo, ut me viciſſim meo frui ſinant; Atque ita *prius* agam *de Abſolutis*, *deinde de Reſpectivis*; Inter *illas primò* de iis *quæ à conſtitutione*, *deinde quæ à diſtinctione*, *tertiò*, *quæ ab utrâque* oriuntur; Adeo ut ſingulæ ſuis principiis diſtinctè ſubnectantur. *Inter reſpectivas* diſponendas *ſecundum ordinem relationum procedam*, ut ſcilicet fundamentorum ordini reſpondeat ordò fundatorum. Atque *hæc* de Affectionibus in genere, adeoque *de* omnibus *Præcognitis*, primo tractatu proponendis, dicta ſufficient.

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM,

Tractatus Secundus,

QUI EST

DE

Subjecto, ſeu Trunco.

CAPUT. I.

DE

Conſtitutione & Eſſentiâ.

1. SEcundùm ordinem Principiorum & Affectionum, ad calcem ſuperioris tractatûs propoſitum, primum agmen ducit, Conſtitutio, cum ſuis affectionibus ex ipſâ de Ente demonſtrandis. *Primò* igitur dicendum *de Conſtitutionis*, tum *nomine*, tum *re.*

2. *Nomen à conſtituendo*, & quaſi ſimul ordinando habet, primitùs *deſumtum ab eis*, *quæ ex unione* ſenſibilium partium *eſſe* ſuum *obtinebant*, *unde* non ſecus ac plurimi alii termini *ad Metaphyſicam traductum*,

ctum, quamcunque *poſſeſſionem τῦ εἶναι* denotat. Idque *non tantum poſitivè*, quâtenus id eſſe ab aliquo conſtituente acquiritur, *ſed & negativè,* quâtenus ipſum eſſe habetur, citra ordinem ad conſtituens quodcunque; Adeo *ut conſtitutio*, prout hîc accipi debet, *ad utrumque* modum *indifferenter* ſe habeat, poſteà tamen in ſpeciali applicatione ipſius eſſe determinanda.

3. *Quid* ſit *Conſtitutio*, ſuperiori tractatu dictum eſt, nempe, *Modus Entis quo hoc ſuum eſſe habet*, ſeu poſſidet; Præter quod, hic *notari* debent, 1. Ejus *Subjectum*. 2. *Ordo* ejus *ad illud*. 3. *Ordo ejus ad Diſtinctionem*. 4. *Axiomata*, ex ejus naturâ reſultantia.

4. I. *Subjectum* ipſius *omne & ſolum Ens* eſt; utpote quod omne & ſolum eſſe habet; Cujuſque ſunt Affectiones, quas Conſtitutio comites habet. *Objic.* 1. Sic etiam Deo conveniret Conſtitutio. Atqui is eſſe ſuum habere dici nequit, quoniam ex habente & habito foret compoſitus: Et deinde non rectè conſtitutus dicitur. *Reſp. Etiam Deo* convenit; nec proinde fiet compoſitus, quia habens & habitum non niſi formaliter diſtinguuntur; Prout quoque Affectiones & Attributa habere dicitur: Nec quidem rectè conſtitutus dicitur poſitivè, nihil tamen vetat, quin negativè dicatur, prout & à ſe negativè dicitur eſſe,

quâtenus

quâtenus à nullo eſt alio. *Objic.* 2. Etiam non-Entibus, ſaltem quibuſdam, videtur tribuenda Conſtitutio, quoniam nonnulla ipſorum cauſam agnoſcunt. *Reſp.* Eo modo non-Entibus convenit, quomodo aliqua ipſis Entitas vel quidditas tribuitur; latè videlicet & analogicè loquendo.

5. II. *Ab Ente* ejuſque eſſe *non differt realiter* conſtitutio, *ſed* ſaltem *ratione* ratiocinatâ, ſeu formaliter; *cujus* diſtinctionis *fundamentum* eſt, *diſtincta apprehenſio* habiti & habentis, quæ habitionem, vel, ita liceat loqui, habentiam quamdam ſimul involvunt, quæ eſt ipſa Conſtitutionis forma. Quare quoque *nihil reale* ab Ente diverſum ipſi *Enti ſuperaddit*, *ſed* ſaltem *inadæquatum* aliquem *modum*, ſeu conceptum, quo Ens, ut aliquid ad ſuum eſſe complementum habens conſideratur.

6. III. *A diſtinctione*, ſuo conprincipio, eodem quoque modo *differt*, *ratione* ſcilicet *ratiocinatâ*; cujus diſtinctionis fundamentum eſt, diſtincta apprehenſio habendi τὸ εἶναι, ac habendi illud proprium ac ſolum ſibi; Realiter igitur hæc duo inter ſe & cum ente idem ſunt; *ex hac* autem inter utrumque principium diſtinctione, fluit & *altera*, quâ differunt, *ut prius & poſterius* ſecundum originationem conceptuum; Quia prius in ſigno rationis eſt, τὸ ſimpliciter habere eſſe, quam habere illud propriũ.

7. IV. *Axio-*

7. IV. *Axiomata* ſeu Principia & Poriſmata, ex Conſtitutionis naturâ elici poſſunt varia; Quorum hæc ſunt *præcipua.* 1. *Omnis Conſtitutio præſupponit eſſe*; vel, *cujus nullum eſt eſſe, ejus nulla conſtitutio.* Ratio eſt, quia nihil poteſt habere eſſe, niſi habeat in eo conſtitutionem; Eſt enim Conſtitutio ipſum eſſe quâtenus habetur. 2. *Quale eſt alicujus eſſe, talis eſt & ejus conſtitutio.* Quorum igitur eſſe eſt dependens, eorum conſtitutio talis eſt. 3. *Qualis eſt alicujus conſtitutio, talis quoque eſſentia, taleſque ejus ſunt affectiones reliquæ.* Ratio eſt, quia eſſentia & cæteræ affectiones ex conſtitutione emanant, utpote quam ut radicale principium præſupponunt: Cujus igitur infinita & independens eſt Conſtitutio, ejus quoque tam eſſentia, quam affectiones omnes ſunt infinitæ; & contrà.

8. Proximus *Conſtitutionis modus* eſt *Eſſentia*; Unumquodque enim, quâtenus in eſſe conſtitutum eſt, eſſentiæ particeps eſſe dicitur. *Hæc* igitur nunc *conſideranda* venit, & quidem 1. Quoad *nomen.* 2. Quoad *rem.*

9. *In nomine* Eſſentiæ notanda 1. *Homonymia* & Ambiguitas, 2. *Synonymia.* Quoad ambiguitatem, *varias habet ſignificationes* Eſſentiæ vox, utpotè maximè in Scriptis Philoſophorum obvia; Et quidem 1. ſumitur pro *ſubſtantiâ.* 2. Pro *principio formali*

formali eſſentiæ, ſive pro formâ, aut quod ejus rationem obtinet. 3. *Pro* eo, *quod rei definitionem conſtituit*; Quod *tribus* potiſſimum *modis* fit, *latè*, *ſtrictè* & *adæquatè*; *Latè* prout etiam analogicè *non-entibus* tribuitur: *ſtrictè pro naturâ*, ſive corporum naturalium eſſentiâ; *Adæquatè* autem ipſam *Conſtitationem* τῦ eſſe realis, veri ac poſitivi *ſequitur*; Quo pacto hic capienda.

10. *Synonymiam* quod ſpectat, *dicitur Eſſentia.* 1. *Entitas*; quæ latè ſumta etiam non-entibus tribui poteſt; at anguſtius cum eſſentiâ coincidit; Poterit tamen hic delectus haberi, ut Entitas dicatur, non-Entium quidditas: At Entium eſſentia. 2. *Quidditas*; eaque 1. ſumitur, prout *omni* illi convenit, *quod non* eſt omninò *nihil*; 2. *ſtrictè* capitur, prout ſolis *ſubſtantiis* & quidem *completis*, à *Philoſopho* in Prædicamento Subſtantiæ tribuitur; 3. *Adæquatè* autem *eis* tantum tribui videtur, *quæ eſſentiam habent* prout illa *definitione* explicari poteſt; Atque ita nonniſi eſſentiæ videtur eſſe denominatio. III. Eſſentia etiam dicitur *natura*; vox πολύσημ@, ſi quæ alia; Inter varias ejus *ſignificationes*, quæ huc quadrare videntur, hæ *potiſſimæ* ſunt, 1. Denotat univerſalem *corporum naturalium efficientem*, Deo ſubordinatam. 2. *Eſſentiam* corporum naturalium, in quâ à naturâ ſunt conſtituta. 3. *Formam talium cor-*

F *porum*

porum. 4. Cujuſcunque *Entis eſſentiam*, *prout* illa *actionibus* ſuis eſt *deſtinata*; Unde ſic vel modum, vel denominationem eſſentiæ ſuperaddere videtur. IV. Eſſentia quoque aliquando *formæ* appellatione donatur: Verum forma relationem quamdam dicit, & propriè ſolis corporibus convenit; De quâ tamen infrà latius.

11. In *rei conſideratione* explicandum. 1. *Quid* ſit? 2. *Quodnam* ejus *ſubjectum?* 3. *Quomodo* ſe *ad ſubjectum* habeat? 4. *Quid differat ab exiſtentia?* 5. *Quomodo dividenda?* 6. *Quænam* ex eâ *Axiomata* deducantur?

12. I. *Quid* ſit Eſſentia, *ex definitione* colligendum: Definitur autem, *modus conſtitutionis, quo Ens ſimpliciter habet ſuum eſſe*: Hoc eſt quo Ens, illud præciſe quod definitione ejus explicatur, poſſidet; In quo diſtinguitur à conſtitutione, quæ totum illud quod ad eſſe pertinet, etiam affectiones definitionem non ingredientes, involvit.

13. II. *Subjectum* Eſſentiæ eſt *Ens, reale ac poſitivum*; Quoniam enim 1. Modus eſt conſtitutionis, quæ ut principium radicale & primum talis Entis tantum concipitur; Non poteſt alteri convenire, niſi cui convenit Conſtitutio. 2. Eſſentia in ſe eadem eſt cum Conſtitutione, & hæc cum Ente; At quæ ita ſe habent, eorum unum extra

extra alterum ſe non extendit; neque poteſt eſſe ſine altero. Dum autem Ens dicitur ſubjectum eſſentiæ, intelligendum eſt ſubjectum prædicationis, conceptu noſtro ab eſſentiâ ſive prædicato diſtinctum.

14. Sed *quæres*, *An omni Enti conveniat eſſentia*? *Reſp.* Sic ſanè, ut ex dictis patet. *Objic.* 1. Non convenit Enti in potentiâ. *Reſp.* Nec debet convenire; Quia enim hoc ſimpliciter ens non eſt, non poteſt quoque ſimpliciter ſuum eſſe habere. *Objic.* 2. Deo non convenit eſſentia: Quia eſt ipſa ſua eſſentia. *Reſp.* Etiam Deo convenit; licet longè eminentiori modo, quam Creaturis. Nec valet addita ratio; Nam etiam creaturæ à ſuâ eſſentiâ non differunt niſi conceptu formali, quomodo etiam eſſentiam Dei à Deo diſtinguere poſſumus; Quâtenus Deus conſideratur, ut habens, eſſentia, ut habita.

15. *Quæres* ulterius, *An ſoli enti conveniat eſſentia*? *Reſp.* Ita eſſe ex allatis rationibus patet. *Objic.* 1. Eſſentia eſt, quod definitione explicatur; quæ igitur definiri poſſunt habent eſſentiam. Quoniam igitur definiri poſſunt, & ſuprà definita ſunt non-Entia, non videtur eis deneganda eſſentia. *Reſp.* Quod definitione Entis explicatur eſt eſſentia, non verò quod cujuſcunque definitione explicatur; foret

 enim

enim alias etiam eſſentiæ eſſentia, quia & hæc definita eſt. Interim verum eſt, omne definitum habere aliquam Entitatem ſive quidditatem, quâ eſt aliquid; Nihil enim definiri nequit. *Reſp.* 2. Definita ſunt illa non-entia, non ac ſi per ſe Entitatem haberent, ſed cum reſpectu ad illud quod veram eſſentiam obtinet. *Objic.* 2. Quidquid eſt habet eſſentiam; Eſſentia enim ab eſſe derivatur: At illa non-entia ſunt quoque: Habent ergo & eſſentiam. *Reſp.* 1. Quidquid eſt, habet eſſentiam, ſcilicet latè dictam, quæ rectius Entitas, vel Quidditas, quam eſſentia dicitur. 2. Nec ipſum eſſe non-entibus convenit propriè & in ſe, ſed vel analogicè ut Enti Rationis, & Enti in potentiâ, vel ratione ſubjecti & materiæ, ut modis, Relationibus, Privationibus &c.

16. III. Sequitur *habitudo* Eſſentiæ ad Ens ſuum ſubjectum; Quæ explicanda. 1. *Per convenientiam.* 2. *Per diſconvenientiam* ab eo. Quoad *convenientiam*, notandum 1. Quod ſe habeat eſſentia ad Ens, ut modus principii radicalis interni videlicet conſtitutionis, quæ non re, ſed ſolo conceptu, ut à conſtitutione, ita & ab ipſo Ente diſtat. Unde 2. Eſſentia & Ens realiter idem ſunt; foret enim alias Eſſentia Ens aliquod, ab eo, cujus eſt eſſentia diſtinctum; Quod iterum requireret

reret ſuam eſſentiam quo pacto proceſſus in infinitum involveretur.3.quare ita ſe habet eſſentia ad Ens, ut natura per præciſionem abſtracta, ab eo, cujus eſt natura, quemadmodum vita viventis eſt eſſentia. Hinc 4. ſequitur, quod eſſentia Enti nihil diverſum à ſe ſuperaddat, ſed modum ſaltem aliquem conceptûs, non accidentalem, ſed conceptu ſaltem diſtinctum; Quo Ens conſideratur ut habens, eſſentia ut habita.

17. Quoad diſconvenientiam, notandum *primò*, quòd non habeat ſe eſſentia ad Ens, tanquam forma ad formatum; forma enim 1. dat eſſe tale: At eſſentia dat eſſe ſimpliciter. 2. forma diſtinctioni reſpondet: Eſſentia Conſtitutionis modus eſt. 3. Forma non conſtituit totum eſſe, ſed partem ejus ſaltem: At Conſtitutio totum. 4. Forma non abſolvit totam definitionem, at eſſentia totam perficit. *Objic.* 1. Dicitur tamen forma, tota rei eſſentia. *Reſp.* 1. Ita dicitur, quia in iis, in quibus locum habet, potiſſima eſſentiæ pars eſt. 2. Et quod eſſe tale conſtituat, cum eſſentia id ſimpliciter faciat. *Objic.* 2. Forma eſt id, per quod res eſt id, quod eſt: Sed etiam per eſſentiam eſt id quod eſt. *Reſp.* Forma non eſt id totum, ſed tantum pars, cui ob determinationem totius eſſentiæ officium tribuitur. Dinde per eſſentiam non tantum res, id totum eſt, quod

eſt, ſed etiam ſimplicitèr. *Secundò* notandum, quòd ſolâ ratione ratiocinatâ, eſſentia ab ente diſtinguatur; Cujus fundamentum multiplex eſt; Nam 1. Ens ut habens, & concretum, eſſentia ut habita & abſtracta conſideratur. 2. Ens includit tam diviſionem ab aliis, quam indiviſionem in ſe: At eſſentia ſolam indiviſionem; &c.

18. IV. Quoad habitudinem inter eſſentiam & exiſtentiam, obiter hic notandum, quod *exiſtentia & eſſentia in ſe idem* ſint, utpote quæ citra ſe invicem dari aut, concipi nequeunt; Quare ſolius rationis intercedit diſcrimen, de quo latius in tractatione exiſtentiæ infrà *cap.* 12.

19. V. *Differentiæ* eſſentiarum *variæ* traduntur, ſuntque potiſſimum omnes *Accidentales* tantum; Quarum *prima*; *Eſſentia* eſt vel *Actualis*, vel *Potentialis*; *Illa* dicitur quæ *rei* jam *actu* exiſtenti convenit, *Hæc* verò quæ *habitudinem* tantum *ad eſſe* infert, qualis eſt roſæ in hyeme. Sed quoniam nulla *res* eſt, quin ſit *actualis*, nulla quoque niſi actualis eſſentia eſſe poterit. Potentialis enim non eſt, ſed eſſe poteſt eſſentia. Melius *Actualis* dici poterit, *quæ* omni *potentiâ caret*, & ſemper actum involvit, qualis eſt eſſentia ſolius Dei; Ut *potentialis* ſit, *quæ habet potentiam* ad non eſſe, qualis eſt omnium creaturarum.

20. *Secundò eſſentia* vel eſt *neceſſaria* vel

con-

contingens; *Prior* eſt quæ *tolli non poteſt*, ſive *abſolutè*, ut eſſentia Dei, ſive *comparatè*, ad perfectionem univerſi, ut eſſentia cœli, Materiæ &c. *Contingens* verò eſt, quæ *tolli poteſt*, etiam ratione perfectionis univerſi, ut eſt eſſentia ſingularis Arboris, hominis hujus iſtiuſve.

21. *Tertiò*, *Eſſentia* eſt vel *completa*, ſive totalis, vel *incompleta*, ſive partialis. *Verum* hæc *comparatè* intelligi debet; *abſolutè* enim loquendo, *omnis eſſentia completa* & totalis eſt ejus, cujus eſt eſſentia; Licet fortean ratione alterius partialis dicatur, quâtenus ejus eſſentiam integrè non abſolvit; ita v. gr. manus abſolutè habet eſſentiam totalem, per quam eſt manus, comparatè tamen ad hominem, cujus eſſentiam integrè non perficit, dicitur habere eſſentiam partialem.

22. *Quartò*, *eſſentia* eſt vel *abſoluta*, vel *reſpectiva*; Ita *abſoluta* eſt *per quam homo eſt homo*; & *Reſpectiva per quam eſt Pater*: At verò *ultima* hæc potius *denominatio*, quam eſſentia eſt? Quis enim diceret Deo convenire eſſentias plures licet reſpectivas, quando dicitur, Creator, Conſervator, Gubernator &c.

23. *Quintò*, *Eſſentia* eſt vel *pura*, vel *modalis*; *Pura* eſt *per quam* v. gr. *Canis eſt canis*; *modalis*, *per quam eſt currens*. Sed de hac modali idem ſentiendum, quod de reſpectivâ.

24. *Eſſentiales* differentias ſi quis petat, eas *ex eſſentiali Entis diverſitate* petat; Videbitque *aliam* eſſe *Infinitam*, aliam *finitam*; *aliam per ſe ſubſiſtentem*, aliam *inhærentem*; Aliam *Spirituum*, aliam *corporum*; Prout ipſum Ens ita eſſentialiter diſcriminandum eſt.

25. *Axiomata* haut pauca, ex eſſentiæ contemplatione propulluant, inter ea, *hæc* non videntur inferioris ordinis 1. *Quod eſt habet eſſentiam*, ſive, *quod non eſt, non habet eſſentiam*; Quod enim non eſt, non eſt conſtitutum; Et negatâ conſtitutione negatur ejus modus, eſſentia videlicet: Eâ autem poſitâ, ponitur ejus modus, ut ſuprà oſtenſum.

26. 2. Hinc fluit alterum; I*mpoſſibile eſt, aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*; Quia impoſſibile eſt idem habere & non habere eſſentiam; eſſe enim & non-eſſe contradicunt; Contradictoria autem ſe mutuò tollunt: Hujus axiomatis inſignis eſt uſus, utpote omnis indirectæ demonſtrationis fundamenti; Quare etiam nonnullis Principium abſolutè primùm dicitur; Præſupponere tamen videtur, ea quæ ex conſtitutiônis naturâ deſumta ſunt.

27. 3. *Cujuſlibet Entis una eſt eſſentia*; Quia una ejus eſt conſtitutio in eſſe. Capiendum tamen hoc de eſſentiâ propriè dictâ, id eſt totali & abſolutâ; Partiales enim

enim, reſpectivæ, & modales plures dari, nihil obſtat; Quare nec propriè dictæ eſſentiæ ſunt, ut modò dictum.

28. 4. *Eſſentiæ non ſunt multiplicandæ præter neceſſitatem*; Unius enim Entis ſaltem una eſt; hoc axiomate Nominales omnes ſuperfluas Entitates ac eſſentias eradicare, & herculeo verè auſu quaſi abradere ac amputare nituntur; Unde etiam Novacula Nominalium dicitur.

29. 5. *Parte eſſentiæ ſublatâ, tota interit*; Debet enim omnis eſſentia totalis eſſe, ſicut numerus, cui ſi vel particula deficiat, ilico ejus eſſentia perit, & alius fit numerus; Et ſi eſſentiæ deficeret pars, non eſſet completa; Adeoque nulla, quia incompleta conſtitutioni non ſatisfacit.

30. 6. Hujus conſectarium eſt: *Eſſentia non recipit magis & minus*; id eſt, non non admittit gradus intenſionis & remiſſionis: Ratio eſt, quia eſſentia non variatur, non variatâ conſtitutione; At hæc permanet, permanente ipſo Ente. *Dices*: Quomodo igitur Qualitates dicuntur recipere magis & minus? *Reſp.* Hoc non fit, quia ipſarum eſſentia modò magis, modò minus talis; (Caloris enim eſſentia ſemper uniuſmodi eſt, ſive æſtate, ſive hyeme;) ſed quia ob ſuam majorem vel minorem præſentiam & quaſi extenſionem, fortius vel debilius operantur, un-

de ſubjecto per magis & minus deprædicantur.

31. 7. *Quod habet eſſentiam, eâdem Ens eſt, ſive, unum quodque eſt Ens per propriam,* & non per alienam, *eſſentiam.* Ratio eſt, quia unumquoque ens propriam habet conſtitutionem, adeoque & proprium conſtitutionis modum.

32. 8. *Qualis eſt alicujus eſſentia, tales ſunt ejus affectiones & operationes.* Hæ enim mediante eſſentiâ ex Conſtitutione profluere concipiuntur: Quare cum tales ſint affectiones, quale eſt Ens; & quale hoc, talis ejus conſtitutio; & qualis ejus conſtitutio, talis ſit & eſſentia; Erunt quoquè tales affectiones, qualis eſt eſſentia.

33. 9. *Non-Entis nulla eſt eſſentia*; Quia nulla eſt ejus conſtitutio; utpote quod eſſe non habet, ideoque in eo conſtitui nequit.

34. 10. *Cujus nulla eſſentia, ejus nullæ affectiones*; Ratio eſt; Quia mediante eſſentiâ rei affectiones tribuuntur; Quare negatâ conditione, ſine quâ non, etiam negari debet conditionatum.

35. *Affectiones* Enti mediante eſſentiâ convenientes vel *immediatæ* ſunt vel *mediatæ*; *Immediatæ*, citra interventum alterius alicujus, cujus videlicet modi ſunt, Enti competentes, tres ſunt, *Unitas*, *Veritas*, *Bonitas*. De quibus ordine.

CAP.

CAP. II.

DE

Unitate.

1. **V**Nitas *ante Veritatem & Bonitatem* explicanda videtur, quia propius ad eſſentiam accedere videtur, adeo, ut veritas & Bonitas ipſam aliquâtenus præſupponant; *Explicatio* verò ejus vel *Vocis*, vel *Rei erit*.

2. *Ambigua vox* unitatis eſt; Notat enim. 1. *Solitudinem*, adeo ut unum idem ſit, quod unicum; quâ ſignificatione non eſt affectio aut proprietas Entis; Vnicum enim eſſe negationem deſignat: At Affectio Entis ejus perfectionem. Ac deinde non omni Enti ex ſe convenit unicum eſſe; Sed ſoli Deo, ut infra oſtendendum. 2. Unitas ſignificat *convenientiam* duorum in eſſentiâ, eſtque idem quod identitas. 3. Sumitur *pro principio numeri*. 4. Denotat *modum* vel affectionem *Entis*, quâ hoc in ſe indiviſum dicitur; Quo pacto hîc conſideranda eſt.

3. *In rei conſideratione*, explicandum 1. *Quid* ſit? 2. Quodnam ejus *ſubjectum*? 3. Quænam *habitudo* ejus *ad ſubjectum*? 4. Quodnam *oppoſitum*? 5. Quæ *differentia*?

4. I. *Vnitas vulgo* definitur, *Affectio Entis, quâ hoc eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quovis alio*; Verum ſic non eſt inſeparabilis Affectio: non enim neceſſe eſt omne Ens actu diviſum eſſe ab alio; Nam ante conditum mundum, inquit *Burgersdicius*, Deus erat unus, nec tamen à quopiam erat actu diviſus: quia nihil erat præter Deum. Præterea, omnis definitio ex prioribus debet conſtare, & iis quæ definito per ſe inſunt. At diviſum eſſe à quovis alio ſequitur eſſentiam Entis, ſi nempe plura dentur, nec ipſi propterea per ſe ineſt. Nec tamen reliqua, quibus Ens dicitur in ſe indiviſum eſſe, licet vera ſint, genuinam ejus definitionem conſtituunt. Indiviſio namque negatio quædam eſt, malè ad explicandam Affectionem poſitivam adhibita.

5. *Rectius* igitur unitas *definitur*, quod ſit *modus eſſentiæ, quo ea Enti convenit ſemel.* Dum dicitur *modus eſſentiæ*, ſignificatur, quod eſſentia ut origo & fundamentum unitatis concipiatur; Nam ſemper talis eſt unitas, qualis eſt eſſentia. Dum porrò additur, *per unitatem Enti ſemel convenire eſſentiam*, ponitur ipſa formalis ratio unitatis, quâ ab aliis affectionibus diſtinguitur; & ſimul oſtenditur, quid ab Ente alienum ſit, ſcilicet eſſentiam ſuam habere non-ſemel, ſed vel nunquam, vel pluries.

6. II.

6. II. *Subjectum* Vnitatis *idem*, *quod eſſentiæ* eſt; *Omne* ſcilicet & *ſolum Ens*; Quoniam enim Eſſentiæ modus eſt, ejuſdem cum ipſa debet eſſe ſubjecti; Imò unitas identicè eſt ipſum Ens; eſt enim idem realiter cum eſſentiâ, & hæc cum Ente. Hinc igitur 1. fluit *reciprocatio* illa inter Ens & unum, quâ ut omne Ens unum, ita omne unum Ens dicatur. 2. Quod *non ſit aliqua differentia*, per quam Ens tanquam in ſpecies dividitur: Et hinc 3. *malè* inſtituitur Entis *diviſio in unum & multa.*

7. III. In *habitudine*, quam habet Unitas ad Ens, *duo* conſideranda ſunt. 1. *Quid addat* Enti? 2. *Quid non* ſuperaddat? *Addit* autem *modum* aliquem *internum*, *inſeparabilem & poſitivum*; Non autem externum, ſive externam denominationem; non ſeparabilem, ſine quo Ens eſſe poſſit; non negativum, quo aliqua perfectio removeatur. Quare & illius ratio poſitivo modo explicari debet; Prout ut in definitione præſtitum. *Non* igitur Enti *ſuperaddit*. 1. aliquod *Ens*, quia & hujus foret alia unitas, unde proceſſus in infinitum ubique evitandus occurrit. 2. Nec *denominationem externam*, quia Ens in ſe eſt unum, citra ordinem alicujus ad illud. 3. Nec *ens rationis*, quia Ens rationis verè de Ente dici nequit, præterquam quod Ens unum ſit, etiam nemine cogitante. 4.

Nec *Relationem*, quia Ens & unum forent relata, adeoque oppoſita, neque de ſe invicem prædicabilia; Et magis ſic Ens unius foret Ens; Et Unum Entis Unum; Relatorum quippe unum alterius eſt.. 5. Nec *Privationem*, 1. quia unitas involvit perfectionem: Privatio verò defectum. 2. Oppoſitum unitatis Multitudo negatio vel privatio quædam eſt, quare ſi unitas eſſet Privatio, alterius privationis vel negationis erit negatio, cum tamen Privatio privationis non detur. Denique Privatio præſupponit aptitudinem in ſubjecto, ad habendam privatione negatam perfectionem: ſed nullum Ens aptum eſt, ut ſit multum, ſive ut habeat eſſentiam ſuam ſæpius repetendam, & non ſemel. Imò datur Ens, quod non tantum quoad actum, ſed & quoad ſpeciem multitudinem reſpuit, ut Deus. 6. Nec *puram negationem*; Nequit enim perfectio, vel affectio eſſe negatio; Imò quia oppoſitum ejus negativum eſt, ut ipſa poſitiva ſit oportet.

8. V. *Oppoſitum* unitatis dicitur *multitudo*, quæ tamen *potius ſolitudini*, quam huic affectioni *opponi videtur*. Rectius ergo diceretur non-unitas, cui ſi dicas æquipollere multitudinem, ego eam, ut unitatis genuinum oppoſitum, aſſumere non gravabor. Sed *dicet* quis: Multitudo etiam una dicitur, ut una decas, ei-

cas &c. *Reſp.* Scilicet hoc fuit, quod me de oppoſito hoc dubitare fecit, ut & quod omnis compoſitio aliquam habeat multitudinem, & tamen ex eâ unum quid reſultet. Reſponderi quidem poteſt, multitudinem dici abſtractè vel concretè: Abſtractè, quâtenus certum denotat numerum, aut certam collectionem, atque ſic unitatis modus eſt: Concretè verò pro ipſis multis, atque ita non eſt unum quid, ſed multa; vereor tamen an ſatis accuratè & ad captum. Quomodo enim quod unitati, adeoque Enti, opponitur, in ſe unitatis aut Entis modus fieri poſſit, non capio. Sumenda igitur *multitudo* 1. *negativè* ut notet non-unitatem. 2. *Poſitivè*, ut deſignet concurſum plurium, ad unius conſtitutionem requiſitum. *Priori modo non* dicitur *una*; ac *unitati opponitur*; *Poſteriori modo* verò *una* dicitur, quâtenus unum conſtituit, quo pacto ab unione non differt.

9. *Quæres* ulterius, *quomodo non-unitas*, ſeu multitudo negativè ſumta, *unitati opponatur*? *Reſp.* Aliqui privativè dicunt; Sed non ſatis rectè, quia ſic unitas, ut habitus ab ente poſſet ſeparari, aut ſaltem Ens ut non unum conſiderari, quod abſurdum eſt. Rectius igitur dicendum, opponi contradictoriè; Nam 1. nullum inter unitatem & non-unitatem intercedit medium.

2.

2. Poſitâ unitate, tollitur multitudo. 3. Vnitas eſt Ens, identico ſcilicet ſenſu: Multitudo non. Verum ſi multitudinem ipſi unitati opponas, non erit expreſſa, ſed implicita contradictio, quia per hanc tollitur unitas, quæ Enti eſſentialis eſt; Eodem enim pacto, quo dicitur rationale brutum, dicitur quoque ens eſſe multum.

10. *Differentiæ* unitatis deſumendæ ſunt *partim à diverſitate eſſentiarum*, *partim* quoque *à diverſo modo conſiderandi eſſentiam*; Quibus enim & quot modis res habet eſſentiam, eis & tot modis habet unitatem. Quoniam igitur *eſſentia* vel *abſtractè conſideratur vel concretè*: *Abſtractè* quidem, quâtenus res habet naturam vel eſſe ſuum ſimpliciter: *Concretè* autem, quâtenus ſimul cum exiſtentiâ illud eſſe non ſolum ſimpliciter, ſed & præſens Enti tribuitur, nata quoque eſt *Vnitatis diſtinctio* in *Vniverſalem* & *Singularem*: Univerſalitas quippe & Singularitas duo modi ſunt, quibus unitatem conſideramus: De his igitur nunc agendum.

CAP.

CAPUT. III.

DE

Singularitate & Univerſalitate.

1. *Singularitatis vox* 1. ſpectanda eſt, 2. *Res.* In *voce* notanda 1. *Ambiguitas.* 2. *Synonymia.*

2. Quoad *ambiguitatem* 1. *Singulare* aliquando idem eſt, quod *rarum* & inuſitatum. 2. Denotat *pretiòſum*; rara quippe majori in pretio ſunt. 3. Idem eſt quod *proprium*, ut ſingulare eſt homini ridere. 4. Significat id, quod communiter *individuum* appellamus; quomodo hîc accipi debet.

3. Quoad *Synonymiam*; *Dicitur* Singulare aliter 1. *Individuum*, non prout quamcunque diviſionem negat, ſed ſaltem quâtenus diviſionem in partes ſubjectivas, de quibus nempe ipſum diviſum in quid poſſet dici, auffert. Quamobrem & 2. *Incommunicabile* dicitur, eô quòd eſſentiam ſuam non poſſit communicare inferioribus. 3. Dicitur etiam ſingularitas *unitas numerica*, vel quòd ſingularia tantum numerentur, vel quòd ſingularia, ut quibuſdam placet, unius ſpeciei ſaltem numero à ſe invicem differant.

4. In *reipsâ duo* quaſi in limine annotan-

tanda videntur, 1. *Quid ſit* Singularitas? 2. *Quomodo* ea *diſtinguatur*?

5. *Quidditas* ſingularitatis, commodè hac *definitione* explicatur: *Singularitas eſt modus unitatis, quo ens habet eſſe ſuum ſemel præſens.* Dicitur *modus unitatis*, quia non niſi conceptu ab eâ differt; Dicitur modus, *quo ens habet ſuum eſſe*; Hoc enim omnibus Affectionibus abſolutis, ut & principiis commune eſt. Additur *ſemel*, quod habet ſingularitas ab unitate; Et tandem ſubjicitur *præſens*; hoc enim ab exiſtentiâ habet, cum quâ concretè conſideratur eſſentia, ut fiat ſingularitas.

6. *Diſtinguitur* autem Singularitas *in formalem* & *Materialem*. *Formalis* dicitur Entibus ſingularibus convenire ratione communitatis inter ſe: *Materialis* autem, quæ ipſis convenit, quâtenus ſingularia ſunt. Sed niſi per formalem ſingularitatem, ipſum communem conceptum Singularitatis in actu ſignato, & per materialem ipſam ſingularitatem in actu exercito, quâtenus ineſt ſingularibus, intelligas, inanis videtur diſtinctio. Nam 1. In omni ſingularitate res debet habere ſuum eſſe præſens: At in formali non habet illud præſens; quia eâtenus abſtrahitur à differentiis individuantibus. 2. Quod denotat naturam communem non eſt ſingulare: Sed ſingularitas formalis denotat naturam commu-

munem, quia denotat aliquid commune Petro & Paulo. *Dices*: Formalis ſingularitas eſt Petri humanitas, at materialis eſt Petreitas; Igitur diſtinguendæ videntur illæ duæ ſingularitates. *Reſp.* Humanitas Petri & Petreitas idem ſunt; quia igitur Petreitas eſt ſingularitas materialis, talis quoque erit humanitas Petri. *Inſtabis*: At ſingularis humanitas quoque eſt in Paulo & aliis. *Reſp.* Rectè: Non ergo notat ſingularitatem, quæ in uno eſt, ſed univerſalitatem. 2. Singularis humanitas Pauli, non eſt eadem numero quæ Petri eſt, ſed diverſa. Omnis ergo vera ſingularitas materialis eſt.

7. Quo demonſtrato *circa hanc* materialem ſingularitatem diſtinctè *inquirendum*, 1. *Quodnam* ejus *Subjectum?* 2. *Quomodo ſe ad illud ſubjectum habeat?* 3. *Quam compoſitionem cum ſubjecto faciat?* 4. *Quid in illo ſubjecto efficiat?* 5. *A quo in ſubjecto fiat?*

8. I. *Subjectum* ſingularitatis, idem quod Unitatis eſt; *omne* videlicet & *ſolum Ens*; *Omne* quidem; Quia unum quodque eo ens eſt, quo ſimul cum conſtitutione diſtinctum eſt: omne autem diſtinctum exiſtit: Quod verò exiſtit ſingulare eſt, omne igitur Ens ſingulare. *Solum* verò, quia ſoli Enti convenit exiſtentia; adeoque & ſingularitas: Latius hæc diſcuſſa habes infra, in Subjecto Exiſtentiæ.

9.

9. II. *Ordo*, quem habet ſingularitas ad Ens ſuum ſubjectum, conſiſtit *partim in* utriuſque *convenientia*, *partim in diſconvenientiâ*. *Convenientia* autem Singularitatis *cum Ente realis* eſt; Realiter quippe convenit ſingularitas cum unitate, & hæc cum Ente; Quæ verò eadem ſunt cum uno tertio, illa inter ſe eadem ſunt.

10. *Differt* tamen ab Ente & unitate *formaliter & modo conſiderandi*, quo videlicet ipſum eſſe Enti aliter atque aliter tribuitur; Per Ens enim habet ſuum eſſe: per eſſentiam habet illud ſimpliciter: per unitatem ſemel; per ſingularitatem ſemel præſens. *Non* igitur 1. inter Ens & ſingularitatem intercedit differentia *realis*, foret enim ſic ſingularitas Ens aliquod ab Ente, cujus eſt ſingularitas, diſtinctum, adeoque aliam ſibi requireret ſingularitatem, cujus eadem eſſet conditio, idque in infinitum. 2. Nec ſingularitas *Accidens* Entis eſſe poteſt; Accidens enim poteſt adeſſe & abeſſe: Singularitas abeſſe nequit. Accidens realiter à ſubjecto diſtinctum eſt. At ſingularitas realiter idem cum eo. Quin ſi Accidentia ſint Entia, etiam requirent ſingularitatem; Quæ tum utique Accidens eſſet; Et ſic iterum in infinitum progrediendum eſſet.

11. *Nec* 3. Singularitas eſt *proprietas* quædam Entis ſpecialis; proprietates e-

nim

nim ut exiſtentiam, ita & ſingularitatem ſequi debent; *Nec.* 4. Eſt *Collectio proprietatum*; Hæc enim & ipſis proprietatibus poſterior; Multò igitur minus, quam una proprietas, ſingularitatem conſtituere poteſt.

12. III. Ex his facilè dignoſces, quam *compoſitionem* Singularitas *cum Ente* faciat; *nullam* videlicet aliam *præter* compoſitionem *rationis*, qualis eſt ex modo eſſentiali, conceptu diſtincto, & modificato: Non autem qualis eſt ex genere & differentiâ.

13. IV. *Effectum* ſingularitatis dicitur *incommunicabilitas*: Verùm *hæc* non niſi *nomine differt* à ſingularitate; Per utramque enim res habet eſſe ſuum ſemel præſens nec in partes ſubjectivas diviſibile.

14. V. *Cauſa* ſingularitatis *Principium individuationis* appellatur, anxiè ſatis à Scholaſticis quæſitum: Sed inani labore. Uniuſcujuſque enim *Entitas* ipſiusmet *eſt ſingularitas*; Ut enim Ens non eſt ſine eſſentiâ, ita neque ſine unitate; Et prout non eſt ſine unitate, ita nec ſine ſingularitate; Et magis quemamodum eſſentia eſt ipſa unitas, & unitas ipſa ſingularitas, ita ſingularitas eſt ipſa eſſentia. Cauſa erroris fuit opinio quædam, quòd univerſalia eſſent Entia quædam à ſingularibus diſtincta, eiſque priora, adeoque per aliud diſtin-

ſtinctum ſingularizanda; quæ ſtatim falſitatis arguenda. Atque *hæc de ſingularitate* ſufficiunt. Sequitur

15. *Vniverſalitas*, tractanda. 1. Ratione *nominis*. 2. Ratione *Rei*. In *nomine* notari debet 1. diverſa *ſignificatio*. 2. diverſa *appellatio*.

16. *Significat* autem univerſale *primò tranſſcendens* aliquod, generalitate ſua omnes ſpecies Entium ſuperans, & ſic enti, ejuſq; ſynonymis, Principiis & Affectionibus tantùm convenit. *Secundo*, idem eſt quod *Prædicabile*, ejuſve modus, atque ita quinque iſta Prædicabilia dicuntur univerſalia. *Tertiò*, ſignificat quodcunque valde *commune*, ita dicitur univerſalis cauſa. *Quartò* ſumitur *pro modo* unitatis, ſingularitati oppoſito, quâ ſignificatione hìc ſpectanda eſt.

17. *Appellatur aliter* univerſalitas. 1. *Generalitas*, quia univerſalia, ut genera de pluribus in quid dicuntur. 2. *Communitas*, ratione ſcilicet eſſentiæ; univerſale enim eſſentiam à præſentiâ aufert, ac ipſi indifferentiam ad repetitam præſentiam addit. 3. *Prædicabilitas*, quia univerſalium nota eſt de pluribus in caſu recto prædicari.

18. *In re ſex* conſideranda ſunt. 1. *Quid* ſit? 2. Ejus *ſubjectum*. 3. *Habitudo* ejus *ad ſubjectum*. 4. *Efficiens*. 5. *Finis*. 6. *Differentia*. 19.

19. I. *Definitur vulgo* univerſalitas, *unitas in multis.* Sed qualis ſit illa unitas, difficulter explicabitur. 2. Illa unitas multorum eſt convenientia, quæ non eſt ipſa univerſalitas, ſed ejus fundamentum tantum. *Burgerſdicio* dicitur *quæ convenit rebus, quâtenus indiviſæ ſunt in plures res ejuſdem nominis & eſſentiæ, & aptæ, ut in eas dividantur*; Quæ definitio hunc in modum contrahi poteſt, *Univerſalitas eſt indiviſio diviſibilis in partes ſubjectas.* Sed non facilè inte[illegible]gitur, quid ſit illa indiviſio diviſibilis; non enim termini ſe mutuo compati videntur, idem quippe eſt, ac ſi diceretur, rationalitas potentiâ irrationalis.

20. *Rectius* igitur, *Univerſalitas eſt modus unitatis, quo res habet eſſe ſuum ſemel, indifferens ad præſentiam & pluralitatem. Indifferentia* illa non deſignat realem abſtractionem à præſentiâ, ſed ſaltem rationis: Unde univerſalitas reipsâ eadem cum Ente præſente eſt, licet formaliter per illam indifferentiam diſtinguatur; ſingularia quippe ad præſentiam determinata ſunt. Additur etiam *indifferentia ad pluralitatem*, quia univerſale non tantum indifferens eſt ad præſentiam; ſed & ad repetitam in pluribus præſentiam, quâ ſcilicet pluribus ejus nominis & naturæ convenit.

21. *Hinc* patet, *duas* eſſe univerſalitatis *con-*

conditiones, 1. *Vt ejus conceptus non neceſſariò involvat præſentiam*; Vnde conceptus Dei neque eſt, neque eſſe poteſt univerſalis, quia neceſſariò determinatus eſt ad præſentiam & exiſtentiam. 2. *Vt univerſalitas non poſſit tribui, niſi quorum conceptui non repugnat pluralitas*; Vnde iterum Deus, qui neceſſariò unicus eſt, univerſalitatem reſpuit: Creaturarum autem conceptus ſemper indeterminatus & indifferens eſt ad præſentiam; Quoniam nulla creatura neceſſariò exiſtit, ſed ſaltem ex hypotheſi voluntatis divinæ. Quemadmodum nec creaturarum exiſtentia neceſſariò determinata eſt ad ſingularitatem, ſive unum individuum.

22. Hæc autem *indeterminatio* ſive indifferentia ad pluralitatem omnibus *creaturis æqualiter non convenit*: *Aliæ* enim *actu* habent *ſimul plura* individua, ut homo. Aliæ autem ſaltem *potentiam*, ſive non repugnantiam *ad pluralitatem* habent; idque *dupliciter*. 1. *Sine repugnantiâ ad pluralitatem ſimultaneam*, ut Sol, Luna &c. Quæ licet actu in uno ſingulari reperiantur, non repugnat tamen ſimul plures dari ſoles, aut lunas. 2. Cum *repugnantiâ ad ſimultatem pluralitatis*, *ſed cum non-repugnantiâ pluralitatis ſucceſſivæ*, ut univerſum, materia prima, quæ actu multa dari ſimul nequeunt, ſucceſſione tamen plura eſſe poſſunt.

23.

23. II. Ex quibus haut operoſè dignoſcitur[l], quodnam ſit Univerſalitatis *ſubjectum*; Scilicet eſt *Ens*, *non* tamen *omne*, *ſed* tantum *creatum*, neque hoc eodem modo ut ex dictis colligi poterit.

24. III. *Ordo* univerſalitatis *ad ſubjectum* conſiſtit. 1. *in diſconvenientiâ*. 2. *in convenientiâ*. Quoad diſconvenientiam 1. *Vniverſalia non ſunt Entium ideæ*. Quod aſſertum ut capias, nota *triplicem* vocis *ideæ ſignificationem*; *Primò* enim notat exemplar rei efficiendæ, in intellectu cauſæ efficientis conſtitutum: *Secundò* eſſentiam rei, extra rem ſeparatim exiſtentem: *Tertiò* conceptum rei eſſentialem. Ex quibus colliges, univerſalia ultimo hoc modo ideas, id eſt conceptus, vel ſpecies, dici poſſe, non autem ſecundo; de primo enim non eſt controverſia. Ratio autem aſſerti ex *Burgerſdicio* hæc colligitur; Quidquid per ſe exiſtit ſingulare eſt: Quare ſi univerſalia eſſent tales ideæ, per ſe ac ſeorſim à ſingularibus exiſtentes, eſſent ſanè ſingulares; Quod naturæ univerſalitatis repugnat. Huic aliæ ſuperaddi poſſunt. 1. Si univerſalia eſſent tales ideæ, ſive res ſeparatæ, & quidem creatæ, haberent quoque ſuam univerſalitatem à ſeipſis diſtinctam; Quæ ſi iterum idea dicatur, erit proceſſus in infinitum: ſi negetur eſſe idea, pari ratione negabitur prima univerſalitas

eſſe idea. 2. Sic quoque univerſalia proprium ſuum eſſe obtinerent; idque vel diſtinctum ab eſſe ſingularium, vel idem cum illo. Non poſſunt habere diverſum, quia ſic de ſingularibus in quid propriè prædicari non poſſent: Nec idem, quia ſic non ſeparatim exiſterent; Quorum enim idem eſt eſſe, ea idem Ens ſunt; At idem Ens à ſeipſo ſeparatim exiſtere nequit.

25. 2. *Univerſalia non ſunt res aliqua, citra operationem intellectûs à ſingularibus diſtinctæ.* Hoc iterum probat *Burgerſdicius*, hunc in modum: Si quæ res per ſe & abſque operatione intellectûs eſſent univerſales & unæ, vel eſſent æternæ vel factæ. Æternas illas affirmare nimis eſt abſurdum, cum id ſoli Deo competat. Si factæ, ſingulares ſunt; Quia quidquid per actionem eſſe incipit, ſingulare eſt, cum omnis actio ſit ſingularium. Si dicas, pergit, univerſalia non fieri per ſe, ſed in & per ſingularia, ut Accidentia fieri dicuntur: non tollis difficultatem; Nam quidquid ſit in & per ſingularia, id ipſum debet eſſe ſingulare. Huic accedere poſſunt rationes aliæ. 1. Quidquid datur in rerum naturâ, habet præſentiam: At quod habet præſentiam, habet & exiſtentiam: At hæc ſingularium tantum eſt: forent igitur illæ res univerſales, ſingulares. 2. Quidquid ineſt ſingularibus realiter, id ipſum ſingulare

lare eſſe debet ; ineſſe enim notat præſentiam. 3. Quidquid eſt, habet quoque neceſſaria τῦ eſſe requiſita: At inter ea eſt quoque præſentia, tanquam fundamentum, adeoque & ſingularitas. 4. Si univerſalia eſſent res diſtinctæ à ſingularibus, realiter deberent diſtingui, Res enim à re realiter diſtinguitur: At ſic 1. opponerentur ſingularibus, neque de ipſis poſſent prædicari. 2. iterum haberent ſuam eſſentiam & univerſalitatem, & ſic in infinitum progreſſus apertus.

26. *Objic.* 1. Ex *Monlorio, tractat. de Univerſal.* Univerſalia habent omnia requiſita ad ſuam entitatem, antè & citra mentis operationem, videlicet unitatem & communitatem, ſive indifferentiam, non igitur opus eſt, ut ſolâ ratione à ſingularibus diſtinguantur. *Reſp.* 1. Multa hic ſpecioſè in prolixis ſuis probationibus affert *Monlorius*, quæ tamen ideo non minus fallere deprehenduntur. Verum quidem eſt, ad univerſalitatem ſufficere unitatem & indifferentiam; Ea tamen non ſufficiunt, ut univerſàlia citra mentis operationem habeant præſentiam, hoc eſt, ut dentur; Quoniam indifferentia illa, tam à præſentiâ quam à non præſentiâ præſcinditur. 2. Univerſalia non habent per ſe unitatem, ſed tantum, quâtenus cum Ente videlicet ſingulari, realiter coincidunt; neque tum

diſtinctam habent ab Entitate ſingulari unitatem, ſed eamdem planè. Nullum enim alias ſingulare unum eſſe poſſet. Quoniam diſtincta una ad eſſe ſuum requireret. 3. Communitatem ſive indifferentiam ad pluralitem habent non à parte rei, ſed à parte rationis, ipſa univerſalia; Quod enim rei ineſt, id de facto in univerſitate dari debet. At talis communitas de facto non datur, neque ut detur neceſſe eſt; Non igitur à parte rei, ſed ſaltem conceptus ſunt. *Inſtant.* 1. At ſic non una hominis erit univerſalitas, ſed multiplex, pro numero videlicèt individuorum; Si enim univerſale, homo. non differat ab ipſo ſingulari ratione unitatis, multiplicabitur quoque, multiplicatâ ſingularitate. *Reſp.* Falſa illa conſequentia; procedit enim â ſenſu identico ad formalem; Nam valet tantum, hoc modo, ſi Animal ratione formalis conceptus idem ſit, quod homo, multiplicabitur quoque, multiplicato homine & ejus ſingulari; non verò ſi ratione rei & conceptus identici animal & homo idem eſſe dicantur. *Inſtant.* 2. Sic realiter idem eſſet Petrus & Paulus; Non tantum enim Petrus realiter idem eſt cum homine, ſed & Paulus. *Reſp.* 1. Valeret ſi Petrus & Paulus tam materialiter quam formaliter cum eodem homine realiter coinciderent.

Nunc

Nunc verò tantum homo formaliter eſt idem, videlicet cùm indifferentia conſideratus, non materialiter, quâtenus in Petro & in Paulo eſt; quomodo totam rationem univerſalitatis nondum induit. 2. Si ſtatuas hominem eſſe univerſalem naturam, à ſingularibus diſtinctam, validius retorqueri poteſt argumentum: Nam ſic æquè Paulus ac Petrus, cum eâ, ut pote de ipſis in quid prædicatâ, coincideret, & quidem formaliter æquè ac materialiter; Quare nullum effugium, aut diſtinguendi Petri à Paulo medium.

27. *Objic.* 2. Scientiæ ſunt Univerſalium: At ſunt etiam de rebus, & non de conceptibus rationis, quia ſubjectum ipſorum debet eſſe *τὸ ὂν, ἀΐδιον ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον*. Ergo univerſalia ſunt res. *Reſp.* 1. Per conceſſionem, ſunt res, ſed non qua univerſalia, ſed quâtenus idem ſunt quod ſingularia. 2. Syllogiſmus in formâ legitimâ conſtitui nequit, quin alterutra præmiſſarum manifeſtâ falſitate laboret. 3. Scientiæ ſunt univerſalium, quâtenus ſunt de ſingularibus à ſingularitatis formâ abſtractis, hoc eſt quatenus propter illum conceptum indifferentia, hoc eſt univerſalitas, ad eſſe concipitur. 4. Scientia eſt univerſalium ratione ſubjecti formalis, non materialis. 5. Scientia eſt univerſalium, ratione abſolutæ veritatis, non ratione uni-

verſalis ac indifferentis ad plura naturæ; Poſtremum enim manifeſtè in Theologia naturali abſurdum eſt. Cætera quæ objici & reſponderi poſſunt, aut conflictui, aut exercitationibus Metaphyſicis reſervamus.

28. 3. *Vniverſalia non ſunt tantum nomina communia*. Quoniam & illud, quod nominibus iſtis ſignificatur, commune eſſe debet; niſi nomina illa prorſus ἀκατηγορήματα & non ſignificantia fingas. Quid autem illud commune ſit, nunc dicendum. Sequitur enim

29. *Convenientia* Univerſalitatis *cum ſuo ſubjecto*, quæ in eo conſiſtit, ut ſit modus quidam unitatis, ratione noſtrâ abſtractus à præſentiâ, cum ſuperadditione indifferentiæ ad pluralitatem: Quare realiter idem eſt, quod Ens ſingulare, & tantum formaliter ſive conceptu ab eo differt.

30. IV. *Efficiens* univerſalitatis cauſa, vel *remota* eſt, vel *proxima*; *Remota* vulgò *fundamentum* dicitur *univerſalitatis*; eſtque duplex 1. *Convenientia* rerum inter ſe. 2. *Indifferentia ad exiſtentiam & pluralitatem*. *Proxima* cauſa eſt *ratio* noſtra, illud fundamentum deſignans, & ab eo Entia denominans. Hinc patet conciliatio Nominalium & Realium, quia univerſalia ſunt aliquid fundamentaliter, ante operationem intellectûs: formaliter, hoc eſt

ut

ut ſint univerſalia, debent intellectui.

31. V. *Finis* Univerſalitatis eſt; *juvare intellectum* in rerum cognitione: Quoniam enim hic ad indefinita aut infinita ſe non extendit: Singularia autem, quia in abſtracto conceptu indifferentiam ad pluralitatem involvunt, ex ſe determinata non ſunt ratione numeri, ideo conceptu univerſali conſiderantur, ut quotuſquiſque numerus accedat, is in illâ conſideratione, quod ſuum eſt quærat.

32. VI. *Differentia* univerſalitatis eſt, quod alia ſit *Synomia*, alia *Analogia. Synonymia* eſt *univerſalitas notans indifferentiam ad nomen & rem æqualiter. Analogia* verò *notat indifferentiam ad nomen & rem quidem, ſed inæqualiter. Inæqualitas* autem illa vel eſt in *Prædicatione*, & dicitur analogia *attributionis*, ſive *internæ*, quæ tamen huc potiſſimum ſpectat, ſive *externæ*; Vel eſt in *Proportione* & ſimilitudine quâdam officii, quæ dicitur Analogia *Proportionis.* Quibus alii univerſalitatem homonymias addunt, quando ſolum nomen indifferens, & nihil rei, neque æqualiter neque inæqualiter: Sed hæc tantum communitas eſt vocis: Alii analogiam attributionis appellant analogiam proportionis, & alteram analogiam proportionalitatis: ſed nullo fundamento; Præterquam, quod ſic analogia attributio-

 nis

nis ex analogiâ alterâ oriri deberet, quemadmodum ex proportionalitate proportio; imò una eſſet alterius, prout proportionalitas proportionis eſt, & proportio proportionalitatis. Cætera ex iis quæ de genere univoco & analogo præcipienda ſunt, facile dignoſces; Eſt enim genus, unum ex univerſalibus, reſpectivè ſive Logicè conſideratis. Et hæc de Univerſalitate.

CAP. IV.

DE

Simplicitate & Vnione.

1. *ALia differentia* Unitatis oritur, *ex* diverſimodâ *conſtitutione*, ſive *purâ*, ſive ex aliorum concurſu *ortâ*; Licet enim unumquodque Ens conſtitutum ſit, non tamen omne ſimplex eſt, aut plurium ad illam conſtitutionem concurſum excludit; *Pura* ſi fuerit *conſtitutio* & unitas, *Ens* dicitur *Simplex*: At ſi ex pluribus *coalita* conſtitutio, *Ens* dicitur *unitum*; Quare nunc de *Simplicitate & Vnione*, tamquam ex unitate ortis affectionibus, agendum.

2. *Simplicitas*, ſi *nomen* ſpectemus, *plicam*, hoc eſt compoſitionem, *negat*, quare *vox negativa* eſt, poſitivam, licet imperfectiorem, affectionem oppoſitam tollens; quemadmodum apud *Græcos* ἀπλό-

τηs,

tas; & noſtrates *Belgæ*, *Een-vuldigheydt*, ſive *enkelheydt* dicunt, quaſi *eensgekeert-heydt* id eſt, unius modi verſio; vel *enckeld*, quaſi *eens geleydt*, id eſt ſemel ſive ex uno poſitum, non compoſitum; poſitivâ quidem ſed compoſita voce. *Habent* tamen *Belgæ* vocabulum æquè ſimplex ac *Poſitivum*, quo hanc affectionem exprimant, videlicet *Slechtheyt*, huic rei ſat commodum.

3. Quoad *ambiguitatem*, nec ſemper idem denotat Simplicitatis vox. 1. Namque ſimplex idem eſt, quod abſolutum; & ſic ſimpliciter rem conſiderare, opponitur conſiderare reſpectivè ſive comparatè. 2. Simplicitas eſt puritas à dolo, ut Matthæi, 10. Eſtote ſimplices, ut columbæ. 3. Simplicitas eſt puritas à prudentia, & ſimplex idem quod imprudens, unde & *Belgæ* dicunt *een ſimpel Menſch.* 4. Simplicitas eſt puritas à compoſitione vel unione; idque vel cum reſpectu ad unionem, ut partes ratione totius ſimplices dicuntur; vel abſolutè, ſine aliquo ordine ad compoſitionem, ut Deus dicitur ſimplex.

4. *Simplicitas aliter* appellari poſſet *puritas*; Et quidem *rectius*; Poſitiva enim vox eſt puritas, ideoque magis ſignificandæ affectioni poſitivæ proportionata, quam ſimplicitas, quæ merè in ſe negativa eſt.

5. Quod ad *rem* ſimplicitatis ſpectat,

abſolvitur explicatione, 1. *Quid* ſit? 2. *Quotuplex* ſit? 3. *Quæ* ejus *proprietates* & axiomata?

6. I. Simplicitatem *definit Burgerſdicius*, quod ſit, *unitas carens omni multitudine.* Sed 1. negativa eſt definitio poſitivæ affectionis. 2. Fit per oppoſitum, multitudo enim unitati ac ſimplicitati opponitur. 3. Nec eſt adæquata, ſoli quippe ſimplicitati divinæ ac abſolutæ convenit, omni multitudine carere; Reliquæ verò omnes ſimplicitates, utpote comparatæ, nec ſimpliciter ſimplices, aliquam multitudinem præſupponunt. Convenientius igitur definitur *modus unitatis, quo ens habet ſuum eſſe ſemel purum*; id eſt, non unitum, mixtum, aut ex pluribus compoſitum.

7. II. *Duplex* inprimis eſt *Simplicitas*, alia *abſoluta*, alia *comparata*. *Abſoluta* ſimplicitas eſt *omnimoda puritas* eſſentiæ, quâ omnis prorſus multitudo excluditur, eſtque ſolius eſſentiæ divinæ. *Comparata* eſt, quæ licet in ſe aliquam multitudinem habeat, non tamen habet omnem, cujus ratione adhuc puritas manet; Eſtque *triplex Metaphyſica*, *Logica* & *Phyſica*. *Metaphyſica* ſimplicitas varia eſt: Nam *primò* eſt *puritas ab Actu & Potentiâ*, adeoque puro Actui, Deo videlicet tantum convenit. *Secundò* eſt *puritas ab Actu & eſſentiâ*, ſive à conſtitutione & eſſe; & iterum

Deo

Deo convenit, utpote negativè conſtituto: Non item creaturis, quibus poſitiva conſtitutio, ab extrinſeco tributa, convenit. *Tertiò* eſt *puritas ab eſſentiâ & exiſtentiâ*, id eſt ab eſſe ſimpliciter & eſſe præſenter. Ac iterum Deo convenit tantum, utpote cujus eſſentia neceſſaria eſt, adeoque neceſſariam ac independentem involvit exiſtentiam. *Quartò* eſt *puritas à naturâ & ſuppoſito*, id eſt ab eſſe jam quidem conſtituto ac diſtincto, & ſimul modo, quo illud independenter à ſubjecto aut alterius ſuſtentatione, & completè poſſidetur; Quæ propterea convenit Subſtantiarum partibus, ut & accidentibus, Chriſtique naturæ humanæ, ut & omnibus univerſalibus. Hujus ſimplicitatis longè alia eſt ratio ac reliquarum omnium; ubi enim reliquæ majorem perfectionem ſibi oppoſitis compoſitionibus inferunt, hæc contra ſuâ compoſitione indignior eſt. Adeo ut cæteris paribus dignius ſit, ex naturâ & ſubſiſtentiâ conſtare, quam earum ratione ſimplex eſſe. Imò infinitæ perfectionis nota eſt, plures ſubſiſtentias ac hypoſtaſeis in unâ eſſentiâ aut naturâ habere, aliamque naturam completam ſuſtentare, ac in hypoſtaſin ac perſonalitatem unam aſſumere.

8. Quæres, *an igitur Deo talis compoſitio non repugnet*? *Reſp.* Neutiquam; Non

n. 1. eſt ex ſubjecto & accidente 2. ex diverſis rebus. non ex talibus quæ ſe habent per modum potentiæ, & actus; ſed ex re modificatâ infinitâ, ac tribus modis ſubſiſtendi infinitis ac immutabilibus. *Objic.* 1. Sed ſic perit abſoluta ſimplicitas Dei modò aſſerta. *Reſp.* Nihil minus: imò potius aſſeritur; non perit, quia compoſitio ex modificato & modis finitis tollit ſimplicitatem; non verò ex modificato & modis infinitis. Aſſeritur, quia infinitæ ſimplicitatis ac perfectionis conditio eſt, plures modos ſubſiſtendi in unâ naturâ retinere.

9. *Objic.* 2. Sic foret mutabilis Deus: Omne enim compoſitum in ſua principia ex quibus coalitum eſt, reſolvi poteſt, adeoque mutari. *Reſp.* Omne compoſitum ex principiis mutabile; At hæc non eſt compoſitio ex principiis. 2. Negatur conſequentia; Modi enim infiniti ac inſeparabiles nullam mutationem aut mutabiliatem in modificato inferunt. Vid. plenius hæc docentem *Clariſſ. Heereboord. lib.* 2. *Pneumaticæ. cap.* 4. Et infra plenius hæc, quantum pote, enucleanda.

10. Simplicitas *Logica* eſt 1. *puritas à genere & differentiâ*; Ac etiam Deo convenit; ſub univoco enim, id eſt propriè dicto, genere cum Ente finito contineri nequit. 2. *Puritas à denominato & denominatione* externa: verum hæc externa puritas,

ac

ac vix dum ulli Enti convenit.

11. *Phyſica* ſimplicitas *quadruplex* eſt; Primò namque eſt *puritas à materiâ & formâ*, quæ opponitur Compoſitioni Phyſicæ, quomodo Spiritus ſimplices ſunt. *Secundò eſt puritas à miſtione*, quæ Elementis & Cœlo convenit. *Tertiò eſt puritas ab aggregatione*, ſive plurium perfectorum collectione, quæ ſingulis corporibus naturalibus ſeorſim convenit. *Quartò eſt puritas à concretione*, ſive ex ſubjecto & accidente cohæſione, quæ abſolutè ſoli Deo convenit.

12. III. *Axiomata* ex naturâ ſimplicitatis oriunda, *hæc* potiſſimum ſunt 1. *Simplicitas eſt perfectio poſitiva.* Non enim negat, ſed ponit perfectionem. Hinc igitur eminentiſſimo modo Deo convenire debet. 2. *Simplicitas eſt perfectio abſoluta.* Non enim ob reſpectum ad aliud Ens dicitur ſimplex, ſed ob propriam eſſentiam. 3. *Simplicitas denominat Ens intrinſecè.* Ratio eſt, quia idem præſtat unitas, cum quâ eadem eſt ſimplicitas. 4. *Simplicitas eſt prior compoſitione*; unio enim uniénda, quæ ſunt ſimplicia, præſupponit. Eſtque illa *prioritas* modò *temporis*, ut Elementa miſtis: modò *naturæ*, ut materiâ corpore naturali: modò *originationis* metaphyſicæ, ut conſtitutio Ente prior eſt. 5. *Simplicitas eſt dignior compoſitione.* Præſtat enim habere eſſe purū per ſe, quam unitum per plurium concurſum. 6.

Quò quid ſimplicius, *eò perfectius*; Quod, ſicut & antecedens, de abſolutâ ſimplicitate, non de comparatâ partium, intelligi debet; Alias quippe homo ex animâ rationali & corpore ſuo compoſitus dignior eſt, vel animâ vel corpore ſeorſim.

13. *Simplicitati* eſſentiæ *opponitur Vnio*, quæ vel abſolutè capitur, pro modo unitatis, vel reſpectivè pro ordine uniti ad unienda: Priori modo hîc conſideranda: At poſteriori inter affectiones reſpectivas.

14. Eo modo igitur ſumpta *unio*, *aliter* dicitur *compoſitio*, videlicet *latè dicta*; *Anguſtius* enim *hæc* ſi accipiatur, aut *notat unionem ex partibus* ſe mutuò *penetrantibus omnem*, aut *ſaltem* eam *quæ eſt ex materiâ & formâ* Præterea unio dicitur 1. *Confuſio*. 2 *Mixtio*. 3. *Aggregatio*. 4. *Concretio* 5. *Complexio*: Sed hæ potius certum aliquem modum, aut ſpeciem unionis ſignificant, quam ut pro ipſius ſynonymis habeantur.

15. *Duo* reſtant *in* ipſa *re* unionis conſideranda. 1. *Quid* ſit? 2. *Quomodo dividi* debeat? I. Eſt autem *unio*, *modus unitatis*, *quo ens habet eſſe ſuum per concurſum plurium*, hoc eſt non purum. Iis igitur convenit, quorum eſſe ex diſtinctis quibus coalitionem requirit; Adeoque non omni Enti; Quemadmodum nec ſimplicitas omni convenit. Et præterea prout ſim-

ſimplicitas non differt realiter ab ente ſimplici, ita nec unio ab Ente unito aut compoſito. Eſt quippe ſimplicitas ipſa eſſentia ſimplex & pura, & conſimiliter unio ipſa eſſentia unita & non pura.

16. II. *Variis modis dividitur* unio, & quidem *primò* vulgata eſt diſtributio ejus in *Realem*, *Rationalem* & *Modalem*; Et optima ſi dextrè accipiantur termini. Pro quo nota 1. Quod *realis unio* ſive compoſitio *dupliciter* dicatur, vel *ſtrictè*, de ea, quæ eſt ex diverſis rebus ſeu entibus diverſum eſſe habentibus, quomodo hic accipi debet: vel *latè* de eâ quoque, quæ habet fundamentum in re; atque ita etiam modalis realis dici poteſt. 2. Nota, quod etiam *rationalis unio dupliciter* ſumatur, *latè* videlicet & *ſtrictè*. *Latè* pro omni, quæ fit ex pluribus reipſâ non diſtantibus quibuscumque, & ſic modalem quoque ſub ſe comprehendit. *Strictè* verò, tantum pro eorum, quæ ſolâ ratione citra aliquod fundamentum, aut etiam ſolis conceptibus inadæquatis differunt: Quomodo hic accipi debet.

17. *Eſt* igitur in hac diſtinctione Unio *realis*, *modus unitatis*, *quo Ens habet eſſentiam ex plurium rerum unione unitam*. *Eſtque* vel *Actualis*, vel *Potentialis*. *Actualis* dicitur, quod in ipſâ omnes partes proprium actum ſeorſim habent, vel potius,

quod

quod partes actu extra ſe invicem conſtitutas habeat. Eſtque vel *Continuatio*, vel *Aggregatio.*

18. *Continuatio eſt modus unitatis, quo Ens habet eſſentiam per plurium rerum concurſum, ſub unâ ſuperficie ſenſibili. Talis* eſt 1. *in* omni *mixto homogeneo*, v. gr. Auro, Argento &c. 2. *in mixto artificiali liquido*, v. gr. Aquâ ſalſâ, Cramâ &c. in quibus ſenſus diſtinctas partium ſuperficies non advertit.

19. *Aggegatio eſt modus, quo Ens habet eſſentiam per plurium concurſum, ſub diſtinctis partium ſuperficiebus ſenſibilibus. Eſtque ordinata, vel inordinata; Ordinata aliter nexus vel connexio* dicta, eſt quando partes ſub diverſis ſuperficiebus ſenſibilibus contentæ, ad ſe mutuo proportionem ac habitudinem obtinent, quâ ordinatè inter ſe connectuntur, ut fit in corpore humano. *Inordinata*, quæ *aliter confuſio* dici poteſt, eſt quando partes nullum ordinem ad ſe invicem habent, ſed ſaltem *ἀτάκτως* & confuſe coacervantur, ut in in acervo lapidum.

20. *Potentialis unio, eſt quando pars una habet ſe per modum potentiæ, & altera per modum actus*; Vel potius quando partes ſe mutuo penetrant, adeo ut una extra aliam monſtrari non poſſit, neque ad ſenſum, neque ad rationem. *Vel* &, *cum una*

una pars eſt ſubjectum alterius ſive *informationis*, ſive *inhæſionis*, ſive *denominationis*; unde exſurgit *triplex* unio *potentialis* 1. *Informatio*, ut in quocunque corpore naturali, quatenus ex materiâ & formâ conſtat informante, & hæc ſtrictè dicta eſt compoſitio. 2. *Inhæſio*, quæ & concretio dicitur, eſtque eorum, quæ ex ſubjecto & accidente uniuntur. 3. *Denominatio*, aut unio per denominationem, qualis eſt in eo qui Dominus, Pater &c. dicitur. Ex his unio *per informationem facit eſſentiam per ſe*, *reliquæ per accidens*, ſive intrinſecè, in inhærentiâ, ſive extrinſecè, ut in denominatione, quæ propterea unio potius prædicationis, quam eſſentiæ appellari debet.

21. Unio rationalis duplex eſt, vel reſpectu partium ratione & conceptu tantum diſtinctarum, ac reipſâ convenientium, qualis eſt omnis illa, quæ ſimplicitati Metaphyſicæ & Logicæ opponitur; Vel reſpectu totius, quod ſolâ ratione colligitur ex partibus non unitis, ſed conceptu aliquo quidditativo tantum convenientibus, qualis eſt unitas Generis aut ſpeciei.

22. *Vnio modalis* eſt *inter rem ejusque modum ſeparabilem* & accidentalem; nec non à naturâ abſolutâ modificati diſtinctum, qualis eſt ex homine & ſeſſione in homine ſedente.

23.

23. Deinde *unio* eſt *vel per ſe*, cum omnes partes concurrentes ad eſſe perfectum totius requiruntur, ut ad hominem requiruntur corpus humanum & anima rationalis; *vel per accidens*, cum iſti toti eſſentialiter conſtituto, aliquid ſuperadditur, ut homini doctrina.

24. Denique *Unio* eſt vel *Metaphyſica*, vel *Logica*, vel *Phyſica*; prout quoque talis fuit ſimplicitas; Singularum igitur *ſpecies ex* oppoſitis *ſimplicitatis ſpeciebus* hauriri poſſunt. Atque his ſimplicitatis ac Unionis, adeoque univerſa unitatis doctrina, abſolvitur.

CAPUT. V.
DE
Veritate.

1. Sequitur ſecunda ex eſſentiâ orta affectio, veritatis nomine appellata, cum ſuis modis, conſideranda, quoad nomen & quoad rem.

2. Quoad *nomen*. 1. *Opponitur figmento*, ita dicitur verus Deus, quâtenus verè & non fictè eſt. 2. Opponitur *errori*, ita verè id cognoſcitur, in quo nullus error eſt. 3. Opponitur *mendacio*, ita verè loquimur, quæ menti convenienter dicimus. 4. Opponitur *falſitati complexæ*, ita vera

dicitur

dicitur propoſitio, quæ conjungit conjungenda & disjungit disjungenda. 5. Sumitur *pro* certo *modo eſſentiæ*, ſeu affectione ex eſſentiâ orta, videlicet ortu conceptuum. Quo pacto hic accipienda venit.

3. *Alii aliter* haſce *ſignificationes* enumerant, dividentes veritatem in *ſimplicem* & *complexam*; quarum *illa* eſt, quæ ſimplici intellectûs apprehenſioni reſpondet: *Hæc* verò quæ ratione compoſitionis terminorum & conceptuum conſideratur: atque *duplex* eſt, *mentis* & *verborum*; prout videlicet illa compoſitio & diviſio vel ſolâ mente abſolvitur, vel etiam vocibus effertur. *Veritas* igitur *mentis* illa eſt, quæ *errori opponitur*: Error quippe eſt, ſi intellectus ea quæ conjuncta ſunt, judicet disjungenda, & disjuncta conjungenda. *Veritas verborum* etiam *duplex* eſt, *Ethica* & *Logica*. *Prior* eſt convenientia ſermonis cum intellectu, eique opponitur mendacium; *poſterior* eſt nuda convenientia ſermonis cum rebus, eique opponitur falſitas Logica. Ex hac diſtinctione ſolvitur tritum illud paradoxon, *quod aliquis verum dicens mentiri poſſit*; Et contra *falſum dicens non mentiri*. Non enim mendacium committit, qui profert ſermonem ſuo intellectui convenientem, licet is falſus ſit, ſi rebus applicetur.

4. Verùm quoniam *ſimplex veritas* af-

fectio

fectio eſt Entis, ideo hic ſola *acceptanda*, reliquis ad proprium forum tranſmiſſis. Videtur autem hæc aliqnando ſumi *concretè* ſive materialiter, *ſimul cum* ſuo *ſubjecto*, quomodo ſcientia dicitur veritatis indagatrix : aliquando autem *abſtractè* ſive formaliter, quatenus accipitur *pro ſolâ ratione* formali, propter quam Ens verum dicitur.

5. Igitur in formali illâ conſideratione videndum 1. *Quid* ſit Veritas? 2. Ejus *ſubjectum* 3. *Oppoſitum*. 4. Quinam ſint ejus *modi*?

6. I. *Eſt* autem Veritas *modus eſſentiæ, quo Ens habet eſſe ſibi debitum* : hoc eſt tale cum talibus attributis, quale & quæ ad illud Ens requiruntur : Ita ſcilicet verum dicitur aurum, quod habet tale eſſe ac attributa talia, quod & qualia ad id,quod aurum eſſe debet, requiruntur.

7. Unde *formalis ratio* veritatis, prout Enti intrinſecè convenit; eſt *debituido* quædam *inter ens ejusque eſſe*: Solet autem illa debitudo aliter ac aliter ab Autoribus exigi & æſtimari, unde natæ ſunt diverſæ illæ de veritatis ratione opiniones, quæ tamen facilè & inter ſe & nobiscum conciliari poſſunt. *Debitudo* enim illa *æſtim t ur* vel *internè*, vel *externè*. *Internè* æſtimatur ex nudâ terminorum apprehenſione, quod quidem evenit *dupliciter*,

1. *Ratione*

1. *Ratione formæ.* 2. *Ratione ſubjecti.* *Priori* modo æſtimatur *ſecundum* cujuscunque Entis *conceptum formalem,* qui eſt quaſi imago ac exemplar illam debitudinem repræſentans, unde etiam idea appellatur. Atque ita verum eſt, *veritatem eſſe convenientiam rei cum ideâ*; Quâtenus videlicet idea non ſignificat eſſentiam ſeparatam, nec etiam exemplar rei ab opifice aliquo conſtituendæ, ſed cujuscunque rei conceptum eſſentialem. Neque aliud refutant rationes, quibus illa ideæ ratio infirmari videtur.

8. *Poſteriori modo*, ratione ſubjecti, hoc pacto æſtimatur veritas: Quoniam idea ſive conceptus ille eſt in intellectu, & ſæpiſſimè intellectus concretè pro ſe ipſo & ſimul ideâ receptâ accipitur, *non malè* quoque illa debitudo veritatis *ex intellectu æſtimari* dicitur. Atque ita verum eſt, *Veritatem eſſe convenientiam cum intellectu*, Neque ferit ratio, quæ in contrarium adduci poſſet, quod nempe res vera dicatur, ſine ullo reſpectu ad intellectum: Aliud enim eſt rem eſſe veram, & aliud eam veram æſtimari. Eſt quidem vera per internam illam debitudinem, æſtimatur autem per intellectum.

9. *Externè* æſtimatur debitudo, cum exigitur *ad* externam aliquam *imaginem*, quâ ipſius eſſe ſignificatur: Talis verò ima-

go

go eſt *definitio*, adeòque nec in univerſum illi culpand ſunt, qui ſtatuunt veritatem eſſe convenientiam rei cum ſuâ definitione. Quamvis in eo errent, quod ipſum formale veritatis in eâ convenientiâ ponant, cum ſaltem ad æſtimationem pertineat: Ut & in eo, quod velint, idem eſſe rem convenire cum ſuâ definitione, & ipſum convenire cum ſuis principiis eſſentialibus: Hæc enim ſunt ipſum eſſe, at definitio ipſum eſſe ſequitur. Ex dictis igitur ſequitur, Autores Metaphyſicos non eodem modo Veritatem capere, licet exinde prognatæ diverſæ ipſorum poſitiones amicè conciliari poſſint.

10. II. *Subjectum* veritatis eſt *omne Ens*; Quidquid enim eſt, illud eſt, quod eſſe debet; Cum igitur nihil præter Ens habeat eſſe, nihil quoque præter ipſum veritatem habebit. *Dices*: At veritas etiam eſt in conceptibus, imò & vocibus. *Reſp.* 1. Horum duplex eſt conſideratio: vel ſecundùm eſſe reale, quâtenus ſunt qualitates vel actiones, quo pacto etiam Entia dici poſſunt; vel ſecundum repræſentationem, quâtenus ſigna & exemplaria rerum, quomodo neque Entia ſunt, neque veritatem habent, niſi externam illam in convenientiâ ſigni & ſignati conſtitutam. 2. *Reſp.* Conceptus & voces non habent veritatem in ſe, ſed in ſignificatis tantum.

3. *Reſp.*

3. *Reſp.* Veri dicuntur conceptus, quoniam per eos veritas æſtimanda eſt; non quod in ſe veritatem habeant.

11. Atque hinc *patet.* 1. *Formalem* Veritatis *rationem non conſiſtere in aliquo reſpectu* ad extrinſecum quodcunque, ſed ipſi enti, eo quod eſſe habeat intimè convenire. Quare nec formalis ratio erit conformitas cum rationibus formalibus ſive ideis Entium, in intellectu divino conſtitutis; Ita enim non niſi extrinſecâ denominatione Ens verum dici poſſet. Quamvis hoc verum ſit, illas formales rationes in intellectu divino poſitas, adæquatam eſſe menſuram, illam veritatem Entium exigentem, ac ſingulis eſſe debitum tribuentem.

12. *Patet* 2. *Veritatem ſe ita habere ad Ens, ut ab ipſo realiter non diſtinguatur,* ipſique nihil aliud ſuperaddat, niſi poſitivum aliquem modum, ſolâ ratione ab Ente diſtinctum.

13. III. *Oppoſitum* Veritatis eſt *falſitas,* quæ totidem modis ac veritas accipi poteſt. Prout autem nunc conſideratæ veritati opponitur, deſcribi poteſt, quod ſit, *modus non-Entis, quo id habet non-eſſe ſibi non-debitum.* Unde patet ipſam Enti contradictoriè opponi; quoniam poſito ente ejusque veritate, non-ens ejuſque falſitas tollitur. Cui tamen *obſtare* videtur 1. Quod unaquæque res poſſit dici vera, quâtenus

eſſe

eſſe ſibi debitum habet, quodque eadem poſſit dici falſa, quâtenus non habet eſſe alteri debitum. Quemadmodum orichalcum verum eſt orichalcum, & falſum aurum. *Reſp.* Orichalcum propriè loquendò falſum aurum dici nequit; Falſum enim eſt, quod habet non eſſe ſibi non debitum: At orichalcum habet eſſe ſibi debitum: Illudque non-eſſe aurum ipſi eſt debitum, quare etiam non-aurum dicitur, non verò non-debitum; Quod requireretur, ut falſum diceretur aurum. 2. *Obſtare* videtur, quod in privatione eſſe debitum tollatur, adeoque falſitas eâ accedat ſubjecto, quod Ens eſt; quare etiam falſitas in Ente videtur dari. *Reſp.* 1. Si eſſe debitum privatione tollatur, eo ipſo aliud eſſe debitum accedit, neutiquam verò non-eſſe non-debitum. 2. Falſitas non eſt comparata quædam non-debitudo, ſed abſoluta; quare licet tollatur aliqua debitudo Enti ratione ſpeciei debita, non tollitur tamen abſoluta debitudo, ut fiat planè non debitudo.

14. *Modi* veritatis *varii* ſunt, quorum tamen non-nulli complexæ, vel externæ veritati potius, quam incomplexæ & internæ, conveniunt; quos tamen omnes breviter enucleandos exiſtimo. Sunt igitur vel *interni* & abſoluti, vel *externi* & reſpectivi. *Interni* modi veritatis duo ſunt 1. *Gradus*. 2. *Status*. *Gradus* veritatis eſt *ipſius*

de-

debitudinis intenſio, quæ ſi firmior ſit, dicitur Neceſſitas, ſi debilior Contingentia, quæ nunc cum ſuis oppoſitis explicari debent.

CAP. VI.

DE

Neceſſitate & Contingentiâ.

1. NEceſſitas ſi *nomen* ſpectetur, *quibuſdam* dicitur à *ne* & *ceſſando*, quia in neceſſariis cunctandum non eſt: *aliis* autem neceſſe dicitur id, *ſine quo nec eſſe* poſſumus, adeo ut indigentia quæ iſto nomine ſignificari videatur.

2. Quoad *ſignificationes*, *quatuor* hoc vulgari diſticho continentur.

Vtile, perpetuum, ſuſtentans & violentum:
Quatuor expreſſè, vox denotat iſta neceſſe.

Ex quibus *ſecundum* potiſſimum *hujus loci*; adeò ut perpetuitatem quamdam denotare videatur: Atque ita *tribuitur* vel *Entibus*, vel eorum *connexioni*, vel *orationi*.

3. *Neceſſitas Entium* eſt eorum quædam conſtantia ac firmitas, quæ propriè Metaphyſica & hujus loci eſt. *Neceſſitas connexionis* eſt neceſſaria & conſtans rerum cohæſio, vel quod una ad alterius pertineat eſ-

ſentiam, quomodo homo neceſſariò eſt animal; vel quòd unum ſine altero eſſe nequeat, quomodo 1. Effectus neceſſariò arguit cauſam. 2. Pars totum. 3. Accidens Subjectum. 4. Conſequens Antecedens, &c. *Neceſſitas orationis*, conſiſtit in neceſſariâ ac conſtanti convenientiâ terminorum eſſentialium inter ſe; Cujus gradus ſunt κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλȣ πρῶτον; Sed de hiſce conſulendi erunt Logici.

4. *Synonyma* penè neceſſitatis ſunt 1. *Perpetuitas*. 2. *Incorruptibilitas*. 3. *Immutabilitas*. Non tamen propriè idem valent, quod neceſſitas: nam 1. *perpetuitas* ejus modus eſt, ut pote neceſſitas durationis potiſſimum. 2. *Incorruptibilitas* non tam notat firmitatem ac conſtantiam, quam res habet in ſe, quam quòd ab alio deſtrui nequeat. 3. *Immutabilitas* ſtatum veritatis notat, ſive Entis in eſſe debito perſeverantiam, non præcisè præſentem firmitatem aut neceſſitatem.

5. Rei conſideratio, abſolvitur inquirendo 1. *Quid* ſit neceſſitas? 2. Quodnam ejus *ſubjectum*? 3. Quænam *differentiæ*? 4. Quodnam *oppoſitum*?

6. I. *Definitur* neceſſarium, *quod non poteſt aliter ſe habere*: ſed 1. *negativè*. 2. Vt potius *quid nominis*, quam quid rei *explicetur*. *Aliis* definitur, *quod non poteſt non eſſe*. *Verè* quidem: ſed *non ſufficienter*

pro

pro genuinâ rei definitione. *Rectius*, quod ſit, *modus veritatis, quo ens habet eſſe ſibi debitum firmiter.*

7. II. Quoad *ſubjectum*; Prout *omne ens* eſt verum, ita quoque eſt neceſſarium; Vnde quia multi gradus ſunt veritatis, erunt quoque *multi modi* neceſſitatis; Quorum *unus ſummus* eſt, Deo ſoli conveniens. *Reliqui* variis intervallis ab ipſo *declinantes*, ſemper *aliquid contingentiæ involvunt*, plus minuſve pro majori vel minori acceſſu & receſſu ad illud primum neceſſarium.

8. III. *Differentiæ* Neceſſitatis *variæ* ſunt, *imprimis* notanda illa, quâ dividitur *in* neceſſitatem *Internam* & *Externam*. *Illa* eſt *firmitas interna ab ipſo eſſe debito orta*, adeoque potiſſimum affectio Entis interna. Eſtque *duplex*, *abſoluta*, locum habens in iis, quorum non eſſe implicat contradictionem, ſive ſimpliciter, quomodo neceſſarius eſt Deus, ſive ex connexione terminorum, ut neceſſarium eſt hominem eſſe animal; vel *relata*, locum habens in omnibus illis, quorum non-eſſe contradictionem non implicat, adeoque ab alio aliquo iſtâ debitudine excidere poſſunt, ſive à Deo, ut in ortu ſolis; ſive ab alio quoque agente, ut in deſcenſu gravium.

9. *Externa* neceſſitas rebus vel rerum

connexioni tribuitur, *propter conditionem* aliquam *externam*. Quomodo quæ in ſe & ſimpliciter conſiderata contingentia ſunt, poſitâ tamen illâ conditione neceſſaria dicuntur. Talia autem in ſenſu diviſo, hoc eſt, ſeorſim ſine illâ conditione ſpectata, dicuntur contingentia: At in ſenſu compoſito, hoc eſt, ſimul cum poſitâ illâ conditione conſiderata, ſunt neceſſaria; ita videlicet, loqui in ſe contingens eſt, at ex hypotheſi finis, ad ſignificandum animi ſenſum, eſt neceſſarium.

10. Illa autem *conditio*, quæ rei in ſe contingenti neceſſitatem tribuit, *triplex* eſt, *Antecedens*, *Conſequens*, *Connexa*. *Antecedens*, *vel tantum* eſt antecedens, *vel etiam cauſa*. *Tantum antecedens*, eſt v. gr. decretum, præſcientia ac prædictio Dei, ita igitur neceſſe erat, oſſa Chriſti in cruce non frangi, quia hoc à Deo præſcitum, & à Prophetis prædictum erat. Conditio *antecedens*, quæ *ſimul cauſa*, eſt, vel *Coactio*, vel *Determinatio*. *Coactio* eſt violenta impulſio, adeoque neceſſitatem affert effectui ejus, qui cogitur; Quod enim coactè quis & per vim facit, id non poteſt non facere; omne igitur violentum, etiam neceſſarium. *Determinatio* eſt, agentis contingentis ad unum oppoſitorum neceſſitatio: Poſitâ igitur hac, agens non poteſt non agere, & ſi ad ſpeciem tendat, non,

non poteſt niſi illius ſpeciei actionem producere; Sic voluntas, ab ultimo intellectûs practici judicio determinata, neceſſariò agit; & quidem hoc, ad quod determinata eſt, non aliud. Conditio *conſequens* vel eſt *finis*, vel *Eventus*; *Priori* neceſſe fuit Chriſtum in mundum venire, ut genus humanum redimeret. *Poſteriori* non poſſunt non fieri hæreſes, ut ſcilicet *δόκιμοι* manifeſtentur. Conditio *connexa* eſt, quæ cum re cohæret, ac tempore ſimul eſt; ita videlicet neceſſe eſt aliquid eſſe dum eſt, v. gr. hominem ambulare dum ambulat; Et non eſſe, dum non eſt v. gr. hominem non ambulare, dum non ambulat. Quæ optimè hoc pacto diſtinxit *Burgerſdicius*, quem ſequi conſultum duxi.

11. *Deinde* neceſſitas dividitur, quòd ſit *incomplexa*, vel *complexa*: *Prior* eſt *in eſſentiâ* ac veritate rei, *poſterior in prædicatione*, & veritate orationis; Eſtque non niſi nominis diſtinctio.

12. *Tertiò* diſtinguitur, quod ſit vel *ad eſſe*, vel *ad benè eſſe*: Eſtque non univerſæ neceſſitatis, ſed ſaltem *externæ ex hypotheſi finis*, ad quem media quædam abſolutè ſunt neceſſaria; quædam ſaltem utilia.

13. *Quartò*, neceſſitas vel eſt *naturæ*, vel *violentiæ*; *Prior* rei *conveniens* eſt, ut de-

deſcenſus lapidis ſurſum projecti: *poſterior* verò *inconveniens*, ut ipſa projectio lapidis ſurſum.

14. *Quintò*, neceſſitas vel eſt *conſequentis*, vel *conſequentiæ*: *Prior* eſt *interna* & ipſius rei: *poſterior externa*, & connexionis rei cum conditione.

15. IV. *Oppoſitum* neceſſitatis eſt *impoſſibilitas*, quæ conſimiliter ac neceſſitas *tribuitur* 1. *rebus*. 2. *connexioni rerum* inter ſe. 3. *Orationi*.

16. Impoſſibilitas *rerum*, eſt earum repugnantia *ad eſſe*, vel *ad exiſtere*: *Prior* eſt repugnantia *in attributis eſſentialibus*, ut impoſſibile eſt hominem eſſe irrationalem: *poſterior* eſt repugnantia *ad præſentiam*, ut impoſſibile eſt præteritum eſſe præſens.

17. *Impoſſibilitas* autem hæc vel *abſoluta* eſt, vel *ex hypotheſi*. *Prior* eſt eorum, quæ implicant contradictionem; ut impoſſibile eſt non eſſe Deum; opponiturque hæc neceſſitati abſolutæ. Quod enim abſolutè neceſſarium eſt, ejus oppoſitum eſt abſolutè impoſſibile; ut quia homo neceſſariò eſt animal, ideo eum non eſſe animal, abſolutè eſt impoſſibile.

18. *Poſterior*, ex hypotheſi, ſive hypothetica impoſſibilitas, eſt repugnantia ex poſitâ conditione, quâ ſublatâ illud impoſſibile fit poſſibile, quia nempe in terminis nulla eſt repugnantia aut contradictio;

dictio. Ita impoſſibile eſt, hominem eſſe alatum, quia alas habere repugnat conditioni humanæ, tam ratione antecedentis, quia Deus noluit hominem eſſe alatum; quam ratione connexi, quia homo brachia habet; quam ratione conſequentis ſeu finis, quia homo alarum non indiget. Eis autem conditionibus ſublatis, poſſibile erat hominem eſſe alatum.

19. Hinc patet 1. conditionem illam hypotheticæ impoſſibilitatis, non minus ac conditionem neceſſitatis hypotheticæ, vel antecedentem, vel connexam, vel conſequentem eſſe. 2. Patet, impoſſibile ex hypotheſi reipſâ idem eſſe, quod poſſibile, ſed alio planè reſpectu. 3. Patet, poſſibilitatem non præſentibus, ſed futuris tantum tribui poſſe.

20. Impoſſibilitas *connexionis*, aliter contradictio in adjecto dicta, eſt conjunctio eorum quæ disjungi repugnant: Quomodo impoſſibile eſt, duo oppoſita eidem ſecundum idem convenire, & effectum eſſe ſine cauſa, totum ſine partibus, accidens ſine ſubjecto: Eſtque hæc, non minus ac prior abſoluta vel hypothetica; cujus declaratio ex ſupradictis peti poteſt.

21. Impoſſibilitas *orationis*, eſt ſententiæ omnimoda falſitas, ex impoſſibilitate rerum & connexionis ortum trahens. Et hæc de neceſſitate ejusque oppoſito

22. *Contingentia*, quæ *ratione nominis quatuor* potiſſimum habet *ſignificationes*; 1. Tribuitur omni illi *quod fit*, atque ſic omnes Creaturæ contingentes ſunt. 2. *Opponitur* ei, quod *neceſſariò* fit, ita contingens eſt, hominem ambulare. 3. *Opponitur* ei, quod *impetu naturæ* fit, eſtque idem in re quod libertas. 4. Contingens eſt, quod *rarò fit*, ſive impetu naturæ, & dicitur caſus, ſive præeunte aliquâ electione, & dicitur fortuna. Harum ſignificationum *tres priores* potiſſimum *hujus loci* ſunt; ultima autem non niſi analogicè.

23. *Hæc* conſimiliter ac neceſſitas tribuitur 1. *rebus.* 2. earum *connexioni.* 3. *orationi*: Quarum *prima hîc* potiſſimum conſideranda, ut inquiratur, 1. *Quid* ſit? 2. Quænam ejus *oppoſita*? 3. Quomodo *dividenda* ſit?

24. I. Eſt autem *Contingentia modus veritatis, quo ens habet ſuum eſſe ſibi debitum infirmiter.* Idque oppoſitè ad neceſſitatem, cujus aliqua negatio eſt contingentia, quare vix poſitivè eam explicari poſſe credo. Infirmiter autem habere ſuum ſibi debitum eſſe, eſt illud poſſidere ad libitum aut poteſtatem alterius, quo deficiente ipſum eſſe, cum ſuâ infirmitate, perit.

25. II. *Opponitur* autem *primò neceſſitati*, idque *contrariè*, ambæ enim in ſe po-

poſitivæ ſunt affectiones ſibique tantum eodem pacto opponuntur, neque una eſt alterius. *Secundò* opponitur *poſſibilitati*, utpote quæ futuro eſſe, non præſenti, convenit; idque *privativè*; ut contingentia per poſſibilitatem negetur, cum habitudine ad illam, in eodem ſubjecto. *Tertiò* opponitur *impoſſibilitati*, idque *contradictoriè*; Nam in omni contingentiâ præſupponitur aliquod eſſe, quod per impoſſibilitatem prorſus auffertur.

26. III. Licet verò contrariè opponatur contingentia neceſſitati, *non* tamen propterea *in abſolutam & conditionatam dividi poteſt*; *abſoluta* enim contingentia, utpote nullum eſſe, ejusve neceſſitatem habens, *eſt* ipſa *impoſſibilitas*: Omnis igitur conditionata aut hypothetica eſt, aliquam neceſſitatem involvens. Quare quemadmodum abſoluta neceſſitas, omnem reſpuit contingentiam, ita conditionata aliquam præſupponit.

27. Contingentia *connexionis* eſt eorum, quæ cum conjuncta ſunt, diſſolvi poſſunt, ut paries & albedo, homo & doctrina: aut cum disjuncta ſunt uniri, ut divitiæ & Philoſophus. Contingentia *orationis* eſt ſententiæ veræ mutabilis veritas, quæ propoſitionem contingentem in Logicis denominat.

28. *Poſſibilitas*, quæ *contingentiæ oppo-*

nitur, eſt *modus non-entis*, *quo illi non repugnat eſſe*: Hæc igitur Ens in potentiâ denominat; Quare de eâ, quantum huic negotio ſufficit, ſupra actum: infra tamen latius explicanda eſt.

29. *Ex his* autem, quæ de Neceſſitate, Contingentiâ, earumque oppoſitis, dicta ſunt, varia *axiomata* ac documenta deſumi poſſunt; Quorum hæc præcipua. I. *Neceſſitas abſoluta caret omni contingentiâ.* Hinc in Deo nulla infirmitas, dependentia &c. locum habere poteſt. II. *Neceſſitas hypothetica eſt ipſa contingentia*, ſed alio reſpectu: Conditio enim affert neceſſitatem, quæ rei in ſe infirmæ & contingenti per ſe non aderat. Hinc abſolutè loquendo, omnes creaturæ contingentes ſunt. III. *Nulla eſt contingentia ſine aliquâ neceſſitate*: Eſſet enim alias impoſſibilitas. *IV. Non datur contingentia abſoluta*, id eſt nullam neceſſitatem involvens. Quando igitur res in ſe dicuntur contingentes, præſupponitur jam illis adeſſe aliqua conditio neceſſitatis: alias enim res non forent. *V. Idem diverſo reſpectu neceſſarium & contingens eſſe poteſt*: Ita neceſſe eſt hominem loqui, dum loquitur: contingens tamen, quia homo quâ homo ſine illa determinatione conſideratus poteſt non loqui. VI. *Omne liberum quâ tale contingens eſt*: Dicitur quâ tale, quia determinata liber-

libertas ſit neceſſitas. Quod igitur in ſe liberum & contingens eſt, id in ſenſu compoſito cum conditione & determinatione ſive externâ & non vitali, ſive internâ & vitali, dicitur neceſſarium: Atque hoc pacto liberè agit homo in ſenſu diviſo & in ſe: neceſſariò quâtenus & ſeipſum determinat, & à Deo determinatur; Non ergò hîc pugna eſt neceſſitatis & libertatis. Sed de his alibi prolixius, in doctrinâ de cauſa Efficiente.

CAP. VII.

DE

Statu, ſeu Mutabilitate & Immutabilitate.

1. SEquitur *Status*, qui eſt *Entis in eſſe debito perſeverantia*: *Res* autem in eſſe *perſeverat*, vel *immutabiliter* ſine aliquo defectu, vel *mutabiliter* cum defectu: à *priori* modo res dicitur *immutabilis*, à *poſteriori* verò *mutabilis*.

2. *Immutabilitas* igitur eſt *modus veritatis, quo Ens habet eſſe ſuum ſibi debitum, citra defectum perſeverans*: Quæ per negationem oppoſitæ differentiæ concipitur definitio, quòd poſitivæ voces non occurrant.

3. Eſt autem *immutabilitas* vel *abſoluta*, vel *hypothetica*. *Prior* ex ſe nullum agnocit defectum, adeoque ſoli *Deo*, Enti ſummè neceſſariò ac immutabili, *convenit*; *Poſterior* ex ſe agnoſcit defectum; *Entibus* tamen *ex hypotheſi* decreti divini *convenit*.

4. Reliquis igitur omnibus præter Deum ex ſe convenit mutabilitas, ſed alio ac alio modo, qui ex ſpeciebus mutationis colligi poteſt.

5. Eſt autem *duplex mutatio*, alia *eſſentiæ*, alia *conſequentium* eſſentiæ: Mutatio *eſſentiæ* eſt, quâ ens eſſe ſuum acquirit vel amittit; Quod *dupliciter* fieri poteſt. 1. *Simpliciter*, ex nullo antecedente & in nullum conſequens; diciturque talis acquiſitio *creatio*, & *amiſſio annihilatio*: ac ſolâ divinâ virtute præſtari poteſt. 2. *Secundum quid*, ex præjacente nimirum aliquo, & in conſequens; diciturque *generatio*, ratione ejus quod fit ac ſuum eſſe acquirit: at *corruptio*, ratione ejus quod interit; Unde tantum in corporibus locum habet: non item in ſpiritibus, utpote qui nec generari aut corrumpi dici poſſunt.

6. *Mutatio* ratione *conſequentium* vel *interna* eſt, vel *externa*: prout illa quæ conſequuntur, vel externa vel interna ſunt. *Interna* mutatio, vel eſt *in quantitate*, vel *in qualitate*. Mutatio *quantitatis*, vel eſt

à mi-

à minori ad majorem, & dicitur *augmentatio*; vel *à majori ad minorem*, & dicitur *diminutio*; iiſque tantum conveniunt, quorum eſt quantitas, corporibus videlicet. Mutatio *Qualitatis* dicitur *alteratio*, quæ *varia* eſt, *pro diverſitate* mutabilium *qualitatum*. Habetque locum in corporibus potiſſimum: aliquo tamen etiam modo in ſpiritibus.

7. *Externa* mutatio vel *Loci* eſt vel *temporis*. *Prior motus* latiori vocis acceptione dici poteſt, quoniam eâ transfertur res ex unâ præſentiâ in aliam. *Poſterior Succeſſio* appellanda eſt, eâ quippe Ens à præterito per præſens tranſit ad futurum. Atque ita ambæ omni Enti creato conveniunt.

8. *Nulla* harum *mutationum Deo* tribui poteſt; quoniam omnes imperfectionem ab Ente infinitè perfecto alienam, involvunt: At præter has nulla alia mutatio excogitabilis videtur; Quare in univerſum Deus immutabilis cenſendus: Quare ſi aliquid mutationem ſapiens ipſi tribui videatur id ἀνθρωποπαθῶς accipi & θεοπρεπῶς explicari debere, optimè *Theologi* monent. Et hæc de ſtatu.

CAP. VIII.
DE
Certitudine & Evidentiâ.

1. HI *modi fuerunt interni* veritatis; Sequuntur *externi*, Enti non niſi ob reſpectum ad aliud convenientes, adeoque ipſi ſaltem externam denominationem afferentes, quales ſunt *certitudo* & *evidentia*, de quibus pauca admonenda ſunt.

2. *Certitudo eſt firmitas quædam, ejus cui tribuitur*: tribuitur autem 1. *Rebus*. 2. *cognitioni*. 3. *orationi*.

3. *Certitudo rerum* eſt *modus veritatis, quo ens eſſe ſibi debitum firmiter habet*; ſive eſt firmitas eſſe debiti, adeoque reipſâ *concidit cum neceſſitate*, ut ex definitione patet; ut & ejus diviſione, quâ diſpeſcitur in abſolutam & conditionatam: Eâ enim nihil aliud quam neceſſitatis diviſio infertur.

4. *Certitudo cognitionis eſt firmitas judicii, quâ non hæſitanter & ſine metu oppoſiti aliquid judicamus. Opponitur* igitur 1. *Dubitationi*, quâ in utramque partem æque inclinamus. 2. *Opinioni*, quâ magis inclinamus in alteram partem, cum metu tamen oppoſitæ.

5. *Certitudo orationis eſt firma conve-*

nien-

nientia orationis, tanquam ſigni, *cum re*, tanquam ſignato; adeoque *eſt* illa ipſa *veritas* orationis, aut ejus gradus, neceſſitas dictus, à quo Propoſitio neceſſariò vera dicitur; De hac igitur ſuprà dictum.

6. *Evidentia rebus* tribuitur, quâtenus clarè ab intellectu cognoſci poſſunt; Quare *etiam perſpicuitas* dicitur; Quæ vox propriè ſignificat qualitatem corporis, quâ id pellucidum, ac lumen transmittere, non emittere aut reflectere, dicitur; Unde refertur ad intellectum, ut ita ſignificet, quod ab intellectu facilè cognoſci poteſt: Sive illa facilitas ſit ex ipſis rebus, ſive ex earum ſignis, conceptibus videlicet & vocibus.

7. *Triplex* igitur *evidentia* ſive perſpicuitus dicitur eſſe; 1. *in rebus*: 2. *in conceptibus*. 3. *in vocibus*.

8. Perſpicuitas *in rebus*, eſt *facilitas illas cognoſcendi*: Res autem facilè cognoſcuntur, ſi intellectui ſint proportionatæ; non excedentes, ut infinitum; non deficientes, ut nihil. Huic evidentiæ *opponitur ſubtilitas, & admirabilitas*, quâ res difficulter cognoſcuntur.

9. Perſpicuitas *in conceptibus* eſt *clara ac diſtincta rei apprehenſio*; oriturque vel à conſvetudine diſtinctè apprehendendi, ac diſtinctos conceptus formandi, vel à legitimâ perceptione, vel & ab infuſione.

Huic

Huic evidentiæ *opponitur confuſio* & imperfectio conceptûs, quâ hic rem obſcurè aut imperfectè repræſentat.

10. Perſpicuitas *in vocibus*, eſt vel in iis *ſeorſim*, vel in earum *connexione*, ſeu integrâ propoſitione: In *vocibus ſeorſim* eſt 1. ipſarum *diſtinctio*, *cui opponitur ambiguitas*. 2. *Vſitatio*, *cui opponitur inſolentia*, ſive illa nimis obſoleta, aut nimis recens fuerit. In *enuntiatione* oritur perſpicuitas partim ex ſingulis vocibus, partim ex integro ſenſu. Sed de his latius conſulendi Logici.

CAPUT. IX.
DE
Bonitate ſeu Perfectione.

1. SEquitur *tertia affectio* Entis, immediatè *ex eſſentiâ* orta, ſub titulo *bonitatis* ſive perfectionis. Hujus autem tractatio apud Metaphyſicos obſcurior videtur, quoniam inter ſe non conveniunt, quid propriè bonitas dici debeat. Hic tamen (miſſo prolixiori ſententiarum examine:) breviter agendum. 1. *de Voce*. 2. *De Re ipſâ*.

2. Sumitur autem bonitas *primò intrinſecè*, pro internâ Entis perfectione 2. *Extrinſecè*, pro debitâ Entis convenientiâ,

cum

cum alio aliquo. *Priori* modo *Bonitas & perfectio æquipollent*: *poſteriori* verò res *conveniunt* vel *cum voluntate Dei*, tanquam antecedente quâdam ſuæ bonitatis menſurâ, quæ convenientia etiam bonitas ſimpliciter dici poteſt, & hic quoque poſt perfectionem tractanda videtur; vel *cum alio* aliquo *Ente*, tanquam conſequente, atque ita nihil aliud eſt, quam utilitas, ex actu rei proveniens, de quâ infra agendum erit, *cap. 16.*

3. *Perfectum* ratione vocis, ſumitur vel *ut nomen*, ſine reſpectu aut ordine, quo quod perfectum eſt antea fuerit imperfectum; quomodo etiam hîc accipi debet: vel ut *participium*, & ſic indigitatur ordo, quo ex imperfecto exiſtit perfectum; Et talis imperfectio nihil aliud eſt, quam potentiâ, ut perfectio ſit actus & potentiæ conſummatio. Ex quibus apparet, de perfecto vî participii accepto agendum eſſe ſub titulo actus, infrà *cap. 15.*

4. Porrò *perfectum pro nomine* ſumtum vel *abſolutè* capitur, vel *comparatè*: *priori* modo *omne Ens perfectum*: *poſteriori* autem *alia aliis perfectiora* ac digniora judicantur. Perfectio autem *hîc tractanda interna & abſoluta* eſt affectio: Comparata igitur alterius erit loci, quare de eâ agendum in doctrina de ordine *cap. ultimo.*

5. Agendum autem de eâ, quæ hujus loci

loci eſt, perfectione, exponendo 1. *Quid ſit?* 2. Quodnam ejus *ſubjectum?* 3. Quam habeat ad ſubjectum *habitudinem?* 4. Quodnam ejus *oppoſitum?* 5. Quomodo *dividenda?* 6. Quænam ejus *axiomata?*

6. I. *Perfectum* communiter dicitur id, *cui nihil deeſt*: Quod licet verum ſit, non tamen, quia negativè effertur, legitimam ejus definitionem conſtituere poteſt; Rectius igitur perfectio definitur, *modus eſſentiæ, quo Ens habet omnia ſui eſſe requiſita*; Eo ipſo enim, quia omnia habet, nihil ipſi deëſt.

7. II. *Subjectum* Bonitatis eſt Ens. Eſt enim modus eſſentiæ: at hujus modus ſemper cum ipsâ ejusdem eſt ſubjecti; ac deinde requiſita eſſendi habere, omnis & ſolius Entis eſſe debet.

8. Sed *quæres* 1. *An omni Enti conveniat perfectio? Reſp.* Omninò: quemadmodum enim abſurdum, ens fingere ſine eſſentiâ, ita non minus abſurdum eſt, Ens eſſe, & non habere ſuæ eſſentiæ requiſita: Errant igitur illi, qui Ens in perfectum & imperfectum diſtribuunt.

9. *Objic.* 1. Dantur quædam, quæ hoc quòd ſunt, imperfecta ſunt: & quorum eſſentia in imperfectione eſt poſita, ut materia prima, puncta, & id genus alia. *Reſp.* Antecedens planè falſum eſt, ut ex ſupradictâ ratione manifeſtè colligi po-

poteſt. Materia prima Ens in ſe perfectum eſt, ac ſibi debita habet requiſita, licet comparatè loquendo incompletum ſit corpus naturale: Puncta Mathematica Entia rationis ſunt, nullam igitur perfectionem, utpote ipſis indebitam requirunt: Puncta Phyſica minima corpuſcula ſunt, ac debitæ ſibi perfectionis participia; Conſimilia alia non reperio.

10. *Objic.* 2. Solus Deus perfectus: Omnis itaque Creatura imperfecta. *Reſp.* Deus ſolus perfectus eſt, infinitâ ſcilicet ac independenti perfectione, ſed ideo non neganda eſt creaturis perfectio dependens & finita, utpote ipſis debita.

11. *Objic.* 3. Accidentia ſunt Entia imperfecta, & propè non-entia. *Reſp.* Habent tamen requiſita ſibi debita, licet reſpectu ſubſtantiarum imperfectiora judicari debeant, non enim hîc quæſtio eſt de comparatâ, ſed de abſolutâ perfectione.

12. *Objic.* 4. Sic nullæ forent privationes, & homo claudus æquè perfectus eſſet, ac ſanus. *Reſp.* Pervertitur iterum ſtatus quæſtionis; nam comparatâ perfectione ſanus perfectior eſt, non abſolutâ, quâ tam claudus, quam ſanus, omnia ſui eſſe, claudi ſcilicet & ſani, habet requiſita. Idem reſponderi poteſt reliquis objectionibus, quæ ab infantibus, ovis, ſemine &c. deſumuntur. Nam & illa in ſe perfecta

ſunt

ſunt abſolutâ perfectione, licet reſpectu alterius imperfecta dici poſſint.

13. *Quæres 2. An ſoli Enti conveniat perfectio? Reſp.* Sic ſanè, ob ſuprà allatam rationem. Modis igitur, denominationibus externis, relationibus &c. nulla tribuenda eſt perfectio, licet analogicè ratione ſubjectorum, cum quo identificantur, aliquam ipſis tribui non abſurdum videatur.

14. III. Quoad *habitudinem*, quam habet perfectio ad Ens, 1. non eſt Entis ſynonymum, ut *Burgerſdicius* exſtimavit: Sed ejus affectio, realiter ab ipſo non diſcrepans, ſed tantum modo inadæquato conſiderandi & formaliter; quemadmodum de unitate & veritate ſuprà dictum eſt. Non igitur perfectio entis eſt relatio, nec denominatio externa, nec modus externus & ſeparabilis; neque tale quid Enti ſuperaddit, cum de ipſo dicitur.

15. Perfectioni *opponitur imperfectio*, quæ eſt modus non-entis, quo id nulla habet requiſita; atque ita ipſi *contradictoriè* opponitur, nec alicui Enti convenire poteſt: ſed quemadmodum perfectio eſt ipſum Ens, ita imperfectio eſt ipſum nihil. Sumitur tamen imperfectio aliquando reſpectivè, atque ita Enti tribui poteſt, non quâtenus Ens eſt, ſed quatenus aliquo requiſito caret, quod ipſi ſecundùm ſpeciem,

em, aut naturæ ordinem convenire poterat; Et ſic privativè opponitur perfectioni, imò eſt ipſa privatio.

16. I. Perfectio variis modis *dividitur*; Et quidem 1. alia eſt *eſſentialis*, alia *accidentalis*. *Prior* eſt ſecundum quam Enti attributa ſuæ ſpeciei eſſentialia conveniunt: *Poſterior* verò quâ Ens debita habet accidentia, quæ *duplex* eſt *extenſiva* & *intenſiva*. *Extenſiva* perfectio, *aliter Partium* dicitur, reſpicitque legitimum partium numerum: *Intenſiva aliter Graduum* perfectio dicta, reſpicit legitimam qualitatum temperiem, aut ſufficientem ad operationes debitas virtutem. Atque hæc quidem, ſi abſolutæ ſit perfectionis diviſio, eſt totius in partes quaſi integras: at ſi comparatæ dicatur, etiam ſpecifica dici poteſt.

17. II. *Perfectio* eſt vel *Subſtantiæ* vel *accidentis*, pro differentia ſcilicet eſſentiarum: item 3. *dependens* vel *independens*: Et 4. Ratione modi vel *finita* vel *infinita*. Quæ ultima novam Enti affectionem ſuperaddit, quare de eâ mox latius dicendum.

18. VI. Inter *axiomata* præcipua hæc ſunt 1. *Omne Ens perfectum eſt*. Ratio ſuprà data. 2. *Quod non eſt perfectum, non eſt Ens*, perfectione ſcilicet ſibi debitâ & abſolutâ; utpote ſine quâ eſſentiam non haberet. 3. *Quò magis aliquid perfectum, eò magis eſt Ens*: Quoniam plura ad ſuum eſſe requiſita

ſita obtinet. Hac ratione ſubſtantiæ primæ magis dicuntur eſſe ſubſtantiæ, quam ſecundæ. 4. *Perfecto nihil addi poteſt*; videlicet quod ad illam perfectionem requiratur: Hinc illud, perfectum additum perfecto, facit Ens per accidens. 5. *A perfecto nihil poteſt tolli*, videlicet eorum, quæ ad tale eſſe requiruntur; Unde homo cœcus a quo ablata videndi potentia ſecunda, ulterius perfectus abſolutè dici nequit, licet perfectus maneat, quoniam omnia cœci hominis habet requiſita. 6. *Perfectio infinita omni caret imperfectione*, etiam reſpectivâ. 7. *Perfectio infinita omnem habet perfectionem*; Unde verum illud, in Deo ſunt omnium rerum pefectiones; idque eo pacto, quo infinitæ perfectioni non repugnant; Quare quædam formaliter, quædam eminenter, quædam virtualiter illi convenire dicuntur. 8. *Finita perfectio aliquam* habet reſpectu alterius *imperfectionem*; Quoniam omnis perfectionis capax non eſt; vel illa incapacitas pro imperfectione æſtimanda. 9. *Perfectio independens cauſa & menſura eſt omnis reliquæ.* Atque hæc de Perfectione; ſequitur

19. *Bonitas ſimpliciter dicta*, in convenientiâ cum aliquo antecedente conſtituta: Illud autem antecedens regula aut menſura quædam eſſe debet, quâ perfectio illa interna æſtimanda eſt; adeo ut propter

pter illam convenientiam perfectionis cum regulâ, res dicatur bona: Unde talis bonitas eſt convenientia Entis cum voluntate divinâ.

20. *Subjectum* ſive terminus à quo hujus bonitatis *eſt Ens*: Hoc quippe affectiones habet, at quod habet affectiones, id convenientiam habet, & poteſt habere. Idem Scriptura, *Geneſ.* 1. *verſ. ult.* oſtendit, aſſerens omnia valdè bona fuiſſe, eô quod viſioni, hoc eſt, voluntati divinæ, eſſent conformia.

21. *Quares* autem, *An omne Ens hujus bonitatis ſit particeps? Reſp.* Id quidem rationes dictæ evincunt. *Objic.* 1. Ante promulgationem iſtius approbationis, res non potuiſſent dici bonæ. *Reſp.* 1. Imò potuiſſent, ſi non formaliter, quâtenus illa forma erat oſtenſa, ſaltem fundamentaliter, quoniam illud ipſum, ex quo approbatio deſumenda eſſet, ipſis inerat. 2. Erant & antea res bonæ, ut potè ad Dei beneplacitum & voluntatem factæ. *Objic.* 2. Sic voluntas divina non poſſet dici bona, non enim ipſa ſibi ipſi conformis dici poſſe videtur. *Reſp.* 1. Non requiritur, ut voluntas Dei eo modo dicatur bona, quo reliqua; Eſt enim ipſa omnis reliquæ bonitatis menſura. 2. Etiam ſibi ipſi menſura dici poteſt, non quidem poſitivè, ac ſi ſeipſam poſitivo actu menſuraret, ſed nega-

ga-

gativè, quoniam nihil aliud eſt, quo menſuretur.

22. *Objectum*, ſive terminus ad quem, hujus bonitatis eſt *voluntas divina*, ipſum eſſe rerum menſurans & approbans; idque probatur 1. Menſura bonitatis debet eſſè prima & maxima bonitas: Atqui talis eſt voluntas Dei. 2. Illa eſt menſura bonitatis, quæ tribuit Enti bonitatem, ſive debitudinem omnium requiſitorum, in quovis ſtatu & conditione: Sed voluntas DivinaEnti mutabili tribuit bonitatem mutabilem, immutabili immutabilem, actuali actualem. 3. Per voluntatem divinam habent Entia quòd ſint, & quòd hoc ſint: At hoc eſt menſurare Entium bonitatem.

23. *Objic.* 1. Menſura & menſuratum debent eſſe ejuſdem generis: ſed alterius generis eſt voluntas Divina; non igitur poteſt illa menſurare bonitatem. *Reſp.* Axioma valet de genere Mathematico, non de genere Phyſico, aut Metaphyſico; At in eodem genere menſuræ voluntas Divina & bonitas ſunt: utraque enim bonitas eſt, una menſurans, altera menſurata. *Objic.* 2. Menſura debet eſſe æqualis menſurato. *Reſp.* Valet in menſurâ univocâ, non in proportionali: Quemadmadmodum & recta linea menſura curvæ eſt.

24. Hæc igitur bonitas talem habet ad

Ens

Ens *habitudinem*, ut *non* ſit *affectio* aut *modus* ei formaliter inhærens, ſed *tantum relatio* & reſpectus, realis quidem, utpote ipſum eſſe rerum pro fundamento habens, & non niſi externè denominans.

25. *Dividi* poteſt hæc bonitas, quod ſit vel *eſſentialis*, vel *Moralis*. Verùm moralis hujus loci non eſt. Eſt quippe tantum convenientia actionis cum lege Dei, adeoque actiones ac vitam, non ipſum Ens, pro ſubjecto habet.

26. Bonitati huic *opponitur malitia*; quæ diverſis capitur modis. 1. Enim *ſumitur* vel *abſolutè*, vel *relate*. *Abſolutè* ſumta malitia *eſt difformitas cum voluntate divinâ*, atque ita Bonitati *contradictoriè* opponitur, eſtque ipſum non-ens: Quare talis malitia nulla dari poteſt. Sed *Objic.* Datur malitia naturalis, ut privationes, morbi &c. atque illa abſolutè ſumta eſſe videtur. *Reſp.* Illa dicuntur mala 1. non abſolutè, ſed reſpectivè, quatenus reſpectivâ imperfectionem involvunt, ad ſpeciem vel partes, vel gradus relatam. 2. Non quod diſcrepent à voluntate Dei, ſine quâ nihil eſt, eorum quæ ſunt, ſed reſpectu uſus & utilitatis, quæ malitia bonitati conſequenter ſumtæ opponitur.

26. Malitia *reſpectivè* ſumta, vel *poſitivè* capitur, vel *privativè*. *Poſitiva* malitia eſt perfectio rei alicujus, alteri noxam

 affe-

2. Agendum verò *primò de finitate*, ut ex hac aliquâtenus apprehendatur ratio infinitatis, ex ſe incomprehenſibilis. Videndum ergo. 1. *Quid* ſit finitas? 2. Quodnam ejus *ſubjectum*? 3. Quænam ejus *axiomata*?

3. I. Eſt autem finitas, *modus perfectionis, quo Ens habet omnia ſua attributa limitatè.* Non igitur finitas ab Ente aliquod debitorum attributorum, ſeu convenientium perfectionum aliquam auffert, ſed eis limites tantum præſcribit; Et quidem non huic aut illi ſaltem, ſed omnibus planè, quæ iſti Enti conveniunt, ut latius inter Axiomata oſtendetur.

4. II. *Subjectum* ipſius eſt *Ens*, utpote habens perfectionem, cujus finitas modus eſt. *Non* tamen *omni* Enti convenit finitas, ſed ſolum *illi*, cujus eſſe limitatum ac poſitivo actu conſtitutum eſt; *quale eſt* omne *dependens* & creatum. Enti enim independenti, & negativè ſaltem conſtituto, nulla limitatio convenit, adeoque in ipſo nihil finiti excogitari poteſt, prout in finito nihil infiniti.

5. Iſtius verò Entis Creati finitas *non* eſt *accidens* eſſentiæ ſuperadditum, ſive proprium ſive commune, aut aliud aliquod ab ipſâ eſſentiâ diſtinctum, ſed ipſiſſima ejus eſſentia. Eſt quippe finitas ipſa perfectio finita, & perfectio ipſa eſſentia: Diſtingui-

guitur tamen ab ipſo formaliter & conceptu inadæquato, quo Ens ut habens, perfectio ut habita conſideratur.

6. III. *Axiomata* ſat copioſa, nec minus illuſtria, ex finitatis naturâ colliguntur; Quorum hæc *non* videntur *negligenda*. 1. *In finito omnia ſunt finita*: Sive quod huic æquivalet, finitum non eſt capax infiniti. Certitudo hujus axiomatis perplurimis rationibus demonſtrari poteſt; I. *Metaphyſicè*: In finito omnia ſunt limitata, ex definitione finitatis. II. *Geometricè* 1. Contentum infinitâ proportione non eſt majus continente. 2. Finito non niſi finita adduntur: At nullum finitum finitis adjectis recipit infinitum. III. *Arithmeticè*; Omnis numerus omnis numeri, minor majoris aut pars eſt aut partes, *Euclid*. 4. 7. Nullus igitur perfectionum numerus in finito dari poteſt, quin ſit finiti numeri pars aut partes. At infinitum finiti majus minoris pars eſt nequit. IV. *Logicè*; omne receptum recipitur per modum recipientis; Quare ſi finitum recipiens, etiam tale debet eſſe receptum. Eſtque hoc axioma, quaſi caput omnium reliquorum.

7. 2. *Finiti finita eſt conſtitutio & eſſentia*. Ratio ex primo deſumitur: & implicaret, finitum eſſe, & habere eſſentiam infinitam, quoniam talia conſequen-

tia

tia debent eſſe,quale eſt antecedens:& tale ſemper eſt Ens,qualis ejus eſſentia. Habere autem finitam conſtitutionem dicitur, quod actu poſitivo ad ſuum eſſe opus habet.

8. 3. *Omne finitum eſt dependens*; Quia ejus conſtitutio finita eſt, & actu poſitivo perfecta; A quo actu neceſſariò dependet finitum. Et ab oppoſito, ſi finitum eſſet independens, eſſet à nullo alio, adeoque ſummè perfectum, atque ita infinitum.

9. 4. *A finito nil niſi finitum*; Nam quod à finito eſt, ab ipſo dependet: At abſurdum eſt dependens toto genere eſſe dignius ſuo independente. Et nihil poteſt eſſe in eo, quod eſt à finito, quod non ante ſit in ipſo finito: Atqui in finito omnia finita; Ergo & à finito omnia finita.

10. 5. *Finiti finita eſt virtus*. In finito enim omnia finita; Et fruſtra eſſet infinita virtus, à qua non niſi actio finita ſperanda. Hinc igitur nullius creaturæ virtus, ſe ſolâ ſufficiens eſt, ut citra concurſum Dei agere poſſit.

11. 6. *Finiti finitæ ſunt operationes*; Ratio ex quarto petatur: Omnes igitur Entis finiti ac creati operationes dependentes eſſe debent; Neque propterea ſupernaturales actiones & infinitæ ab ipſo expectandæ.

12. 7. *Finiti finita eſt præſentia*: Nulla igitur Creatura ubique præſens fingi poteſt. 8. *Finiti finita eſt duratio*; Nulla igitur creatura æterna eſſe poteſt; Et quod eſſe ſuum continuet, non ſibi ipſi, ſed alteri debet. Sed de his duobus infra latius.

13. 9. *Finitum non neceſſariò eſt numero unum.* Ratio eſt, quia finitum non habet omnes perfectiones actu vel potentiâ; Et quas habet, eas finitas habet: At tale ut ad exſtentiam, ita ad pluralitatem indifferens eſt.

14. 10. *Finito nunquam tot addi poteſt, ut fiat infinitum.* Ratio eſt, quia ex finitis non fit infinitum: At quod finito additur eſt finitum; quare ſimul cum priori finito infinitum non conſtituit.

15. 11. *Finitum infinito infinities minus eſt*; Adeoque nulla inter finitum & infinitum eſt proportio. Ratio ex decimo patet. Et quod finito numero finito tantum majus eſt, id eſt finitum. &c.

16. Sequitur *Infinitas*, ante cujus explicationem nota, *duplex* vulgò dici, *actu* videlicet & *potentiâ*. *Illud* dicitur, quod habet partes æquales uni certæ, quarum ſi una poſt aliam ſumatur, eademque non repetatur, nunquam tot ſumi poſſunt, quin adhuc plures ſumendæ reſtent. *Hoc* verò, quod habet aut partes inæquales, ad quarum extimam difficulter cogitatio noſtra

noſtra pervenit; aut quod habet illas ſibi invicem ſuccedentes, ad quarum extimam cogitatio non pervenit: *Prior* hæc deſcriptio corporis ac *materiæ partibus*, *poſterior numero* convenit; *Sed* utraque hæc *potius indefinitas* quam infinitas appellenda eſſet; utpote non abſolutè ſine terminis conſtituta, ſed ſaltem ſine talibus, ad quos finitus intellectus aut non, aut difficulter eos aſſignando pervenit.

17. *Actualis Infiniti deſcriptio*, licet *Mathematica* ſit, non obſcurè tamen infiniti Metaphyſici rationem indigitat, ſi loco partium perfectiones ſubſtituantur; Quare illam ita reformo ac illuſtro: *Infinitum eſt, quod habet perfectiones* (modo noſtro conſiderandi ab ipſo diſtinctas) *æquales uni certæ* (infinitæ; quare & omnes infinitæ) *quarum* (perfectionum infinitarum) *ſi una*) inadæquato quodam conceptûs modo) *poſt aliam* (à priori conſimiliter diſtinctam) *ſumatur* (& ſummo conatu cogitandi retineatur) *nunquam tot* (certo, etiam maximo quovis excogitabili numero) *ſumi* (excogitari & enumerari (*poſſunt, quin adhuc plures* (æquè ac priores infinitæ, adeoque nullo numero comprehenſibiles) *reſtent*, & in ſingulis perfectionibus nunc acceptis, & denuò accipiendis totidem, id eſt infinitæ.

18. *Brevius* tamen deſcribitur Infinitas, quod ſit, *modus perfectionis, quo Ens habet omnes perfectiones, omnimodò perfectas*; Eſt igitur quaſi perfectionum omnium univerſitas; Ejus quippe ratio eſt, 1. habere omnes perfectiones, id eſt omnia attributa poſitiva vel cogitabilia, perfectionem involventia. 2. Habere illas perfectiones omni prorſus modo perfectas, & in nullo defectuoſas, hoc eſt infinitas.

19. *Subjectum* infinitatis *Deus Opt. max.* eſt, qui ſolus abſolutè independens, adeoque infinitæ perfectionis capax eſt; Eſtque adeo infinitas ipſiſſima Dei infinita eſſentia. Quoniam verò infinitatis eſt, habere omnes perfectiones; non immeritò hîc *quæritur, an & quomodo in Deo ſint omnium rerum perfectiones?* Et eſſe quidem in Deo omnium rerum perfectiones, ex ratione infinitatis, patet, quæ omnes vel cogitabiles abſolutè præſupponit. Et quia infinitum illimitatas ac independentes habet perfectiones, ideò & neceſſariò omnes habebit; Quia nihil dici aut fingi poteſt, quod ipſum ad aliquas ſaltem limitet. Imò ſi quæ perfectio eſſet in finito, & non in infinito, ſtatim aliquâ perfectione deſtitueretur infinitum, adeoque nec infinitum maneret. Ac denique perfectio omnimoda, nullo pacto aliquo deſtituta eſſe poteſt. At infiniti perfectio eſt omnimo-

nimoda. Omnes igitur perfectiones in Deo ſunt.

20. *Modus* autem ille, quo omnes perfectiones Deo ineſſe dicuntur, *non* eſt *unicus*, *ſed* pro diverſâ naturâ perfectionum *diverſus*. Cum enim in infinito nil niſi infinitum eſſe poſſit; illæ autem perfectiones Entium finitorum ſint finitæ, non poterunt præcisè ſecundum eamdem rationem ac modum Deo convenire ac reliquis Entibus. Quæ verò *infinitæ* ſunt perfectiones, eæ Deo citrà ullam exceptionem *formaliter*, hoc eſt, & ſecundùm nomen & ſecundum definitionem conveniunt; idque *etiam* aliquâtenus *eminenter*, id eſt perfectiſſimo ac ſummo gradu. Atque hæ *neutiquam virtualiter* ipſi inſunt, quô poſſet eas creaturis communicare. Tales ſunt æternitas, omnipotentia, ubiquitas.

21. Earum verò, quæ in Creaturis *finitæ* ſunt, *alia* ex ſe & in proprio actu conſideratæ, ad illam finitatem & participatam ac dependentem rationem, *indifferentes* ſunt, adeoque etiam ſine illâ potentialitate ac dependentiâ conſiderari poſſunt, ut eſſentia, potentia, intellectus, voluntas. *Aliæ* verò in actu proprio & formali etiam *imperfectionem involvunt*, quales ſunt, ſenſus, nutritio, motus localis, affectus. *Priores* etiam *formaliter Deo* inſunt, ſecundum nomen & definitionem

ormalem, licet non ſecundum illam dependentem rationem, quâ in creaturis reperiantur. Quare & illæ ipſi *propriè eminenter*, hoc eſt ſummo gradu perfectionis, eo quo in creaturis ſunt, infinities ſuperiori, conveniunt. Quæ & ideo quod Creaturis ſuo modo communicabiles ſint, *etiam* in Deo ſunt *virtualiter*, quâtenus virtute ſuâ Deus illas Creaturis tribuit. At *poſteriores* in Deo *formaliter* dari *nequeunt*, ob imperfectionem & dependentiam, quam involvunt; Quemadmodum *nec* hæ *eminenter* Deo ineſſe poſſunt; Quod enim in conceptu formali omnimodam dependentiam ac limitationem involvit, id nullo, vel eminentiſſimo gradu, ab illa liberari poteſt. *Sunt* tamen in Deo *virtualiter*, quoniam illas Deus in rebus creatis efficit. Confer *Clariſſ. Voet, Theol. Nat. reform. cap.* 4. §. 2.

22. *Axiomata* ſive documenta varia, nec minus utilia, ex hac infinitatis doctrinâ deſumi poſſunt, qualia inter alia ſunt, ſequentia: 1. *In infinito omnia ſunt infinita*: Quia omnia illimitata ſunt, & omnimodè perfecta. Et ſi in infinito eſſet aliquod finitum, ejus ratione ad extremum & ultimum alicujus perfectionis liceret pervenire; atque adeo infinitum foret finitum. Imò finitum illud aut toti ineſſet infinito, aut ejus certæ ac limitatæ parti:

prius ſi dicas, finitum infinito æquaretur, adeoque aut finitum foret infinitum, aut infinitum finitum, quod utrumque eſt impoſſibile, & contra hypotheſin. Poſterius ſi velis, in infinito erunt partes limitatæ, ac ideo finitæ, & ſic foret iterum finitum. Cujus enim partes, ſaltem quædam, finitæ ſunt, id totum finitum eſt. De hoc ſi dubites, en demonſtrationem. Cujus quædam partes finitæ ſunt, illius hæ incipiunt, ubi reliquæ deſinunt, aut deſinunt, ubi reliquæ incipiunt: Ideo quippe finitæ dicuntur, quia ultra fines ac terminos ſuos ſe non extendunt, adeoque aliarum limites non ingrediantur: At ſi reliquæ incipiant ac deſinant, etiam finitæ erunt. Hoc axioma, ut omnium reliquorum fermè caput eſt, ita præclaram habet utilitatem: Hinc quippe à Deo removenda Accidentia, Materia, & quæcunque finitatem involvunt.

23. 2. *Infiniti infinita eſt conſtitutio ac eſſentia.* Omnia quippe in ipſo infinita: Et quia infinitas infiniti, eſt ipſius eſſentia infinita, & hæc ejuſdem conſtitutio, non poterit quoque ipſi infinitas tribui, niſi eſſentia & conſtitutio infinitæ dicantur. Quare infinitum nullo actu poſitivo ad conſtitutionem ſuam opus habet, ſed à ſeipſo tantum negativè conſtituitur.

24. 3. *Infinitum neceſſariò eſt indepen-*

dens; Nihil enim ipſum conſtituit, adeoque nec limitat: Et ſi dependens foret infinitum, ab alio infinito dependeret: At plura dari infinita repugnat. Prout & dependens omne limitatum & poſterius eſt independente ſuo; Quare illud infinitum dependens foret finitum, quia limitatum, & non æquè perfectum, quia poſterius, adeoque nec ſic infinitum. Quoniam igitur æternum propriè eſt infinitum, abſurda eſt ejus diſtributio in æternum per ſe & per participationem.

25. 4. *Ab infinito nil niſi infinitum*: intellige 1 quod ex naturæ neceſſitate, & non ab ipſiſſimâ libertate ejus prodit. 2. Secundum modum ac virtutem producendi, & non ſecundum opus ipſum, in iis quæ liberè prodeunt. Priori modo filius æternus neceſſario & ab æterno à Patre genitus, etiam neceſſariò infinitus eſt: Poſteriori, omnia quidem opera ad extra producta finita ſunt, modo tamen ac virtute ad ſuam productionem, conſervationem ac operationem infinitâ indigent.

26. 5. *Infiniti infinita eſt virtus?* Quia nihil ineſt ipſi, quin ſit infinitum; & virtus rei, maxima ejus perfectio eſt: Quare ſi perfectio infiniti ſit infinita, etiam quam maximè ejus virtus talis eſſe debet. Hinc itaque Deus ſeipſo eſt agens, ſeque in agendo continuare poteſt; nec minus omnium fini-

finitorum virtutes activas reddere, & ad agendum determinare ac applicare.

27. 6. *Infiniti infinitæ ſunt operationes.* Modus enim operandi, ſequitur modum eſſendi; & infinita virtus non niſi infinitas edit operationes. Quare Deus à nullo alio ad agendum determinari aut limitari poteſt, aut vult; Corruit itaque diſtinctio voluntatis ipſius, in antecedentem & conſequentem.

28. 7. *Infiniti infinita eſt præſentia, quâ totum hîc, totum extra, & totum in quocunque aſſignabili*, hoc eſt ubique, *eſt.* Tales quippe debet eſſe eſſendi modus, quale eſt ipſum eſſe. 8. *Infiniti infinita, id eſt, æterna eſt duratio*, Cujus enim eſſe eſt independens & illimitatum, id ipſum in continuatione ſui eſſe determinari nequit, aut eam alicui alteri debet. Ac denique infinitè perfecti perfectiones ſunt perfectiſſimæ abſolutæ: at æterna duratio omnium perfectiſſima eſt.

29. 9. *Infinitum neceſſariò eſt unicum*; Perfectiones enim perfectiſſimas omnes poſſidere ad unum ſaltem pertinet; Si enim in pluribus eſſent non eſſent perfectiſſimæ; Quemadmodum in polycratia in ſingulis imperfectum eſt imperium. Et omninò imperfectionis eſt habere eas perfectiones, quas etiam alterum aliquod habet: Prout perfectius eſt, ſolum in illo genere ante-

cellere, quam plura æquè excellentia admittere. Quare neceſſariò unicus eſt Deus, qui nequidem plures conſtituere poteſt.

30. 10. *Infinitum neceſſariò datur.* Illi enim omnes perfectiones conveniunt. At huic ad minimum exiſtentia, quæ & perfectio & radix præſentiæ reliquarum omnium eſt, convenire debet. Et ſi finitum & limitatum aliquod dari concedas: Etiam infinitum & limitans negare nequis.

31. 11. *Ab infinito nunquam tot auferri poteſt, ut fiat finitum.* Ratio ex definitione infiniti patet. Imò 12. *Ab infinito nihil prorſus actu tolli poteſt*: Si enim à perfecto ut ſic nihil demi poſſit, multo minus hoc fiet ab infinito infinitè perfecto. Quare 13. *Infinitum immutabile eſt.* Mutatur quippe id, cui aliquid antè præſentium negatur.

32. 14. *Infinitum finito infinities majus eſt*; Finito quippe tantum ſuperaddi nequit, ut 1. ipſum fiat æquale infinito; ut 2. ad infinitum acquirat proportionem: Atqui inter quæ nulla proportio, inter illa infinita diſtantia. Et ſi infinitum finito numero perfectionum majus eſſet finito, eſſet 1. finitum in infinito. 2. ipſum infinitum finitum, utpote finito numero conſtans. Mitto plura brevitatis ergo adducere; Quoniam quilibet benè hæc penſitans,

non

non difficulter ea eruit. Et hæc de Infinitate & finitate.

CAP. XI.

DE
Abſoluto & Comparato.

1. PErfectio ad menſuram ſuam applicata, atque ex eâ æſtimata, invenitur vel *rei in ſe convenire*, vel *in ordine ad aliud*: *Priori* modo perfectio *abſoluta* dicitur, *poſteriori comparata*: *ac* exinde *Ens abſolutum* & *comparatum* appellatur. Qui termini, ut multiplicem uſum habent, hîc explicandi videntur.

2, Dicitur autem *abſolutum*, quòd *ab alio ſolutum* ac liberum ſit: Quia verò multis modis unum ab altero liberum dicitur, fieri non potuit, quin variis quoque modis abſolutum caperetur. *Primò* igitur abſolutum dicitur, quod *ex inchoato* nunc *conſummatum* eſt; atque ita idem eſt quod perfectum, vi participii ſumtum. *Secundò*, abſolutum dicitur, quod *liberum* eſt *à conditione* aliquâ, quo pacto neceſſitas abſoluta opponitur conditionatæ, & decreta Dei abſoluta dicuntur. *Tertiò*, abſolutum *opponitur reſpectivo*, quomodo accidentia vel abſo luta vel reſpectiva dicuntur. *Quartò*

tò opponitur comparato: atque ita abſolutum eſt, quod ex ſe rei convenit, citra comparationem cum alio, ut doctum eſſe abſolutè homini docto convenit, at doctiorem, vel doctiſſimum per comparationem ad alios. *Tres ultimæ ſignificationes* aliquam convenientiam inter ſe habere, adeoque & huc aliquâtenus quadrare videntur: quare de ſingulis ordine pauca.

3. I. *Abſolutum*, prout *conditionato opponitur*, eſt *liberum à conditione*. Eſtque vel à conditione *internâ*, vel ab *externâ*. *Prius* eſt, quod non opus habet diſtinctis quibuſdam ad ſuum eſſe requiſitis: Quemadmodum Deus abſolutus eſt, ab omni compoſitione diſtinctorum, ſpiritus abſoluti à materiâ & formâ. *Poſterius* eſt, quod ſolutum eſt ab externis ad ſuum eſſe requiſitis. Eſtque hoc admodum *diverſum* pro varietate externorum iſtorum; Quædam tamen ſpecies exemplorum gratiâ adducendæ.

4. Eſt itâque 1. abſolutum à *conditione* externâ *antecedente*, ſive illa ſit *cauſa*, ſive nudum *antecedens*: *Vtroque* modo *Deus* abſolutus: *Priori* verò *nulla creatura*; *nec poſteriori* ſi voluntas & decretũ Dei ipſius antecedens dicatur. *Antecedens* autem illud vel tantum *naturâ prius*, vel *duratione* vel *ordine*. *Naturâ* tantum, ut ſubjectum ratione accidentium abſolutum dicitur: *Duratione*, ut

ut aurora ratione diei: *Ordine*, ut primus ratione ſecundi, &c.

5. 2. Eſt abſolutum à *conditione conſequente*, *ſive* fuerit *effectus*, ut homo in ſe abſolutus eſt ab agendo; *ſive objectum*, ut bruta abſoluta ſunt à lege Dei hominibus latâ; *ſive adjunctum*, ut Dominus à ſervo, cœlebs ab uxore, &c.

6. 3. Abſolutum eſt à *conditione connexâ*, ſi illa abeſſe poſſit, ut hodiernus dies abſolutus eſt à pluviis in ſe, licet jam pluat; ita & homo abſolutus à pœnâ, à culpâ, à contractu, dicitur &c.

7. *Conditionatum*, huic abſoluto oppoſitum, eſt *quod conditionem ſuæ præſentiæ habet*; *ſive* illa *ſit interna*, *ſive externa*; & *hæc* vel *antecedens*, vel *conſequens*, vel *connexa*, vel & alia aliqua, in abſoluti conſideratione non enumerata.

8. II. *Abſolutum reſpectivo oppoſitum*, eſt aliquid habens perfectionem in ſe alteri alicui non debitam. Atque hoc *triplex* dicitur eſſe, 1. *Ratione cauſæ* ſive *internæ* ſive *externæ*; Quomodo quod nullam ſuæ perfectionis cauſam agnoſcit, abſolutum dicitur; atque ita ratione omnium cauſarum Deus, ratione internarum Νόες abſoluti dicuntur. 2. *Ratione ſubjecti*, quomodo per ſe ſubſiſtere eſt abſolutum eſſe à ſubjecto, ac omnibus ſubſtantiis convenit. 3. *Ratione termini*, quo pacto quanti

titas & qualitas abſoluta accidentia dicuntur, licet non tantum cauſam, ſed & ſubjectum præſupponant. Tertiæ huic ſpeciei de commodiori appellatione ſi proſpiciatur, illam diſtinctionem omninò retinendam exiſtimo. Licet commodius ex oppoſito reſpectu ſive relatione ejus diverſitas deſumi poſſit; ut *abſolutum* ſit vel *à reſpectu primo*, vel ab *orto*; Et *illud* vel *ab interno*, vel *ab externo*; atque ita deinceps, prout ſuprà de relatione dictum eſt.

9. Unum tamen monendum videtur, videlicet *quædam* ſuâ *naturâ aliquem reſpectum includere*, *qualia* ſunt omnia *dependentia à cauſa* ſive *à ſubjecto*; quorum *oppoſitum* in ſe neceſſariò *abſolutum* eſſe debet, quoniam in iſtâ conſideratione iſtis reſpectivis prius eſt, eiſque & quòd ſint, & quòd cum tali reſpectu ſint, tribuit. Ita creatura omnis, utpote dependens, in ſuâ naturâ reſpectum includit, ejus itaque oppoſitum, Creator, in ſe abſolutum quid eſſe debet. Atque hinc patet veritas diſtinctionis Scholaſticæ, quâ dividitur *reſpectus* in *reſpectum in* & *reſpectum ad*. Quod enim in ipſo eſſe reſpectivum aliquâtenus eſt, dicitur habere reſpectum in ſe. At illud, quod reſpicit, dicitur habere reſpectum ad, quoniam hoc in ſuâ naturâ abſolutum eſt.

10. Unde pari ratione, quoniam omnis reſpectus, utpote abſoluto poſterior, ali-

aliquam imperfectionem involvit, id intelligi debere, de reſpectu, quem res in ſe, non de illo, quem ad aliud tantum habet, concludendum videtur. Quare Deus, licet reſpiciat creaturas, ut Creator, nulla ideo eſt imperfectio tribuenda, ſed potius perfectio; quoniam per illum reſpectum, illas ut à ſe dependentes reſpicit.

11. *Reſpectivum*, huic abſoluto quod opponitur, quoniam *idem* eſt, *quod relativum*, ex iis, quæ de relatione dicta ſunt, cognoſci poteſt.

12. III. Sequitur *abſolutum*, *comparato oppoſitum*; quod nihil aliud eſt, quam ipſum Ens, quatenus habet attributa & perfectiones ſuas ſimpliciter, prout ipſi ſunt debitæ; adeoque modum perfectionis, ſi non ipſam Enti addit; omnique Enti, prout & perfectio, convenit. Nihil enim poteſt habere eſſe, niſi ad minimum in ipſo tantum ſit abſoluti, quantum ad illud eſſe, ejuſque perfectionem requiritur.

13. *Comparatum* igitur eſt Ens, quâtenus certo gradu perfectiones ſuas, altero plus minusve obtinet. *Gradus* ille vel in *aſcendendo*, vel in *deſcendendo* ponitur, & utrobique vel *poſitivus*, vel *comparativus*, vel *ſuperlativus* eſt.

14. *Gradus in aſcendendo poſitivus* eſt, quo Enti tribuitur nudè ac præciſe perfectio, in ordine ad perfectiora & perfectiſſima

Veritatis, Perfectionis, ac reliquarum exinde ortarum affectionum. Et *hac de Abſoluto ac Comparato*; adeoque omnibus, ex ſolâ eſſentiâ & conſtitutione ortis affectionibus.

CAP. XII.
DE
Diſtinctione & Exiſtentia.

1. SEquitur *ſecundum* Entis *Principium*, ejusque affectiones, quæ mediante eo enti conveniunt, videlicet *Diſtinctio*, quæ 1. *ſumitur pro modo* quodam *Entis*, quo hoc eſſe ſuum ſibi proprium habet, quomodo hîc conſideranda eſt. 2. *Pro diverſitate Entis* ab alio, quomodo relatio eſt, ac in ſequentibus tractanda, *cap.* 32. 3. *Pro* prædicatione partium omnium de toto, ſive *diviſione* actu inſtitutâ: Quomodo ad Logicam ſpectat.

2. Quoad *rem* videndum 1. *Quid* ſit? 2. *Quodnam* ejus *ſubjectum*? 3. Quam *habitudinem ad ſubjectum* habeat? 4. *Quomodo* ſe habeat ad *conſtitionem*? 5. Quænam *axiomata* ex eâ educi poſſint?

3 I. *Diſtinctio* eſt *modus Entis*, *quo id habet eſſe ſuum ſibi proprium*; hoc eſt, ſibi ſoli conveniens: alioqui formæ quodammodo reſpondet.

4.

jus eſſe alteri communicari nequeunt. 3. *Quorum eſſe ſunt diſtincta, illa quoque diſconveniunt*, hoc eſt non ſunt unum & idem &c.

8. *Affectio* immediatè *ex diſtinctione orta* eſt *Exiſtentia*, quæ hîc conſideranda. 1. quoad *nomen*. 2. quoad *rem*.

9. *Nomen* habet exiſtentia *ab exiſtendo* ſive extra ſiſtendo, quod ſit rei ſtatus ſive manifeſtatio in univerſo. *Sumiturque modò ſtrictè* pro ſolâ exiſtentiâ ſubſtantiarum, quomodo inexiſtentiæ opponitur; *modò latius*, prout & hanc complectitur, quo pacto hic accipienda eſt.

10. Quoad *rem* conſiderandum 1. *Quid ſit?* 2. *Quodnam* ejus *ſubjectum?* 3. *Quomodo* ſe habeat *ad ſubjectum?* 4. *Quomodo* ſe habeat *ad eſſentiam*? 5. *Quænam* ejus *differentiæ?* 6. *Quænam axiomata* ex eâ fluant?

11. I. *Eſt* autem *exiſtentia modus diſtinctionis, quo Ens habet proprium ſuum eſſe præſens*. Eſſe præſens habere, eſt illud alicubi & aliquando habere: *Vulgò* definitur, *actus quo res ponitur extra ſuas cauſas*: Sed ita exiſtentiæ Dei non convenit, utpote cujus nullæ ſunt cauſæ. *Scheiblerus* pronomen reciprocum ſuas omittit: Sed manet ſic definitio negativa: Et Deus extra cauſas dicitur eſſe, quod eas non habuerit, & creaturæ, quod eas habuerint,

rint, qui duo modi toto genere diſcrepant.

12. II. *Subjectum* hic dicitur illud, *quod habet exiſtentiam, de quo* videndum, *primo quid* ſit? *Secundò*, *quid non* ſit? Ratione *prioris* hoc expendendum 1. in *genere*, 2. in *ſpecie*.

13. In *genere*, *exiſtentia omni Enti* convenit: nam 1. omne Ens diſtinctum eſt & conſtitutum; Quod autem tale eſt, id exiſtit quoque. 2. Omne Ens habet eſſentiam: at habere eſſentiam dicitur id quod habet eſſe proprium; Et hoc exiſtens. 3. Alias non Entis forent affectiones. *Objic.* Univerſalia ſunt Entia, ſed non habent exiſtentiam; juxta tritum illud, univerſalium eſt eſſe, ſingularium verò exiſtere. *Reſp.* Sunt Entia, ſed non diſtincta à ſingularibus, verum eadem cum ipſis ſolâ præſentiâ horum operatione mentis ſublatâ; quare eamdem quoque cum ſingularibus habent exiſtentiam.

14. In *ſpecie* circa ſubjectum quæritur 1. *An Deo conveniat exiſtentia*? *Reſp.* Omninò, & quidem quam maximè; Dei enim eſſentia abſolutè neceſſaria eſt, neque unquam ut poſſibilis concipi poteſt, ſed ſemper ut actu præſens apprehendi debet. *Objic.* At ſic compoſitio erit in Deo ex eſſentiâ & exiſtentiâ. *Reſp.* 1. Illa compoſitio non eſt realis, ſed rationis, quæ rei ſimplicitatem adſtruit, non deſtruit.

2. In

2. In creaturis concepta eſſentiâ, non neceſſariò concipitur præſentia, unde ſi illa accedat, intellectus concipit compoſitionem, ex eſſe ſimpliciter & eſſe præſenter: At in Deo eſſentia & exiſtentia cogitatione ſejungi non poſſunt; quia in conceptu eſſentiæ divinæ manifeſtè involvitur ejus exiſtentia.

15. *Quæritur* 2. *An creaturis conveniat exiſtentia? Reſp.* Convenit; Nam 1. Entia ſunt. 2. Conſtituta & diſtincta ſunt. 3. Eſſentiam habent. 4. Obtinent præſentiam. *Objic.* Creaturæ dependent à Deo in eſſe, fieri & operari; Ergo videntur exiſtentiâ propriâ carere. *Reſp.* 1. Negatur conſequentia: Sequitur quippe hoc ſaltem, quod habeant exiſtentiam dependentem, quod lanè verum eſt. 2. Imò quia dependent in eſſe, habent quoque ſuam præſentiam: Non enim dependerent, niſi præſentiam haberent: Præſentia autem eſt ipſa exiſtentia. Sed hæc objectio validius in vulgatam definitionem acui poſſet.

16. *Quæritur* 3. *An accidentibus exiſtentia ſit tribuenda? Reſp.* Affirmativè; poſito, quod Entia ſint. *Objic.* Accidentia non exiſtunt, ſed inexiſtunt. *Reſp.* 1. Quia inexiſtunt, etiam exiſtunt. 2. Inexiſtentia ſtrictè, non adæquatè dictæ exiſtentiæ opponitur.

17. *Quæritur* 4. *An materiæ ſit tribuen-*

da exiſtentia? *Reſp.* Ita ſanè, quia Ens eſt, & in rerum naturâ ſuam præſentiam habet, utpote à Deo condita. *Objic.* 1. Materia eſt pura potentia, at hujus nulla exiſtentia. *Reſp.* Materia abſolutè & in ſe conſiderata non eſt pura potentia, ſed ſaltem reſpectu determinati corporis naturalis. *Objic.* 2. Forma eſt actus materiæ. *Reſp.* Falſum hoc; Habet enim materia eſſe ſuum ante conſiderationem formæ: Forma quippe præſupponit eam eſſe ſubjectum: At quod ſubjectum eſt, id patitur, & quod patitur, id præſens eſt.

18. *Quæritur* 5. *An etiam partibus ſit tribuenda exiſtentia*? *Reſp.* Omninò; Habent enim per ſe ſuam eſſentiam ac eſſe proprium, ſuâque naturâ priores ſunt toto: Quæ autem priora ſunt naturâ, etiam eodem ordine prius habent ſuam præſentiam. Habent ergo partes ſuam exiſtentiam, antequam totum præſens concipiatur. *Objic.* 1. Sic in unâ re eſſent plures exiſtentiæ. *Reſp.* Verum hoc quidem: ſed illæ non ſunt totales iſtius rei, ſed partiales. Quemadmodum corpus humanum habet exiſtentiam ſuam propriam, & conſimiliter mens humana, conſtituunt tamen unum totalem exiſtentiam hominis. *Objic.* 2. Sic ex duobus Entibus actu fieret unum per ſe. *Reſp.* Axioma Philoſophicum, cui hoc repugnare videtur ſu-

ſumi debet, in ſenſu compoſito. Nam ex duobus hominibus actu, non fit unus homo per ſe: fit tamen unus per ſe ex talibus, quæ propriam quidem habent exiſtentiam, ſed non habent totalem hominis. Et *hæc de Subjecto* exiſtentiæ *in ſpecie*.

19. Nunc videndum, *quid non* ſit ejus *ſubjectum*, ſive quibus non conveniat: *Non* autem *convenit* alicui *non-enti*, cujuſcunque ordinis illud fuerit. *Objic.* 1. Privationibus tribuitur exiſtentia, quia de eis dicitur eſſe ſecundi adjecti. *Reſp.* 1. Privatio ſumitur materialiter, pro ipſâ diſpoſitione ſubjecti, & ſic eamdem cum ſubjecto habet exiſtentiam; vel formaliter, pro negatione ejus, quod in ſubjecto eſſe debebat, & ſic præſentiæ eſt negatio. 2. Eſſe ſecundi adjecti dicitur de privatione, non per poſitionem, ſed per remotionem, quia ipſa privatio remotio quædam eſt. *Objic.* 2. Entibus rationis etiam tribuitur eſſe ſecundi adjecti. *Reſp.* Tribuitur ipſis, ſed ficta; nam prout ipſa ficta ſunt, ita & fictam requirunt exiſtentiam; quæ non magis, imò minus vera eſt exiſtentia, quam homo pictus homo.

20. III. Quoad *habitudinem*, quam *ad ſubjectum* habet, *notandum*. 1. Quod exiſtentia *idem* ſit *realiter cum Ente*: Eſt quippe reipſa idem cum diſtinctione, & hæc cum Ente. Quæ autem idem ſunt cum

uno tertio, illa inter ſe idem ſunt. *Objic.* Sic ridicula foret propoſitio Ens habet exiſtentiam, æquivaleret enim huic, Ens habet Ens & ſeipſum. *Reſp.* Negatur conſequentia; Non enim ridicula eſt hæc, Deus habet omnipotentiam, licet Deus & omnipotentia realiter idem ſint. 2. Ut unum dicatur alterum habere, ſufficit diſtinctio formalis & rationis ratiocinatæ, ſive conceptuum inadæquatorum; Quomodo etiam dicitur homo habere animam & corpus, inter quæ & hominem, cujus partes ſunt, non niſi formalis eſt diſtinctio.

21. *Notandum* 2. Quod exiſtentia *differat* ab Ente *conceptu* & modo conſiderandi; Ens enim dum conſideratur, concipitur totum illud, quod omni modo eſſe habet: Sed conſideratâ exiſtentiâ, concipio ſaltem modum inadæquatum iſtius eſſe, quo præſens dicitur.

22. Unde *notandum* 3. Exiſtentiam *nihil diverſi* Enti *ſuperaddere*, non modum externum & ſeparabilem, non denominationem externam, non relationem, nec ens rationis, ſed ſaltem eſſe inædæquatum ejus conceptum.

23. IV. Sequitur *habitudo* ejus *ad eſſentiam*, ubi *notandum* 1. quod *exiſtentia & eſſentia non differant realiter*, ſed in ſe idem ſint, quia utraque eadem eſt cum ente; Unde

Unde ſequitur *primò*, exiſtentiam non eſſe rem aliquam ab eſſentiâ diverſam; quia ſi res eſſet, aliam haberet exiſtentiam, & ſic manifeſtus foret progreſſus in infinitum. *Secundò* ſequitur, quod exiſtentia non ſit modus externus eſſentiæ ſuperadditus; quia omnis res negato modo externo, ut completa concipi poteſt: at res eſſentiam habens, negatâ exiſtentiâ concipi nequit; nam nec tribui poteſt eſſentia, niſi quâtenus habet exiſtentiam. 2. *Notandum*, quod *indiſſolubili nexu eſſentia & exiſtentia inter ſe cohæreant*; Quia videlicet idem nunquam eſt ſine ſe ipſo: at exiſtentia eſt ipſa eſſentia.

24. V. Nunc videndæ ejus *differentiæ*, quæ potiſſimum hæ ſunt. 1. *Exiſtentia* eſt vel *momentanea* vel *ſucceſſiva*. *Momentanea* dicitur, quæ indiviſibili puncto durationis permanet, atque ita vel eadem eſt cum permanente, vel *nulla*, vix enim punctum tantæ parvitatis concipere poſſumus; quin adhuc minus concipi queat, quare nunquam indiviſibilis illa duratio dari poſſe videtur; quoniam enim illud punctum ſemper diviſibile concipitur, etiam ſemper durationi iſti partes erunt tribuendæ, atque ita ſucceſſiva evadet.

25. 2. *Exiſtentia* vel eſt *permanens*, vel *ſucceſſiva*. *Prior* eſt, quæ habet *omnes partes* ſuæ præſentiæ *ſimul*, unde ſoli Deo

convenit, qui ubicunque eſt, totus eſt, & totus ubique, cuique omnia ſunt præſentia, nihil præteritum aut futurum. *Poſterior* eſt, quæ habet *partes* ſuæ præſentiæ *poſt ſe invicem*, ut eſt omnium creaturarum exiſtentia. *Objic.* At angeli, & animæ rationales permanebunt in ſecula; Ergo habent exiſtentiam permanentem. *Reſp.* Eſt fallacia homonymiæ in voce permanere, quæ in antecedente opponitur deſtructioni, at in conſequente denotat, partes ſuæ durationis ſimul habere. Licet igitur nunquam intereant angeli & animæ rationales, non tamen omnia ipſis præſentia ſunt, quod ad permanentem exiſtentiam requiritur.

26. 3. *Exiſtentia* vel eſt *per ſe*, vel *in alio*: *Hæc accidentium* eſt, & *inhærentia* dicitur: *Illa* autem quæ *ſubſtantiarum* eſt, vel *completa* eſt, quæ dicitur *ſubſiſtentia*, vel *incompleta*, & *ſimpliciter exiſtentia per ſe* dicitur. *Completa* porro exiſtentia, ſive ſubſiſtentia, vel eſt *ſimpliciter talis*, vel *perſonalitas*, quæ quaſi modum priori ſuperaddit, quâtenus illi intellectum jungit.

27. 4. *Exiſtentia* eſt vel *dependens*, vel *independens*, quarum definitiones exterminis deſumi poſſunt Et 5. Eſt vel *neceſſaria* vel *contingens*. *Illa* abſolutè ſumta ſolius *Dei* eſt, comparatè tamen etiam quandoque aliis tribuitur.

28.

28. VI. *Axiomata hæc* potiſſimum ex exiſtentia oriuntur. 1. *Quidquid habet exiſtentiam habet & eſſentiam*; Et contrà. Ratio eſt, quia idem ſunt realiter, Uſus eſt in redarguendis illis, qui rei eſſentiam cognoſcere volunt, quam exiſtere nondum compertum eſt, quales ſunt, qui unicornu, Phænicem, Paradiſum hodiernum terreſtrem, cantum cygnorum, aureos dentes, deſcribunt, licet ignorent, an illa exiſtentiam habeant.

29. II. *Qualis eſt exiſtentia, talis eſt & eſſentia*; ob eandem ſcilicet rationem; Hinc redarguendi illi, qui Deum throno quaſi includunt, ejuſque omnipræſentiam negant: Si quippe habeat exiſtentiam permanentem, talem quoque ut habeat eſſentiam oportet. III. *Vnius entis una eſt exiſtentia.* Ratio eſt, quia unum ſibi ipſi unum, non multiplex eſt. IV. *Qualis eſt alicujus exiſtentia, talis & ejus duratio*; Ratio eſt, quia duratio eſt ipſa exiſtentia, aut ejus modus; Quoniam igitur Deus permanentem, independentem ac neceſſariam habet exiſtentiam, talem quoque obtinet durationem. Et hæc de exiſtentiâ.

CAP. XIII.
DE
Ubietate.

1. *E*Xiſtentia ſive præſentiæ, *duo modi* ſunt inadæquati, quibus ea tota abſolvitur; *omne* enim quod *præſens* eſt, *alicubi* eſt & non nullibi, & *aliquando* eſt, & non nunquam; A *priori* oritur affectio Entis, *ubietas* ſive localitas dicta: à *poſteriori*, *Duratio.*

2. *Ubietas*, ab ubi nomen habens, aliquando *ſtrictè* ſumitur, & *ſoli finitæ præſentiæ* tribuitur, aliquando *latius*, prout *omni* illi convenit, *quod non* eſt *nullibi*, quomodo hic accipienda: *Aliter* etiam *localitas* dicitur, quæ à loco denominata, modò ſtrictè ſumta ſolis corporibus tribuitur; modò latius accepta ubietati æquipollet.

3. *Circa* hujus *naturam*, inveſtigandum 1. *Quid* ſit? 2. *Quodnam* ejus *ſubjectum*? 3. Quomodo *dividenda*? 4. *Quodnam* ejus *oppoſitum*?

4. I. *Definitur ubietas*, *quod ſit modus exiſtentiæ*, *quo Ens alicubi eſt præſens*. Dicitur *modus exiſtentiæ*, quia ex eâ immediatè emanare concipitur, imò quia eſt ipſa exiſtentia, quatenus ad hanc quaſi ſui partem reſtringitur: Dicitur *per illam*

Ens

Ens alicubi præſens, quod capiendum non reſpectivè, quâtenus ibi eſt, ubi alia ſunt, ſed abſolutè, ut ibi habeat localitatem & præſentiam, ubi eſt ejus exiſtentia, ſive ibi etiam alia ſint, ſive non, & non nullibi.

5. II. *Subjectum* ejus eſt *omne Ens*; Idem enim exiſtentiæ & modi ejus ſubjectum eſſe debet: Atqui omne Ens eſt ſubjectum exiſtentiæ; Ergo & ubietatis. Quare prout localitas non differt realiter ab exiſtentiâ, ita nec realiter differt ab Ente, ſed tantùm modo quodam conſiderandi. Quare etiam ubietas nunquam ab Ente ſeparari poteſt.

6. *Quæritur* 1. *An omni Enti conveniat, etiam Deo*? *Reſp.* Omninò; Nam prout Deus quam maximè exiſtit, ita quam maximè præſentiam & ubietatem, tanquam neceſſaria exiſtentiæ requiſita habet. *Objic.* Sic etiam Deus erit in loco, & non ubique. *Reſp.* Eſt in loco generaliter dicto, cui ubiquitas non opponitur, ſed cujus ſpecies eſt ubiquitas. Eâtenus enim tantum dicitur eſſe in loco, quâtenus non eſt nullibi. *Quæritur.* 2. *An & Accidentia ſint in loco*? *Reſp.* Vtique ſi ſint Entia: ſed quia ſunt Entia in alio, non requirunt quoque diſtinctum ab illo alio ubi.

7. III. Quoad *diviſiones*, *Vbietas* vel eſt *infinita*; vel *finita*: *Infinita*, alias *ubiqui-*

quitas dicitur, eſtque *modus exiſtentiæ infinitæ, quo ens ubicunque eſt, totum eſt, & totum extra, & totum in quocunque aſſignabili*; Ea igitur ſolius *Dei eſt*; Et inanem videntur alere ſubtilitatem, qui poſſibilem alicujus corporis ubiquitatem ſomniant; licet enim omne impleat ſpatium, non tamen ubique dici poteſt, quia in quâcunque iſtius ſpatii parte totum non eſt; nec totum in quocunque aſſignabili.

8. *Finita* localitas eſt *modus exiſtentiæ finitæ, quo Ens tantum totum eſt ubi eſt, non verò totum extra, aut totum in quocunque aſſignabili*; Eſtque hæc *omnium creaturarum*; Quare nulla creatura ubique eſſe poteſt, nec ſimul in pluribus locis tota; repugnat enim id exiſtentiæ, adeoque & eſſentiæ finitæ.

9. Sed *duplex* eſt *hæc* finita ubietas, videlicet *ubietas* ſtrictè dicta, & *localitas* ſtrictè dicta. *Prior* eſt *præſentia indiviſibilis, quâ creatura omnes ſuæ eſſentiæ partes intra ſe invicem obtinet*, eſtque *intelligentiarum*: *Poſterior* eſt, *quâ creatura per partes extra ſe invicem poſitas præſens eſt*; Eſtque *corporum*. Unde patet 1. Spiritus non replere ſpatium extenſum. 2. Ipſos eſſe penetrabiles. 3. Corpora replere ſpatium extenſum; Adeoque 4. non poſſe penetrari, ſed ſemper alia corpora excludere.

10. V. *Oppoſitum* ubietatis eſt *nullibi*, ſeu

ſeu ratione corporum *vacuum*, quod nonenti convenit, & ubietati contradictoriè opponitur.

CAP. XIV.
DE
Duratione.

1. SEquitur *Duratio*, quæ eſt *modus exiſtentiæ, quo ens habet eſſe ſuum aliquando præſens. Aliquando* hic *non* capiendum *reſpectivè*, ac ſi Ens eſſe ſuum haberet, quando alia ſuum quando obtinent, nec etiam prout *ſemper* eſſe *opponitur*: *Sed abſolutè*, prout opponitur nunquam eſſe.

2. *Subjectum* ejus eſt *omne Ens*, ob eaſdem rationes, circa ubietatem allegatas; Unde etiam ſaltem modo conſiderandi ab Ente, ejusque exiſtentiâ differt; Eſt enim ipſa exiſtentia continuata.

3. *Dividitur* vulgo *in momentaneam & ſucceſſivam*: Sed cum non detur exiſtentia momentanea, hoc eſt indiviſibilis, *non datur* quoque *duratio* unius indiviſibilis *momenti*; Licet enim quodcunque minimum momentum fingamus, illud ipſum continuò minus ac minus concipi poteſt. Nec rectè Deo duratio ſucceſſiva tribui poteſt, utpote qui partes ſuæ durationis ſimul poſſidet; neque momentanea, ut-

pote iis tantum debita, quæ eodem quo fiunt puncto, ſimul intereunt.

4. Præterea *duratio* dividitur, quod ſit vel *infinita*, vel *finita*. *Infinita*, aliter *æternitas* dicta, eſt *modus exiſtentiæ infinitæ, quo Ens habet omnes partes ſuæ durationis ſimul*; adeoque tali modo duranti nihil præteritum aut futurum eſt. Omne enim præteritum aliquando determinatè fuit, & omne futurum aliquando erit determinatè. At omne aliquando determinatum incidit in partem aliquam quaſi infinitæ durationis, quas hæc ſimul habet; Omne igitur præteritum ac futurum ipſi præſens eſt. *Talis* autem Duratio *ſolius Dei* eſt.

5. *Finita* duratio eſt *modus exiſtentiæ finitæ, quo Ens habet ſuæ durationis partes poſt ſe invicem*: *Eſtque* omnium *Creaturarum*; in quibus momenta, ſive partes, durationis à ſe invicem non dependent, quoniam priores & poſteriores ſunt: Et omne poſterius à priori ut dependet, ita illud ab hoc independens eſt; Unde quia jam ſunt Creaturæ, non neceſſariò ſequenti momento futuræ ſunt. Hinc igitur ipſis præteritum & futurum in duratione & exiſtentia convenit, & à præterito in futurum, ope infinitè durantis, conſervari debent.

6. Eſt autem *duplex finita* duratio, *æviternitas* videlicet & *tempus*. *Æviternas illis* tribuitur, *quæ* ſuæ durationis, *carent fine*

fine, ut Angelis &c. *Tempus* verò *quæ & principium & finem habentia*, ut corporibus naturalibus.

7. *Tempus* vel *pro* ipſa tali *duratione* ſumitur, vel *pro menſurâ*, quâ iſta duratio ejusque partes numerantur; *Priori* modo *hîc* capienda eſt. *Poſterior* enim rebus *denominationem* externam *tribuit*; Illa autem *menſura*, vel eſt *activa*, vel *paſſiva*. *Activa* menſura eſt in menſurantibus aliis durationibus; Tales autem durationes potiſſimum motu aliquo generali commenſurantur, qualis eſt primi mobilis, utpote certiſſimi, æquabilis & generaliſſimi; quare ſic recte definitur tempus *à Philoſopho*, numerus motus ſecundum prius & poſterius. Eſtque *hæc primaria*, cui multæ *ſecundariæ* tam *naturales*, quam *artificiales*, ſubſerviunt. *Naturales* quidem, ut motus lunæ, & reliquorum planetarum. *Artificiales* verò ut motus horologiorum, tam rotulariorum, quam ſciatericorum. *Paſſiva* menſura eſt ipſe ille *motus*, in certa interſtitia diſtinctus, atque ita durationi applicatus }, quales ſunt annus, dies &c. Sed de his latius in Phyſicis.

8. Addunt *nonnulli* aliam *ſpeciem durationis*, quæ principio carens, finem haberet: At *talis dari nequit*. Nec eſt, quod Decreta Dei inferant, illa enim, prout ab æterno ſunt, ſunt ipſe Deus, adeo-

que deſinere non poſſunt.

9. Durationi *opponitur nunquam eſſe*: idque *contradictoriè*; quia ſubjectum durationis, Ens, & ſubjectum ejus, quod nunquam eſt, nihil, contradictoriè opponuntur: Et quemadmodum duratio realiter coincidit cum ente, ita nunquam eſſe cum nihilo. *Hæc* autem *de Exiſtentiâ ejusque affectionibus* ſufficient.

Cap. XV.
De
Actu & Potentiâ.

1. Ens in ſuo eſſe conſtitutum ac diſtinctum, omnes ſuas perfectiones præſentes habet; quæ præſentia *actûs* nomine inſignitur: quare vel *actus* vel *actu* dicitur eſſe ens. *Actus* quidem, quâtenus hîc concretivè ſumtus illud ipſum, quod actum, hoc eſt ſuarum perfectionum præſentiam, habet, ſignificat: *Actu* verò, prout abſtractivè illâ præſentiâ ens eſſe dicitur, Et ſi illa præſentia neceſſitatem abſolutam non involvat, *impurus* dicitur actus, eò quod potentiam præſupponat, quâ Ens illam præſentiam non obtineret, cum aptitudine illam obtinendi. *Nunc* igitur, poſt explicationem affectionum, vel ſeorſim à conſtitutione, vel à diſtinctione ortarum, agendum eſt *de actu*, ex

ex utrâque ſimul reſultante, ut & de *Potentiâ*, ejus oppoſito ex parte.

2. *Actus*, nomen *ab agendo* habens, *primitus* uſurpatus videtur, ad denotandam actionem, ejusve præſentiam: *poſtea* verò etiam adhibitus fuit ad reliquarum omnium perfectionum præſentiam denotandam. Sive *abſoluta* eſſet illa præſentia, quo modo Deus actus puriſſimus dicitur, ſive *ad potentiam*, cujus ſit perfectio, relata, qualiſcunque etiam illa fuerit. Quin & hinc illud, quod quaſi emanativa cauſa iſtius præſentiæ eſt, actus nomine venit; quomodo, & forma dicitur actus, eò quod ſuâ præſentiâ potentiam materiæ perficiat: Unde & ipſa exiſtentia actus dicitur, quia ipſi Enti jam tributa, nihil prætereà deſiderari videatur.

3. *Actus Græcè* ἐν'τελέχεια dicitur, *vocabulo* magis rei ſignificandæ *idoneo*, utpote quo actualis perfectionis poſſeſſio ſignificatur. Apud Latinos ſimplex aliud, quo idem denotetur non occurrit, niſi cum *Barbaro* barbara *perfectihabia* in civitatem latinam recipiatur.

4. Circa *rem* actûs explicandum 1. *Quid* ſit? 2. *Quomodo dividi* debeat? 3. *Oppoſitum* ejus. 4. *Quænam axiomata?*

5. I. Quoniam tam diverſa actus denotare videtur, *difficile* erit generalem ejus *cudere definitionem*: Sufficiet igitur hæc

hæc ejus *deſcriptio*, quod ſit *actualis perfectionum poſſeſſio*; vel, *modus conſtitutionis & diſtinctionis, quo Ens habet eſſe ſibi proprium præſens, cum omnibus ad illud requiſitis.* Atque ita omnium perfectionum collectivè ſumtarum præſentiæ convenit; cum distributivè ſumta, etiam quælibet poſſeſſa perfectio actus dicatur, qui quaſi totalis pars, aut inadæquata ratio æſtimandus eſt.

6. Ex quibus clarum fit, actum *ab Ente realiter non diſtingui*, neque ipſi aliquid à ſuis perfectionibus diſtinctum ſuperaddere; Quoniam ſaltem formaliter & inadæquato modo conſiderandi, perfectio & ejus poſſeſſio præſens diſtinguuntur.

7. II. Quoad *differentias*, *actus* eſt vel *abſolutus* vel *reſpectivus*: *Abſolutus*, etiam *purus* dictus; eò *quòd* ipſi *nulla* reſpondeat *potentia*, per quam poſſet non eſſe præſens, eſt *infinitæ perfectionis poſſeſſio*, adeoque *ſoli Deo convenit*; Neque alius aliquis actus purus extra Deum, imaginabilis videtur. *Objic.* Angeli etiam actus puri dicuntur. *Reſp.* Hoc fit *comparatè* ad corpora naturalia; quæ actum ex unione materiæ & formæ requirunt, qualis in angelis non datur: *non abſolutè*, quia ipſorum puritas adhuc infinitis intervallis à puritate ſimpliciter & abſolutè dictâ, declinat.

8. Actus *reſpectivus* eſt *potentiæ perfectio;*

fectio; hoc eſt præſentia talis perfectionis, quæ potentiam ad non eſſe habebat. Eſtque hic *duplex*, prout illa perfectio, quæ actu iſto præſens eſſe dicitur, vel actione, vel paſſione in ſubjecto ſeſe manifeſtat, *activus* videlicet & *paſſivus*.

9. Actus *activus* eſt *præſentia actionis, quâ perficitur potentia activa ſuo exercitio*: Cujus *variæ* ſunt *differentiæ*; nam 1. *ratione* iſtius *virtutis* ſive activæ potentiæ, eſt vel *infinitus* vel *finitus*. *Infinitus* eſt præſentia actionum *divinarum*: *finitus* verò actionum *à creaturis* profectarum. *Prioris* igitur ordinis ſunt actus creandi, conſervandi &c. *Poſterioris* actus cogitandi, intelligendi, volendi, movendi, generandi, &c. 2. *Ratione principii*, actus hic vel *elicitus* eſt, vel *imperatus*. *Prior* eſt ipſa præſentia actionis, prout ab ipſâ rei eſſentiâ profluit: *poſterior* verò, quâtenus inſtrumento debito, ipſi eſſentiæ conjuncto, peragitur. Sic præſentia riſus eſt actus elicitus ratione eſſentiæ humanæ: at imperatus ratione oris & reliquarum partium. 3. *Ratione ſubjecti*, actus hic vel eſt *immanens*, vel *tranſiens*. *Immanens* eſt præſentia actionis in eodem cum ſuâ virtute ſubjecto, qualis eſt cogitationis. *Tranſiens* autem talis eſt actionis, quæ in aliud ſubjectum tranſit, ut motio, calefactio &c.

10. Actus *paſſivus* eſt *præſentia paſſionis, quâ videlicet potentia paſſiva perficitur: Dicitur* autem hic actus paſſivus, *non per contradictionem in adjecto*, ut primâ fronte apparere poſſet, quoniam actio & paſſio opponuntur. Sed hîc actus idem eſt, quod ἐντελέχεια, adeoque & paſſionem ſub ſe continet: Nec novum hoc; ſolet quippe non rarò ſignificatio actionis ampliari, ut & paſſioni tribuatur, ut fit in diviſione actus in primum & ſecundum ſatis receptâ; & in hoc axiomate, omnis res eſt propter actionem ſuam, quod niſi & de paſſione intelligeretur, in materiâ falſum eſſet.

11. Eſtque *hic actus duplex*, vel *exiſtentiæ*, vel *receptionis*: *Prior* eſt præſentia rei, quâtenus virtute ſuarum cauſarum exiſtit, eique opponitur potentia objectiva. *Poſterior* vero eſt præſentia receptionis alicujus, ad quam ens ſuâ eſſentiâ diſpoſitum erat, opponiturque ſubjectivæ potentiæ.

12. Actus *exiſtentiæ* vel eſt *entitativus*, qui eſt ſimplicis rei præſentia; vel *formalis*, qui eſt præſentia rei compoſitæ ex materiæ partibus, ac formâ illas uniente. Hinc ſolvitur Quæſtio illa, an materiæ ex ſe ſit actus aliquis? Eſt nempe entitativus, non formalis.

13. Actus *receptionis* vel *naturalis* eſt, vel *præter naturalis*. *Naturalis* eſt præſen-

tia

tia receptionis, rei per ordinariam aliquam actionem convenientis; qualis actus eſt luminis in aëre. Eſtque *duplex*, *eſſentialis* & *accidentalis*: *Prior* eſt præſentia aptitudinis recipiendi in ſe eſſentiam aliquam, qualis eſt præſentia potentiæ, quâ in materiâ recipi poſſunt rerum naturalium formæ. *Poſterior* eſt præſentia aptitudinis, quâ recipi poteſt accidens aliquod; qualis eſt in aquâ, quâ recipere apta eſt calorem & frigus; Atque *hic* naturalis actus *phyſicæ potentiæ opponitur*.

14. *Præternaturalis* actus eſt præſentia aptitudinis, qua Ens ab extraordinario quo agente aliquid recipere poteſt, ad quod à naturâ non videbatur ordinatum. Qualis eſt præſentia aptitudinis, quâ ex lapidibus fieri poſſunt filii Abrahæ, ex ligno lectica, & hic potentiæ obedientiali opponitur.

15. *Dividitur* quoque *actus*, quod ſit vel *primus* vel *ſecundus*: *Primus* dicitur præſentia aptitudinis eſſentiæ, quâ ea actionibus aut paſſionibus eſt deſtinata; unde in iis, quæ formam obtinent, dicitur eſſe ipſa forma, aut potius ejus præſentia, ad quam conſequi poteſt operatio aut paſſio. Atque ita *ſecundus* erit præſentia ipſius actionis vel paſſionis, ab illâ priori præſentiâ fluentis. Hæc diſtinctio *uſum* habet in doctrinâ proprii, quod ſecundùm

actum

actum primum inſeparabile eſt, ut poſſe loqui, ridere, licet actus ſecundus, hoc eſt præſentia loquelæ & riſus, auferatur. Ex quibus patet, actum *primum* omninò *ad receptivum* pertinere, & *ſecundum ad activum*, ratione fluentis operationis, *ad receptivum* verò ratione paſſionis. Ita v. gr. præſentia potentiæ humectandi & calefiendi primus actus ac receptivus ipſius aquæ eſt: At ipſa humectationis præſentia actus ſecundus & activus eſt; & ipſius calefactionis paſſivæ præſentia itidem actus ſecundus, ſed receptivus eſt.

16. *Dividitur* etiam *actus*, quòd ſit vel *eſſentiæ* vel *exiſtentiæ*, quâtenus hujus iſtiuſve præſentia enti tribuitur. Utraque enim entis perfectio eſt, quare non immeritò earum præſentia actus appellatur. Actus autem *eſſentiæ* eſt præſentia rei, quâtenus ejus eſſe definitione exprimi poteſt: at *exiſtentiæ*, quâtenus ipſum eſſe præſens eſt. Sed *hæc* diſtinctio *omni actui non* convenit, niſi reliquarum perfectionum præſentiam, ut conſequentium, ad hâſce referre velimus: quo pacto tamen actus activus, utpote ſecundus, difficulter eo trahi poterit.

17. *Denique dividitur actus*, quod ſit vel *ſignatus*, vel *exercitus*. *Signatus* actus eſt præſentia perfectionum in ideâ, id eſt communi quâdam formâ aut entitate ſpectatarum: *Exercitus* verò præſentia earum-

rumdem in ipſis rebus, ut præſentibus ſpectatis. Quare non malè deſcribitur ſignatus, quod ſit actus à ſingularibus abſtractus; & exercitus in ſingularibus multiplicatus, vid. *Iacob. Martin. Diſp.* 2. *Met. th.* 60. Uſus hujus diſtinctionis haut mediocris eſt; ita quippe de eſſentiâ, cauſis, effectis &c. agit Metaphyſica in actu ſignato, hoc eſt ſignat vel definit, quid illa ſint; at Phyſica in actu exercito, hoc eſt ea ſpecialiter in corporibus naturalibus inquirit. Et dum quæritur, an genus & individuum definiri poſſint? Reſpondendum, poſſe in actu ſignato, non in exercito. Plura exempla vide apud *Scheiblerum*, *lib.* 1. *Met. cap.* 14. *tit.* 4. *art.* 5.

18. III. *Oppoſitum* actus eſt *abſentia* ſive negatio præſentiæ *perfectionum*, quæ ipſi actui *contradictoriè* opponitur, adeoque eſt non-ens, ac *dari* prorſus *nequit*; Atque hæc tam actui abſoluto, quam reſpectivo opponitur: *Huic* autem præterea quaſi *relativè opponitur potentia*, quæ ab abſoluto planè abeſt, ob ſummam ac infinitam, quam præſupponit, perfectionem.

19. *Potentiæ* igitur *ratio* ac natura penitius *enucleanda*, quare videndum 1. ejus *nomen*. 2. *quid* ipſa in ſuâ entitate *contineat*?

20. *Nomen* potentia *à poſſe* habet, quod eſt quaſi virtute pollere, quare ſic *primò aptitudinem agendi*, ſive actionis præſentiæ

tiæ denotat; atque *deinde*] *quamcunque aptitudinem*, tam ad patiendum, quam ad agendum, denotat, atque ita ipſi *Græcum* δύναμις *reſpondet. Dicitur* quandoque & *poteſtas*, quæ tamen vox potius jus vel autoritatem in agendo deſignat, ſive vires ſufficiant, ſive ſecus, hoc eſt ſive adſit potentia, ſive deſit; Huic quippe æquivalet Græcum ἐξουσία, ἀπὸ τοῦ ἔξεστι, licitum eſt, nomen habens.

21. In *re* ipſâ explicandum, *Primò*, *quid ſit? Secundo*, *quomodo dividenda* ſit?

22. *Primò*, *definitio* potentiæ non minus *difficilis* videtur, ac fuit ipſius *actus*, quia omni actui, ſolo abſoluto excepto, opponitur, adeoque latiſſimè vagatur: *deſcribitur* autem, quod ſit *aptitudo agendi vel patiendi*; Quo deſignatur, ipſam 1. *negare actum* hoc eſt præſentiam actionis, & paſſionis. 2. *includere aptitudinem* & non repugnantiam ad illam præſentiam. 3. *non eſſe niſi illius actus*, *cui* illa *non repugnantia* ſubeſt, non omnis.

23. *Secundò*, *diviſio* potentiæ eſt, quod ſit, vel *activa* vel *paſſiva*. *Activa* eſt *aptitudo ad præſentiam actionis*, adeoque omni actui activo opponitur. Eſtque *infinita*, vel *finita*. *Infinita*, aliter omnipotentia dicta, eſt *aptitudo ad præſentiam actionum divinarum*, *ſive* illæ *ordinariæ* fuerint, *ſive extraordinariæ*.

24.

24. *Finita* potentia *creaturarum* eſt; Quæ *varia* admodum: Et quidem *primò* vel *rationalis* eſt, vel *irrationalis*. *Rationalis*, quæ creaturarum *intelligentium* eſt, vel *intellectus*, vel *voluntas* eſt. *Irrationalis* eſt potentia, quâ reliqua corpora naturalia actionibus ſuis præſunt; Talis igitur eſt potentia calefaciendi in ſole & igni, trahendi ferrum in magnete, purgandi bilem in Rhabarbaro; Poſſuntque tales *diſtingui*, quod ſint vel *animatæ* vel *inanimatæ*; prout vel viventibus, vel aliis corporibus conveniunt. *Secundò* potentia *finita* vel eſt *nativa*, vel *adventitia*. *Nativa ſimpliciter potentia* dicitur, *adventitia* verò *diſpoſitio*, vel *habitus*, ſi rei intelligenti accedat.

25. *Paſſiva* potentia eſt *aptitudo patiendi*, omnique actui paſſivo opponitur, quare & ſecundum ejus diviſiones diſpeſcitur, quòd ſit vel *exiſtendi*, vel *recipiendi*. Potentia *exiſtendi* eſt *non-repugnantia ad præſentiam exiſtentiæ*, ac *aliter* dicitur 1. *Potentia objectiva*, quia per illam, quod non eſt, fieri poteſt objectum agentis alicujus, ipſum exiſtere producentis. 2. *Potentia Logica*, quia ex noncontradictione terminorum ex parte æſtimatur. 3. *Potentia non-ſubjectiva*, quia ſubjectum non præſupponit prius, ſed ſaltem ſimul cum ipſâ actione, quâ & ſubjectum & ipſius actus

actus exiſtit. Eſt igitur hæc illa potentia, ſecundum quam aliquid abſolutè dicitur poſſibile, quare impotentia, illi oppoſita, ipſa eſt impoſſibilitas.

26. Potentia *recipiendi* eſt *non-repugnantia*, ſive aptitudo, *aliquid in ſe actione alterius acquirendi*, diciturque *alias ſubjectiva*, quod ſubjectum prius præſupponat, in quo agens agendo aliquid efficiat. Eſtque hæc *duplex*, *naturalis* & *præternaturalis*: *Prior* eſt aptitudo, quâ rei ſubſtare poteſt actioni ordinario naturæ curſu ipſi debitæ, qualis eſt in materiâ ad recipiendas formas naturales, à naturâ; *Hæc* igitur *Phyſica* dicitur potentia, quod ſecundum naturam perfici poſſit. *Poſterior* eſt aptitudo, quâ res ſubſtare poteſt actioni extraordinariæ alicujus agentis, ſive Dei, ſive artificis, qualis eſt in lapidibus, ut juſſu Dei fieri poſſint panes, & in ære, ut ex eo fiat ſtatua. *Aliter* hæc *obedientialis* dicitur potentia, quia per illam res apta eſt obedire eminentiori alicui agenti: Quin & *Metaphyſica* dici poteſt, quâtenus ratione unius ſui modi ſupernaturali juſſu Dei completur.

27. IV. *Axiomata* ex hac doctrina prognata, hæc videntur *potiſſima*. 1. *Actui infinito nulla reſpondet potentia*; videlicet paſſiva; eò quippe non auffertur ab ipſo potentia activa, quâ ipſe efficax ſit, ea tamen

men ipſi non reſpondet, ut per illam actus fiat. Ratio axiomatis, ex ipſâ definitione actus puri ſeu infiniti deſumitur. Hinc igitur Deus 1. non poteſt non-eſſe. 2. non poteſt mutari. 3. à nullo extrinſeco pati aut determinari. 4. nullum accidens recipere &c.

28. II. *Finito actui reſpondet potentia.* Ratio eſt, quia omnis talis actus reſpectivus eſt. Hinc igitur Creaturæ poſſunt 1. non-eſſe. 2. mutari. 3. ab extrinſeco pati ac determinari. 4. accidentia recipere. Et 5. ab extrinſeco fieri ac conſervari debent.

29. III. *Quod non poteſt eſſe actus, ejus nulla eſt potentia.* Dicit quippe potentia aptitudinem & non-repugnantiam ad præſentiam ſive actum, quare negatâ hac aptitudine, negatur & ipſa potentia. Hinc igitur, quia creatura actu eſſe nequit æterna, nullam quoque æternitatis habet potentiam; Huic *æquivalet* & hoc, *impoſſibilis non eſt actus*; Eſt enim impoſſibile, cujus nulla eſt potentia.

30. IV. *Poſito actu præſupponitur potentia.* Fluit id ex tertio; nihil igitur fit, niſi quod poſſibile antè à erat.

31. V. *Propter actum eſt potentia*; non contra, actus propter potentiam; Perfectio quippe eſt actus, at hæc finis eſt, propter quem ſint media oportet. Hinc igitur

propter victoriam imperator milites colligit, non victoriam parat propter milites: Et conſimiliter propter doctrinam exercendum ingenium, non ingenii gratiâ doctrina.

32. VI. *Actus melior eſt potentiâ.* Ratio eſt, quia finis præſtantior mediis, & perfectio præſtantior ejus abſentiâ. Hinc exercitium virtutis habitu præſtantius eſt; Habitus quippe potentia ſaltem exercendi eſt.

33. VII. *Potentia prior eſt actu*, videlicet in geneſi: Cum in intentione & analyſi actus prior ſit potentia; intellige hoc de actu & potentia, prout ſe mutuò reſpiciunt, alias quippe abſolutè actus prior eſt omni modo potentiâ.

34. VIII. *Nihil in potentiâ exiſtens, ſeipſum educit in actum.* Ratio eſt, quia idem ſeipſo non eſt præſtantius, adeoque ſibi ipſi non confert perfectionem, quam non habuit, ſed ſaltem habere potuit. Hinc itaque creaturæ ſe ipſis agere non poſſunt, quia ad actiones ſuas ſunt in potentiâ, quare requiritur præcurſus cauſæ primæ, illam potentiam ad actum applicans &c. Et hæc de Actu & potentiâ dicta ſufficient.

CAP.

CAP. XVI.
DE
Utilitate, ſeu Bonitate externâ.

1. E*Ns* actu habens ſuas perfectiones ſi referatur ad aliud aliquod, ei *conveniens* eſſe judicatur, adeo *ut* ipſi aliquod *commodum* præſtare poſſit, *unde* tunc ens *bonum*, *externâ* videlicet & relatâ ad conſequens aliquod *bonitate*, dicitur. *Commodius* tamen hæc bonitas *utilitas* dicitur; vel & *amabilitas*, *quæ* tamen potius eſt utilitatis quædam *denominatio*, quâtenus ob ejus perceptionem, in objecto oritur deſiderium & appetitus, vel complacentia quædam circa ens, utilitatem illam præſtans.

2. Miſſa autem hac denominatione, *utilitas explicanda* hiſce titulis 1. *Quid* ſit? 2. *Quodnam* ejus *ſubjectum*? 3. *Quid* illi ſubjecto *ſuperaddat*? 4. *Quænam* ejus *differentiæ*? 5. *Quænam axiomata*? 6. *Quodnam* ejus *oppoſitum*.

3. I. *Definitur* utilitas, *convenientia Entis cum alio*: ſed *non ſatis diſtinctè*; convenientia enim non ſemper eſt conſenſus rerum ad finem. *Rectius* igitur, *utilitas eſt exercitium actus, alteri commodum affe-*

rens. Dicitur, *exercitium actus*, quia perfectiones actu poſſeſſæ non dicuntur utiles, niſi exerceantur: dicitur, *alteri commodum afferens*, quia ideo dicitur quid alteri utile, quia vel ipſius tanquam finis medium eſt; vel ſimul cum ipſo ad alium finem communem conſpirat.

4. II. *Subjectum* utilitatis eſt vel *primarium* vel *ſecundarium*. *Illudque* vel *ultimatum* ſive formale, vel *non-ultimatum*, ſive materiale. *Formale* eſt illa ipſa *ratio*, propter quam Ens convenire aut commodum præſtare cenſetur. *Materiale* autem eſt ipſum ens, illam rationem in ſe habens, hoc eſt actum illum poſſidens. Neque hoc unquam poteſt eſſe non-ens, utpote quod ignotum eſt: ignoti autem nulla cupido. Et 2. ſubjectum illud debet commodum alteri præſtare; atque nil niſi ens uſum præſtat. 3. Debet illam rationem in ſe continere, quod ſolius entis eſt. Subjectum *ſecundarium* ſunt *modi & actiones*, quibus, tanquam mediis, uſus haberi poteſt.

5. *Objectum* hujus utilitatis *ſtrictè* ſi velis ſumere, eſt *illud tantum*, *quod* ipſum bonum ad ſe redundans *cognoſcit*, ac ſibi conveniens judicat; Omne enim hoc modo bonum ſive utile, finis aut medii rationem habet: At finis & medium, non niſi ab intelligente cognoſcuntur. *At* ſi

latius

latius capias, erit *omne* illud, *cui uſus* aliquis *accommodatur*, ſive illum cognoſcat, ſive non.

6. *Hæc* igitur bonitas *non eſt* Entis *affectio interna*, quia juxta hanc nihil per ſe ipſum bonum eſt; *nec* eſt *modus*, utpote nullam mutationem afferens, *ſed* nudus *reſpectus* aut relatio, cujus fundamentum eſt indigentia aut voluptas quædam, quæ iſto uſu ſolvitur.

7. *Differentiæ variæ* bono aſſignatæ ſunt, Et quidem 1. eſt vel *verum*, vel *apparens*. *Verum* eſt, quod ita ſe habet, ut eſſe judicatur: *Apparens* autem, quod uſum illum, qui ab ipſo exſpectatur, præſtare nequit. Sed hæc diviſio non eſt accipienda, ac ſi bonum aliquod eſſet, quod non appereret; Nam ſi id bonum dicatur, quod bonum judicatur, omne bonum apparens dici poteſt, ſive id appareat uti eſt, ut verum; ſive ſecus, ut apparens ſtrictè dictum.

8. 2. *Bonum* eſt vel *per ſe*, vel *per accidens*; *Prius* eſt, quod uſum ſperatum præſtat: *Poſterius* verò, quod ex inopinato aliquod commodum præbet, ut ſunt caſualia ac fortuita.

9. 3. *Bonum* eſt vel *materiale*, vel *formale*: *Illud* eſt, quod rei inanimatæ & non intelligenti aliquod commodum præbet: *Hoc* verò, quod homini & intelli-

genti uſum præſtat; Eſtque *hoc duplex*, *internum* corpori & animæ hominis uſum neceſſarium ſuppeditans; & *externum*, quorſum pertinent divitiæ, honores &c.

10. 4. *Bonum* eſt vel *honeſtum*, vel *utile*, vel *jucundum*: *Honeſtum* ad mores & vitam ſpectat, adeoque aut virtus, aut virtutis eſt actio; *utile* dicitur, quod requiritur ad benè eſſe, quemadmodum *jucundum* ad melius eſſe.

11. 5. *Bonum* eſt vel *ſummum*, vel *medium*. *Summum* eſt, quod ultimi finis rationem habet: *Medium* verò, quod ad illum finem dirigitur, ſive *neceſſariò*, & dicitur bonum *abſolutum*; ſive *ex hypotheſi* & conditione, & dicitur bonum *hypotheticum* & arbitrarium.

12. Inter *axiomata* hæc ſunt *potiſſima*. 1. *Finis & bonum convertuntur*. Ratio eſt, quia ſicut bonum uſus gratiâ, ita & finis propter eundem expetitur. Hinc igitur, objectum voluntatis ſemper eſt bonum. 2. *Omne bonum eſt ſui communicativum*: videlicet ratione ſuæ utilitatis, non ratione eſſentiæ. Ratio eſt, quia omne bonum commodum præſtare debet. Non igitur bonum dicendum, quod nulli rei uſum præſtat. 3. *Omne bonum eſt appetibile*; Ratio eſt, quia finis rationem habet. 4. *Quô bonum ſuperius, eô melius*. Ratio eſt, quia id magis appetitur, majoremque uſum

ſum præſtat. Hinc igitur *ſummum bonum eſt optimum & infinitum.*

13. *Malitia* huic *bonitati oppoſita*, aliter *inutilitas* dicitur, eſtque *diſconvenientia Entis cum alio*, quâ illi non tantum uſum nullum, ſed & damnum præſtat; Ac bonitati *contrariè opponitur*. Quare hoc modo ens dividi poteſt in bonum & malum, ſive in utile & inutile, ratione videlicet alterius alicujus entis, cui vel uſum vel noxam infert. Atque hinc patet malum hoc iiſdem modis dividi poſſe ac bonum.

14. *Dubium* tamen eſt, *an* prout ſummum datur bonum, omnibus uſum præſtans, etiam *ſummum detur malum*, omnibus nocens? *Reſp.* Si ſummum malum dicatur, quod nullius reſpectu bonum eſt, ita nullum datur: At ſi illud accipiatur, quod ſummam huic vel illi perniciem affert, ita negandum non videtur: Ita mors animantis ut ſic, ſummum malum, & æterna condemnatio ipſis impiis. Atque hæc de Utilitate, ſeu bonitate externâ.

Cap. XVII.
De
Dependente & Independente.

1. Fuerunt hactenus *affectiones* maximâ ex parte *abſolutæ*, ſequuntur *reſpe-*

ctivæ, Enti ob reſpectum ad aliud aliquod tributæ, quæ ſupra allato ordine breviter pertexendæ veniunt, ac ex relationibus ſuis eruendæ. *Primò* autem occurrit *dependentia*, quæ primitus corporibus tributa videtur, quorum unum alteri annexum aut alligatum, ab ipſo, aliàs dilabendum, ſuſtentatur, poſteà autem à Metaphyſicis ad ſignificandam ſuſtentationem unius Entis ab alio ratione τῦ εἶναι potiſſimum, adhibita fuit.

2. *Sumitur* autem vel *pro denominatione*, vel *pro relatione*: *Priori* modo *opponitur independentiæ*, atque ita nihil aliud eſt, quam poſitiva conſtitutio, quemadmodum independentia eſt negativa: *Poſteriori* verò eſt ipſe *ordo*, inter poſitivè conſtitutum, ejuſque conſtituens, intercedens, quomodo hîc accipi debet.

3. Eſt autem *dependentia*, *relatio interna*, *inter talia*, *quorum unum alteri debet ſuum eſſe*; ſive quorum unum alterum exigit ad ſuum eſſe. Quoniam igitur relatio eſt, præciſè ſubjecto ſive Enti alicui non inhæret, ſed potius inter duo Entia intercedens, utrumque denominat, & quidem extrinſecè plerumque.

4. *Locum* habet, *poſitâ* entium *multitudine*, quemadmodum & omnis relatio ordinaria; non verò, ſi Ens ut unicum abſolutè conſideretur: Quare *negata*

crea-

creaturâ, negatur dependentia.

5. *Axiomata* utiliſſima hinc oriuntur, quorum hæc *potiſſima*, I. *In omni dependentiâ ſunt duo*; Ratio eſt, quia debet eſſe unum, quod debet alteri ſuum eſſe, & alterum cui debet. Hinc igitur, idem non eſt ſui ipſius cauſa, quia ſic à ſeipſo dependeret, & dependentia eſſet ſine duobus.

6. II. *In omni dependentia eſt aliquis ordo*; Quia omnis dependentia relatio eſt; Et quo pacto ſine ordine unum alteri eſſe concederet? Unde negato omni prorſus ordine, negatur & dependentia.

7. III. *In omni dependentia eſt aliquod primum*; Ratio eſt, quia in omni eſt ordo, & in omni ordine eſt aliquod primum. Hinc igitur in ſerie cauſarum & effectorum vitandus omnis in infinitum progreſſus; Et conſimiliter hinc una aliqua cauſa erit prima.

8. IV. *In omni dependentia eſt independens, & dependens.* Ratio eſt, quia duo requiruntur, quorum unum primum eſt, adeoque independens, alterum poſtremum & dependens. Illud autem *independens* & primum, vel *abſolutè* eſt tale, quod nullâ ratione ſit dependens, eſtque ipſe *Deus*, qui omnis Entis dependentis cauſa eſt independens prorſus. Vel *in ſuo genere*, qualia ſunt, quæ principii,

 cau-

cauſæ, vel ſubjecti rationem *inter creaturas* induunt.

9. V. *Nihil eſt in dependente, quod non prius fuerit in independente*, vel virtute, vel eminentiâ, vel formâ. Ratio eſt, quia quod tribuit eſſe, tribuit quoque omnia conſequentia ad eſſe: Nihil autem alteri tribuit, quod ipſum non habet. Hinc igitur effectum toto genere dignius non eſt ſuâ cauſâ; Et nemo plus juris alteri concedere poteſt, quam ipſemet habuit.

10. VI. *Poſito dependente, ponitur independens, ipſi proportionatum.* Ratio eſt, quia dependens non eſt ſine ſuo eſſe: At hoc debet independenti; Hinc poſitâ creatura ponendus Creator independens.

11. *Ab hac dependentiâ* Ens vel *independens* vel *dependens* dicitur; *Independens* autem vel *abſolutè* vel *relativè*: *Abſolutè* independens eſt, quod alteri eſſe non debet; idque vel *poſitivè*, quomodo ſolus *Deus* independens eſt; vel *negativè*, quomodo *non-ens* nulli ſuum eſſe, utpote quod non habet, debet; Atque ita mera eſt negatio, utpote ipſum nihil. *Relativè* independens eſt, *quod* alteri *eſſe tribuit*, & hic potiſſimum attenditur. Eſtque vel *primum* & ſummum, vel *ſecundum* & medium, prout illud eſſe tribuit, ita ut illud alteri quoque debeat, vel non.

12. *Dependens* Ens eſt, *quod* alteri ſuum *eſſe*

eſſe debet, Quale eſt omne creatum; finitum, mutabile; Hoc autem, quod eſſe ſuum alteri debet, etiam debet eſſe ſui continuationem; & operationem, utpote quæ conſequuntur ad eſſe; Quare omne creatum dependens eſt, ut in fiendo, ita & in eſſendo, & operando.

13. *Dependentia* variis modis *dividitur*: & quidem *primò*, quod ſit vel *eſſentialis*, vel *naturalis*: *Prior* dicitur, quâ ens debet ſuum eſſe, ita ut ſine illâ exigentiâ ne quidem divinâ virtute eſſe poſſit: *poſterior*, quâ naturam debet, adeo ut illa exigentia Dei virtute tolli poſſit. Sed abſurditatum plena diſtinctio, in patrocinium fœdi erroris, de conſervatione Accidentis extra ſubjectum, conficta. Nam 1. Omnis dependentia eſt eſſentialis. 2. Etiam naturalis eſt eſſentialis, quoniam natura & eſſentia dependens idem ſunt. 3. Implicat, reſpectivum ac dependens in eſſe, fieri abſolutum ac independens.

14. *Secundò* dividitur dependentia, quòd ſit, vel *à priori*, vel *à poſteriori*; *Prior* eſt, quâ Ens dependet à priori aliquo: Poſterior, quâ à conſequente aliquo. Sed ultima hæc dependentia eſt membrum diviſo repugnans; Omnis etenim dependentia à priori, ut pote ab independente eſt.

15. *Tertiò* diſpeſcitur *in* dependentiam *abſolutam*, & *contractam*, ſive relatam.

Quarum illa perſonis S. S. Trinitatis tribuitur. Verùm inter has nulla dependentia locum habet, utpote ubi talis poſterioritas ac prioritas exulat. Neque dari poteſt eo modo dependentia abſoluta, quoniam omnis independens præſupponit.

16. *Quartò* dependentia alia eſt *cauſativa*, alia *ſubjectiva*. Illa eſt, quâ aliquod dependet *à* ſua *cauſâ*, diciturque *cauſalitas*. *Hæc* verò, quâ dependet *à ſubjecto*, diciturque *inhærentia*; quibus *communis* eſt dependentia *Principialis*, inter Principium & principiatum intercedens. Additur à nonnullis dependentia *objectiva*, quâ Relationes dependere dicuntur à fundamentis & terminis. At illa admittenda non videtur, quoniam dependentia Entium eſt affectio: Sed relationes entia non ſunt. Aut ſi Entia dicuntur, accidentia erunt, adeòque inhærentiâ, ſive ſubjectivâ depentiâ contentæ eſſe deberent. Atque hæc de Dependentiâ.

CAP. XVIII.

DE
Principio & Principiato.

1. QUoniam omnis dependentia inter prius & poſterius, hinc ab ipſâ Ens dicitur *principiũ*, quod *prius* eſt, & *Principiatũ*, quod

quod *poſterius* eſt. Solet tamen Principii appellatio etiam latius extendi, ad denotandam quamcunque originationem, quæ tamen ſemper dependentiam non admittit; Quâ tamen hîc tractandum videtur Principium, ut generalis ejus notio declaretur.

2. *Dicitur* autem Principium *quaſi primarum partium capium*, quòd prioris alicujus rationem plerumque obtineat; Quare & cujuslibet quantitatis *terminus* primus, ultimo, qui finis appellatur, oppoſitus, Principium dicitur, *ſive* hoc fiat, *poſitivè*, ita ut etiam reliquæ partes adſint, ſive *negativè*, ut nulla alia extremitas admittatur; Qvomodo primus eſt ſol, licet unicus ſit. Eâ tamen ſignificatione hîc explicandum non eſt, quoniam nullam ea infert connexionem inter hoc & principiatum, aut illud cujus eſt principium.

3. Miſſis autem variis ipſius vocis ſignificationibus, anguſtioribus & latioribus, *Principium* hîc eſt, *à quo aliquâtenus priori aliquid cum ipſo cohærens procedit*. Quæ definitio generalis admodum eſt, ut quæ non tantum principio dependentiæ, ſed etiam originationis, in quo Principium & id cujus eſt principium realiter idem ſunt, convenire debet.

4. Ex hac autem definitione generalia documenta, ſive *axiomata* deduci poſ-

ſunt; *Qualia* ſunt. 1. *Omne principium aliquo modo prius eſt, eo cujus eſt principium.* Nam principium, ab eo cujus eſt principium præſupponitur: At omne præſuppoſitum eſt aliquo modo prius præſupponente. Dicitur autem aliquo modo; non enim requiritur, ut ſit prius vel tempore, vel naturâ ſtrictè dictâ: ſed ſufficit ſi prius ſit originatione, ut ſuprà circa Entis principia notatum fuit. Dicitur autem potius prius eo cujus eſt principium, quam principiato; Quoniam hæc vox ſoli principio dependentiæ ex communi uſu loquendi opponitur; Unde licet Pater in S.S. Trinitate dicatur Principium filii, non tamen Filius dicitur principiatum; Et quamvis Conſtitutio & diſtinctio dicantur Entis principia, non tamen Ens rectè dicitur principiatum.

5. II. *Ab omni principio aliquo modo eſt id, cujus eſt principium.* Nam alias nulla ratio dari poſſet, quare hoc potius, quam illud eſſet principium. Dicitur autem aliquo modo à principio eſſe, id cujus eſt principium, non ſemper omni modo, aut ſtricto illo, quo ab aliquo eſſe, vel efficienti tantùm, vel & omni principio dependentiæ tribuitur.

6. III. *Ab omni principio procedit aliquo modo id, cujus eſt principium.* Ratio eſt quia in eo diſtinguitur modò definitum principium, à principio terminationis, quod hoc

talem

talem proceſſum non inferat. Hinc igitur non omne prius ſtatim principium eſt.

7. IV. *Omne principium aliquo modo connexum eſt cum eo cujus eſt principium.* Ratio in tertio manifeſta eſt.

8. *Differentiæ* principiorum, ſuprà obiter propoſitiæ, hîc penitius enucleandæ ſunt; Eſt autem *Principium* vel *rei*, vel *cognitionis: A priori* aliquo modo *eſt Ens: à poſteriori* verò *cognitio*, quod ideò minus hic locum habet, quia hîc ſpectatur Principium, ut eſt Entis affectio; præterquam, quod principia rei etiam ſint principia pima cognitionis: Aut, ſi ipſa cognitio Ens dicatur, etiã ſua ex principiis Entis petere poteſt principia.

9. *Principium* igitur *rei*, vel eſt *originationis*, vel *dependentiæ*; *Originationis* eſt, *à quo* aliquid procedit *reipſâ idem* cum ſuo principio: *Dependentiæ* verò, *à quo* procedit aliquid ab ipſo principio *diſtinctum.*

10. Principium *originationis* eſt vel *perſonalitatis*, vel *conceptuum. Prius in perſonis S. S. Trinitatis tantum locum habet: Poſterius* verò eſt *inadæquatus modus conſiderandi*, reipſâ ab eo, cujus eſt modus, non diſtinctus, per modum prioris & antecedentis rei tributus; cujus generis ſunt Entis Principia. Atque huic principio originationis non rectè videtur opponi principiatum; ut modò dictum.

11. Principium *dependentiæ*, vel eſt *cau-*

cauſalitatis, vel *inhærentiæ*. *Prius* eſt quælibet *cauſa*, ratione ſui cauſati: *Poſterius* verò *ſubjectum* ratione accidentium ipſi inhærentium.

12. Porrò, Principium *cauſalitatis* vel *internum* eſt, vel *externum*, pro ratione videlicet cauſarum; *Inhærentiæ* verò vel *emanationis*, vel *acquiſitionis eſt*. *Prius* eſt ſubjectum ratione inſeparabilis & proprii accidentis: *Poſterius* verò ratione cujuscunque communis, & quaſi in ipſo acquiſiti.

13. Denique *Principio dependentiæ omnia conveniunt axiomata*, ſuperiori capite ex naturâ dependentiæ deducta; non enim niſi nomine differt independens, & principium dependentiæ, prout néc dependens & Principiatum.

14. *Principiatum*, licet à principio nomen habeat, tamen omni principio relativè opponi non videtur, ſed tantùm principio dependentiæ: Si quis tamen non vereatur, omne id, cujus eſt aliquod principium, appellare principiatum, ampliatâ ejus ſignificatione, magis fortè an verbis, quam reipſa offendet. Præſtabit tamen loqui, prout uſus fert, utpote quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.

15. Æſtimandæ autem ejus *differentiæ*, *ex oppoſiti Principii diviſionibus*; valet enim

enim quàm maximè in relativè oppoſitis, quòd vulgo dicitur, tot modis unum oppoſitum dici, quot modis alterum. Et *hæc de Principio & Principiato*.

Cap. XIX.
DE
Cauſa & Cauſato, in genere.

1. *PRima dependentiæ ſpecies* ſequitur, *cauſalitas* appellata, quòd ſit reſpectus inter cauſam & cauſatum, ſive dependentia hujus ab illâ. Eſt igitur hæc ratio formalis, per quam cauſa eſt cauſa, & ſecundum idem ad idem, aliam induere non poteſt relationem. Sed *quid in re* ſit ipſa *cauſalitas*, prout valde controverſum eſt, ita nec minus *explicatu difficile*.

2. *Philoſopho* eſt *quæſtio propter quid*, quare tot dicit eſſe cauſas, quot ſunt quæſtiones propter quid. Sed 1. hæc quæſtio index quidem poſſet eſſe, conſequenter oſtendens cauſalitatem, non verò, ipſa cauſalitas. 2. Propter quid ſtrictè ſi ſumatur, ſoli fini tribuitur: at latè omne dependens propter ſuum independens eſt, prout accidens propter ſubjectum ſuum. *Aliis* eſt *dependentia*: Sed nunc oſtenſum, non tantum cauſatum à cauſâ, ſed & accidens à ſubjecto dependere. *Aliis* eſt *influxus τῦ*

eſſe

eſſe in aliud: Sed 1. omni dependentiæ quoque convenit; Nam & ſubjectum habet ſuum influxum ad eſſe accidentis. 2. Et quid hoc eſt influere eſſe in aliud: Et ut verbis *Clariſſ. Voet*, *Philoſ. prim. reform. cap.* 20. *ſ.* 1. *n.* 3. dicam: *Mala phraſis eſt, locutio inepta, ſenſus non genuinus.* Ipſi *Clariſſ. Voet*, eſt *influentia per ſe in eſſe aliud.* Sed etiam ſubjectum in eſſe aliud, videlicet accidentis, influit: ita enim accidens non eſt ſine dependentiâ à ſubjecto, quod ipſi eſſe dat. *Mihi* hactenus placuit *actio*, aut prout in actu primo conſideratur, vis ſive virtus activa; juxta axioma, quod non agit, non eſt cauſa; aut vulgatam definitionem, cauſa eſt, cujus vi res eſt. Sed non videtur ſufficere; Nam actio ſi ſtrictè & Phyſicè ſumatur, prout ad Prædicamentum actionis ſpectat, ſolius eſt efficientis: at latius prout omne verbum activum Grammaticè dictum comprehendit, ſi accipiatur, omnibus quidem cauſis convenit, ſed non ſolis; nam etiam ſubjectum recipit ſuum accidens, æquè ac materia formam, ejuſque unionem, ut & efficientis actionem. At quoniam manifeſta diverſitas eſt inter receptionem Subjecti & Materiæ, exinde actio illa generaliter dicta, aliquo modo limitanda eſt; Quare exiſtimo, tutò dici poſſe, *cauſalitatem*, ſive formalem rationem omnis *cauſæ*, *eſſe actio-*

actionem conſtituentem, quâ videlicet cauſa agendo aliud aliquid in ſuo eſſe conſtituit. Nec eſt, quòd dicas, etiam ſubjectum, recipiendo accidens, illud in ſuo eſſe conſtituere; nam recipere materiæ non eſt propriè ejus conſtituere, quoniam ad hoc etiam requiritur, ut ſit ipſius conſtituti pars; Quare recipiendo conſtitùere propriè eſt 1. recipere in ſe actionem efficientis & externè conſtituentis. 2. Recipere unionē partiū & formam. 3. Fieri ipſius conſtituti partem. Quæ multū diſtant à nudâ receptione.

3. Ea igitur actio conſtituens retinenda, donec commodior explicatio affulgeat: intercedit autem hæc inter cauſam & cauſatum; Prout in omni actione eſt agens, & conſtitutum, actione illâ productum; Unde *Ens agendo conſtituens* dicitur *cauſa*, & *actione conſtitutum*, *Cauſatum*, de quibus breviter *in generè*, & deinde quoque *in ſpecie*.

4. In *genere Cauſa* conſideranda eſt, quoad *nomen*, & quoad *rem*. *Nomen* dici videtur, *quaſi caviſſa*, à cavendo, quia per cognitionē cauſarū caveri poſſunt omnes errores; vel *quaſi cauta*, quia cognitis cauſis cauti ſumus & circumſpecti; Ratio etymologiæ eadem; magis tamē ultima placet, quia vox illa uſitata eſt, & literæ t & ſ ſatis εὐμεταβλητοί.

5. *Acceptiones* ejus *variæ* ſunt, latitudine potiſſimum differentes, nam

ſtrictè

ſtrictè ſumitur *pro ſolâ efficiente*, utpote maximè excellenti cauſa. 2. *Latè pro quocunque principio, tam terminationis*, quomodo privatio, 12. *Met. cap.* 2. etiam dicitur cauſa, *quam proceſſionis*, quo-pacto in ſcriptis Patrum ſæpius Pater Filii in S. S. Trinitate dicitur cauſa, quod hodiè, mutatâ vocis ſignificatione, tolerandum non videtur. Atque in hac ſignificatione omnis ratio, propter quam alia adſunt, cauſa appellari poteſt, ut Rhetores genera ſua cauſarum habent, &c. 3. *Adæquatè pro principio dependentiæ* actione ſuâ dependens aliquod conſtituente; *Quæ hujus loci* eſt ſignificatio.

6. In *reipſa* videndum. 1. *Quid ſit*? 2. *Quænam* ejus *axiomata*? 3. *Quæ affectiones*? 4. *Quæ differentiæ*?

7. I. Eſt autem *cauſa*, *Principium à cujus actione conſtituente dependet aliud*; *Vel* brevius, *cujus vi res eſt*: Quæ omnia ex antedictis ſatis manifeſta ſunt.

8. II. *Axiomata* copioſa ex naturâ cauſæ oriuntur, qualia ſunt 1. *Omnis cauſa prior cauſato eſt*, *naturâ & cognitione*. Ratio eſt, quia omne independens prius eſt tali ordine ſuo dependente. 2. *Nihil eſt in cauſato, quod non prius fuerit in cauſâ.* Quia nihil eſt in dependente, quod non prius fuerit in independente, 3. *Cauſatum non eſt dignius ſuâ cauſâ.* Ratio ex ante-

antecedente patet. 4. *Poſito cauſato, ponitur cauſa*; Quia poſito dependente ponitur independens. 5. *Nihil fit ſine cauſâ.* Ratio eſt, quia quod fit, actione conſtituitur. 6. *Quod non agit non eſt cauſa.* Quia cauſa non eſt ſine ſuo eſſe, at hoc eſt agendo conſtituere. 7. *Quod magis agit id magis eſt cauſa.* Ratio eſt, quia illi magis notio cauſæ convenit. 8. *Nihil eſt cauſa ſui ipſius*; Ratio, quia in omni dependentiâ ſunt duo.

9. III. *Affectiones* cauſæ ſunt 1. *Ordo* 2. *Modus* 3. *Gradus*. *Ordo* eſt habitudo plurium cauſarum inter ſe & cauſatum. *Ordo* cauſarum *inter ſe* eſt vel *Subordinatio*, vel *Coordinatio*.

10. *Subordinatio* eſt ordo cauſarum, *quæ plures* ejuſdem generis, ejuſdemque ſpeciei, ad idem concurrunt cauſatum *diverſo ordine*. Adeoquè eſt quædam dependentia cauſarum inter ſe, quâ poſteriores omnes à prioribus dependent.

11. Dividitur *Subordinatio*, quod ſit vel *per ſe*, vel *per accidens*; Subordinatio *per ſe* dicitur, *cum* omnes cauſæ *quâ tales* ad cauſatum ſunt deſtinatæ: *Per accidens* verò, *cum* una cauſa *quâ talis non* ordinatur ad effectum. Sed hæc *ultima non eſt vera ſubordinatio*, utpote in quâ requiritur, ut ad idem cauſatum omnes quâ tales, hoc eſt, quâ cauſæ iſtius, ſint ordinatæ

natæ. Nulla igitur ſubordinatio eſt inter Patrem & Filium furti reum, quoniam pater non facit filium cauſam furti. *Dices*: Locum tamen illa ſubordinatio per accidens habet inter Deum & voluntatem humanam, peccaminoſum quid patrantem, niſi Deus etiam peccati cauſa dicatur. *Reſp.* Deus cauſa eſt actionum voluntatis, & quidem per ſe; At quod illæ ſint peccaminoſæ, non habent ex ſe, ſed ex defectu congruitatis cum lege hominibus præſcriptâ; Defectus autem cauſæ inferioris, ut non imputatur ſuperiori, ita nec ratione iſtius inferior ſuperiori eſt ſubordinata. Omnis igitur vera ſubordinatio per ſe eſt.

12. *Ex hac* ſubordinationis doctrinâ, utiliſſima hæc pullulant *axiomata* 1. *In ſubordinatione cauſarum ſemper eſt aliqua prima.* Ratio eſt, quia in omni dependentia eſt aliquod primum: At ſubordinatio eſt cauſarum inferiorum à ſuperiori dependentia: prout inferior à ſuperiori dependet, quâtenus eſt cauſa. 2. *In ſubordinatione cauſarum non datur progreſſus in infinitum.* Ratio eſt, quia datur aliqua cauſa prima; Hinc igitur ex cujuscunque finiti actione, certiſſimè evinci poteſt, dari Ens primum & infinitum. 3. *In ſubordinatione cauſarum, quô quæ ſuperior, eò potentior eſt*: Quia nempe re-

liquæ

liquæ ab ipſâ dependere debent. Nihil autem eſt in dependente, quod non prius ſit in independente 4. *In cauſis ſubordinatis ſuprema potentiſſima eſt & infinita.* Ratio eſt, quia abſolutè debet eſſe independens. 5. *Cauſarum ſubordinatarum ſuperioreſt inferiorum cauſa.* Quia hæ ab illâ dependent, quâtenus ſunt cauſæ. 6. *Quod eſt cauſa cauſæ etiam eſt cauſa cauſati.* Ratio eſt, quia quod eſt cauſa independentis alicujus, idipſum eſt cauſa ejus, quod ab illo dependet: Quoniam nihil in hoc eſſe poteſt, niſi quod prius in illo ſit; Atqui in hoc nihil eſt, niſi quod prius fuerit in ipſius cauſâ. Intelligendum tamen hoc in ſenſu compoſito, ut ſenſus ſit, quod facit ut cauſa ſit cauſa, id quoque eſt cauſa cauſati: non verò, quod facit ut aliquid tantum ſit, id cauſa eſt ejus, quod ab illo quâ cauſa dependet.

13. *Coordinatio* eſt ordo cauſarum inter ſe, quo plures ejuſdem generis, ejuſdem ſpeciei, *ejuſdemque ordinis* ad idem cauſatum concurrunt. Diſtinguitur igitur à ſubordinatione, quod in illâ diverſo ordine, hoc eſt, non æquè proximè, in hac verò eodem ordine, ſive æquè proximè, ad effectum plures cauſæ conſpirent.

14. In coordinatione ſingulæ cauſæ ſufficientem virtutem non conferunt, ſed par-

partialem tantum, quæ junctim totalis ac ſufficiens evadit; *Vnde patet* 1. *Plus poſſe eſſe in cauſato, quam in ſingulis cauſarum coordinatarum*; quoniam junctis viribus, plus poſſunt, quam ſolutis & ſeparatis. 2. *Multitudinem ejus quod minus eſt, poſſe prævalere magnitudini ejus quod majus eſt.* Nam ex multitudine partium minimarum ingens maſſa conſtitui poteſt. 3. *Inter illas cauſas coordinatas requiri conſpirationem & concordiam*; quoniam ad idem effectum concurrere debent; Hinc igitur veritas iſtius politici: Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ dilabuntur maximæ.

15. *Ordo* cauſarum *ad effectum* conſiſtit in majori minorive acceſſu earum ad cauſatum: Illæ autem accedentes cauſæ, ut ſint ſubordinatæ, requiritur.

16. *Modus* cauſæ eſt aliqua ejus *limitatio*, quâ in eâdem ſpecie aliter ac aliter ad effectum refertur: Additur in eâdem ſpecie, quia alias diverſæ ſpecies diverſum cauſandi modum præſupponunt; Verùm is eſſentialis eſt, hic verò accidentalis, ſine quo etiam cauſa eſſe poſſet, & quidem talis ſpeciei. Tales ſunt 1. neceſſitas & contingentia: 2. Per ſe & Per accidens, &c.

17. *Gradus* cauſarum *eſt* earum in virtute & actione præ aliis *valor* minor, vel ma-

major, ac locum habet in cauſis coordinatis, aliquo modo in eodem genere connexis. Hic gradus à *Keckermanno* vis ejus appellatur, cum efficientem dividi dicit, ex vî efficiendi.

17. IV. *Ex his affectionibus* variæ fluunt cauſarum *differentiæ* communes; Et quidem *primò à ſubordinatione*; Cauſa eſt vel *prima* vel *ſecunda*; *Prima* cauſa eſt à quâ in quocunque genere reliquæ dependent, ut ipſa à nullâ aliâ in eodem genere dependeat. *Secunda* autem eſt, quæ à priori aliquâ dependet. Hujus igitur ratio eſt, ut in operando à primâ determinetur ac dependeat, ut ſtatim probatum.

18. *Secundò à coordinatione*, cauſa eſt vel *Totalis*, vel *Partialis*. *Totalis* eſt, quæ totum in ſuo ordine conſtituit cauſatum; Hæc igitur alias coordinatas non admittit, aliterque *ſolitaria*, quòd ſola in ſuo ordine ſit, appellatur. *Partialis* verò eſt, quæ cum aliis cauſis ejuſdem ordinis cauſatum producit; Diciturque aliter *ſocia*, quòd cum reliquis coordinatis ſocietatem & concordiam ſervet.

19. *Tertiò*, *ab ordine ad cauſatum*, cauſa eſt vel *Proxima*, vel *Remota*. *Prior* eſt, quæ *immediatè* ipſum attingit cauſatum, nullâ aliâ cauſâ ejuſdem ſpeciei intercedente; *Poſterior* verò, quæ *mediatè* attingit, intercedente unâ, vel pluribus

cauſis ejuſdem ſpeciei. Huic æquipollet diviſio cauſæ in immediatam & mediatam.

20. *Quartò à modo* 1. cauſa eſt vel *neceſſaria* vel *contingens*. *Prior* eſt, ſine quâ cauſatum nullâtenus eſſe poteſt: *Contingens* verò, ſine quâ eſſe poteſt. 2. Eſt vel *per ſe*, vel *per accidens*. *Illa* eſt cujus actio per ſe ordinata eſt ad tale cauſatum: *Hæc* verò, cujus actio primò inſtituta non erat ad tale cauſatum, licet illi hoc vitio aliquo intercedente imputari debeat. Intelligi autem debet hæc diviſio, ratione primæ inter cauſas ſecundas ordinationis non ratione executionis, quoniam hac nulla cauſa per accidens dari poteſt; Omnis quippe producit effectum ſibi conveniens, integra integrum, vitiata vitiatum.

21. *Quæres, an in omni genere cauſarum ſecundarum, talis aliqua à primâ ordinatione dari poſſit receſſus? Reſp. Omninò*; nam inprimis circa efficientem & finem nullum eſt dubium; Et in materiâ ovum eſt materia primitus ordinata ad pullum: Per accidens fit materia alimenti, & monſtri; Et ſi in materia id locum habeat, de formâ dubium eſſe non debet, licet exempla non ita præſtò ſint; quoniam etiamnum in obſcuro latent rerum formæ.

22. *Quintò à gradu virtutis*, cauſa eſt vel

vel *Principalis* vel *minus principalis*; Quarum *illa* per ſe requiritur, hæc propter illam. Specialiores harum deſcriptiones infra in ſpecie proponendæ.

23. *Cauſæ relativè opponitur cauſatum*, barbarè defectu melioris, ita appellatum, quod à cauſis dependet; Diciturque effectum à potiſſimâ ipſius ſpecie; Hoc totidem modis dicitur & dividitur, ac cauſa.

24. *Eſſentialiter* cauſa *dividitur in externam*, quæ manet extra cauſati eſſentiam, quam conſtituit; & *internam*, quæ illam eſſentiam ingrediendo, ejus pars fit. Dicitur autem externa & interna ratione eſſentiæ cauſati, non ratione loci; ut quâ etiam efficiens interna eſſe poteſt.

25. *Externa* cauſa eſt vel *efficiens* vel *finis*; Et *interna* vel *materia* vel *forma*; Adeo ut *quatuor* ſumma *genera* cauſarum ſtatuantur, non plura, nec pauciora; Cujus genuina *ratio*, *ex cauſalitate* deſumta, eſt, quia totidem actione conſtituente genere diverſâ, ad conſtitutionem cauſati concurrunt. Non quòd omnium Entium ſint quatuor cauſæ, ſed quòd illud, quod ob dependentiam alterius ab ipſo cauſa dicitur, ad aliquod ex hiſce generibus pertineat.

26. Ut autem pateat, non plures cauſas dari poſſe, *primò* inſtituenda demonſtratio, *ſecundò*, illæ quæ aliquam ſimilitudinem habere videntur examinandæ. Quoad

primum: *Actio* conſtituens vel *Phyſica* eſt & externa, vel *Grammatica* tantum, & latè dicta. Actio *Phyſica*, ſive realis, eſt exercitium potentiæ activæ, quâ cauſatum extrinſecè conſtituitur; adeo ut illud exercitium ad cauſatum terminetur. Eſtque hæc *duplex directa & obliqua*. *Directa* eſt, quæ quaſi per lineam rectam terminatur in cauſatum: Eſtque *cauſæ efficientis*: *Obliqua* verò, quæ indirectè tendit ad effectum, adeò ut prius terminetur in aliam cauſam directè agentem, adeò ut potius aliam cauſam, quam cauſatum videatur producere; Qualis actio eſt impulſio vî deſiderii ac appetitus, in efficientem terminata, ac per illam obliquo ductu ad Cauſatum; atque hæc eſt ipſius *finis*.

27. Actio *Grammatica* in concurſu potiſſimum ad unionem partium cauſati conſiſtit; unde quoque cauſæ internæ, quarum cauſalitas talis actio eſt, non niſi illorum ſunt Entium, quorum eſſe per partium unionem conſtituitur. Ille autem concurſus ad unionem *abſolvitur* 1. *eô quod unionem* illam in ſuis partibus *recipit*, ac per illam pars fit eſſentiæ cauſati, eſtque *Materia*. 2. Ipſo *uniente* proximè & internè, quod, à materiâ receptum, immediatè ipſius partes unit, ac ſe ipſam cum materiâ copulans, altera fit pars eſſentiæ compoſiti, eſtque nihil aliud quam *forma*. Quare liqui-

liquidò ſatis patet, quaternarium iſtum numerum, non ſolâ authoritate, ſed & non contemnendâ niti ratione.

28. Quoad *ſecundum*, ſimilitudinem aliquam cum cauſis videntur habere 1. *Cauſa exemplaris* 2. *Cauſa inſtrumentalis*. 3. *Cauſa ſine quâ non*. 4. *Subjectum*. 5. *Circumſtantia loci & temporis*; Quare quoque de iis dubitatur, annon diſtincta genera cauſarum conſtituant. Verùm nullum horum eſt, quin aut ad priora genera poſſit revocari, aut planè omni actione conſtitutivâ deſtituatur. Quod in ſpecie breviter oſtendendum.

29. I. *Cauſam exemplarem*, ſive exemplar quod attinet, *aut notat* certam *formam in intellectu* conceptam, ſecundum quam efficiens agit, ut illi opus ſuum conforme reddat. Atque ita *triplici modo* poteſt conſiderari, *primò* ut ſit ſimpliciter præparatio ac diſpoſitio in efficiente requiſita; atque ita ejus nulla eſt actio, nedum conſtituens: ſed pro cauſâ ſine quâ non haberi debet: *Secundò*, prout in intellectu exiſtens, efficientem non ſolum præparat, ſed etiam incitat ac impellit ad actionem, quo pacto quidem cauſa eſt,ſed ad efficientem minus principalem impellentem pertinet: *Tertiò*, prout illa incitatio ac impulſio ſecum habet aliquod deſiderium, quo efficiens moveatur: atque ita

 nihil

nihil aliud eſt, quam finis, concretè cum ſuo objecto conſideratus. *Aut* exemplar *notat formam* ſive imaginem *extra mentem* conſtitutam, ſecundum quam, non ſecus ac ſecundum regulam, efficiens agit; atque ſic cauſa eſt inſerviens & inſtrumentalis, adeoque ad efficientem pertinet.

30. II. *Inſtrumentum* ſive inſtrumentalis cauſa commodè ſatis *ad efficientem* reduci poteſt; agit quippe inſerviendo, & quidem directè in ipſum cauſatum; nec obſtat, quod ejus actio ſit ſervitium; nam ad efficientem non requiritur, ut ejus virtus & actio ſemper cauſato æqualis ſit, aut eo major, ſed ſufficit, ſi virtus ejus directè ſit terminata in effectum.

31. III. *Cauſa ſine quâ non* eſt conditio quædam ad cauſandum requiſita (qualis eſt v. gr. potentia & virtus præſens, defectus obſtaculi, præſentia objecti &c.) quæ *impropriè cauſa* dicitur, eô quòd nulla ejus ſit actio. Nec obſtat, ſine eâ non fieri cauſatum; nam illa ratio ſola non ſufficit, quoniam etiam requiritur, ut actionem ſuam conferat.

32. IV. *Subjectum*, licet recipiendo accidens, illud à ſe dependens habeat, non tamen cauſa eſt, quoniam illa receptio non eſt actio conſtitutiva, quâ ipſum dependentis accidentis pars eſſentialis fiat,

quod

quod ad cauſalitatem requiritur internam, ut modò dictum.

33. V. *Circumſtantiæ loci & Temporis*, aut *ſimpliciter* ſic ſpectantur, pro præſentia cauſationis in loco & tempore, atque ſic quidem ad cauſandum requiruntur in dependentibus, nullam tamen actionem conferunt, adeoque non niſi cauſæ *ſine quibus non*, id eſt, impropriè dictæ, dici debent. Aut notant aliquam προσκαιρίαν & *opportunitatem*, quæ in illis ſe oſtendat, quâ allicitur & impellitur efficiens ad agendum, & ſic *ad efficientem* minus principalem *impellentem* ſpectant. Adeo ut nullum horum, diſtinctum Genus cauſæ conſtituere poſſit.

34. Ab alterâ parte numerus cauſarum imminuendus videtur; ita quidem ut reducto fine ad efficientem impulſivam, materia & forma potius principia vel partes cauſati, quam ipſius cauſæ dicantur. Verùm finem quod attinet, licet nullum abſurdum ſequeretur, ſi ad efficientem reduceretur, quoniam tamen multum diſtinguitur actio illa obliqua deſiderii finis, ab actione directâ efficientis, commodius & conſuetudini & rationi ab efficiente diſtinguendus videtur. Materiam autem & formam ſi principia dicas & non cauſas, nimis anguſtè vocem cauſæ accipies, quam ut ea uſui familiaris ſit. De his tamen in-

ſra latius ſuis locis erit diſpiciendum. Et *hac de Cauſâ & Cauſato in genere.*

CAP. XX.

DE

Efficiente & Effectu.

1. ORdinem tractandi hæc quatuor genera cauſarum, alii alium faciunt; Convenientiſſimè videtur *initium ab efficiente* ſumi; *tum* quòd hæc inter reliquas cauſas prima extiterit; *tum* quod omni Enti conveniat; *tum* denique, quòd pluribus conveniat ab efficiente conſtitui, quam à materiâ & forma. *Conſideranda* igitur hæc *primò*, *quoad nomen*; *ſecundò quoad rem.*

2. *Nomen ab efficiendo* habet, quod eſt, quaſi exiſtere facere, quoniam hæc cauſa potiſſimum ſuâ actione exiſtentiam cauſati conſtituit: Aliis efficere videtur dici, quaſi extra ſe facere, ut ita ſaltem conveniat cauſæ tranſeunti, ac effectum extra ſe producenti palpabilem & ſenſibilem, ut ajunt: Sed nimis anguſta erit Etymologia, utpote omni cauſæ efficienti non conveniens.

3. *Ambiguitate caret*, quod mireris, niſi fortean anguſtam illam ſignificationem, ab anguſtiori illâ etymologiâ petitam, ipſi

ipſi tribuendam cenſeas, quæ & fundamento, & authoritate, quantum perſpicere potui, caret.

4. Dicitur *aliter Cauſa agens*, eò quod ſola inter reliquas directâ actione Phyſicâ cauſatum conſtituat; item *ſimpliciter cauſa* idque κατ' ἐξοχὴν, quod præſtantiſſima inter reliquas ut cauſa; imò quod reliquæ omnes in tantùm ſint cauſæ, quâtenus aliquid, plus minus, de ipſius cauſalitate participent.

5. In *re ipſâ* videndum 1. *Quid* ſit? 2. Quænam ejus *Proprietates*? 3. Quæ *differentiæ*? 4. Quodnam ejus *correlatum*?

6. I. Eſt autem efficiens, *cauſa externa à cujus actione directâ reali dependet cauſatum*; Vbi præter genus, de quo nullum dubium eſt, notari debet ejus *differentia*, *partim* ex ipſius *cauſalitate*, *partim* ex *formulâ* & particulâ, quâ ea profertur æſtimanda. *Cauſalitas* ejus eſt, *actio directa ac realis*, qualis eſt illa, quæ in exercitio virtutis, ſive potentiæ activæ, conſiſtit; Unde quoque potiſſima ipſius axiomata ex illâ virtute fundamentum haurire debent. *Particula*, quâ illa cauſalitas explicatur eſt præpoſitio *à* vel *ab*, variis quidem modis acceptâ, propriiſſimè tamen, prout in patiente denotat receptionem exercitii virtutis activæ; quomodo & hic ſumitur; adeò ut cauſatum eſſe à cauſa efficiente,

nihil aliud ſit, quam cauſatum paſſum eſſe, hoc eſt recepiſſe exercitium potentiæ activæ efficientis, quâ ipſum conſtitutum eſt.

7. II. Proprietates, ſive *axiomata*, ut dictum, potiſſimum à conditione potentiæ activæ deſumuntur, ſuntque potiſſimum, quæ ſequuntur. 1. *Nulla efficiens agit ultra ſuum poſſe*; Quia non agit niſi per virtutem ſuam, quæ eſt ipſummet poſſe. 2. *Qualis efficiens, talis ejus actio*; Ratio eſt, quia talis eſt efficiens, qualis eſt virtus ejus; At qualis virtus talis actio. Hinc igitur, ſi efficiens neceſſaria, actio eſt neceſſaria; ſi libera, actio libera; ſi infinita, actio infinita, &c. 3. *Nulla efficiens agit in diſtans*; ſive omnis efficiens actionem ſuam cauſato debet applicare. Ratio eſt, quia nulla virtus agit in diſtans, hoc eſt ultra ſphæram activitatis ſuæ; intra quam ſi aliquid ſit, id non diſtare, ſed adſtare dicitur. 4. *Poſitâ efficiente, ponitur virtus*; Quia hæc fundamentum eſt ejus cauſalitatis, ſive eſt ipſa efficientia. Hinc poſito movente, ponitur virtus movendi. 5. *Auctâ virtute, potentior eſt efficiens*: Et contrà; *diminutâ virtute, debilior fit efficiens.* Aucto enim vel diminuto eo, per quod efficiens eſt efficiens, etiam major vel minor fit ejus efficientia & actio.

8. *Differentiæ* cauſæ efficientis, *variæ* ſunt,

ſunt, ac variis paſſim diſtinctionibus proponuntur, quæ *ex tribus* illis *affectionibus* deſumuntur, & quidem 1. Ab *ordine*. 2. *A modo*. 3. *A gradu*.

9. *Ordo* vel *efficientium inter ſe* eſt, vel *communis ad effectum*; Et *ille* vel *Subordinatio*, vel *Coordinatio*, ut ſuprà in genere notatum.

10. I. *A ſubordinatione* efficiens vel *Prima* eſt vel *Secunda*: *Illa* eſt, quæ non pendet à priori, ſed à quâ reliquæ ſecundæ pendent; *Hæc* verò, quæ à priori dependet. *Prima* autem vel *abſolutè talis*, quæ à nulla prorſus alia pendet, ut *Deus Opt. max.* vel *in ſuo genere*, quæ in certo ordine primitatem obtinet, ut in naturalibus, *natura*, licet abſolutè ab aliâ adhuc dependeat.

11. Quoniam igitur inter efficientem primam & ſecundam intercedit dependentia & ſubordinatio, omnes quoque generales proprietates, ſuprà ſubordinationi tributæ, inter Deum, tanquam cauſam primam, omneſque creaturas, ut cauſas ſecundas, intercedere debent; adeò ut Deus infinities potentior ſit cauſa, utpote potentiſſima, quam eſt aliqua Creaturarum; Et ut ſit cauſa omnium cauſarum inferiorum, eaſdem non tantum ut ſint, producendo, & ut permaneant, conſervando, ſed & cum iis ad omnes earum actiones, etiam in ſpecie

& individuo concurrendo, eaſque ad agendum determinando. Quoniam enim omnis cauſa inferior &. ſecunda in fieri à Deo dependet, dependebit quoque ab ipſo in eſſe; adeo ut ſubtracto illo influxu conſervationis divinæ, confeſtim ad non eſſe ſit relapſura, neque ad minutiam horæ ſeſe conſervare poſſit (nam alias per parem ſui potentiam ſeſe in æternum poſſet conſervare:) Et prout in fiendo & eſſendo dependet, ita etiam in operando; cum impoſſibile ſit id operari à ſe, quod & fit & eſt per participationem ac dependentiam; In dependenti enim conſtitutione & eſſentia, omnia ſunt dependentia.

12. Et quoniam omnis cauſa ſecunda finita eſt ac dependens, nulla quoque talis cauſa eſſe poteſt, eorum quæ infinitâ actione ad ſui productionem opus habent; Qualis enim virtus, talis & actio, & talis cauſa: At impoſſibile eſt, ut ſit in finito virtus infinita; cum in finito omnia ſint finita. Sed de his latius dicendum, Tractatu III.

13. II. A *coordinatione* efficiens eſt, vel totalis, ſive ſolitaria, à quâ ſolâ in ſuo ordine & ſpecie totum effectum dependet; vel *partialis* ſive ſocia, quæ cum aliis ejuſdem ordinis, ejuſdemque ſpeciei efficientibus junctim effectum producit, adeò ut unicuique iſtarum pars ſaltem effectûs debea-

beatur, non totum, quod effectui ineſt. Ex quibus *colligi* poteſt, eſſe 1. *Perfectius eſſe cauſam totalem, quam partialem.* 2. *Deum non poſſe eſſe cauſam partialem*, utpote à quo omnis imperfectio removenda; cum & ſic aliquid eſſet, à Deo non dependens. 3. *Creaturam quidem cum creaturâ*, ſi in eodem ordine eâdemque ſpecie ſit, *poſſe eſſe cauſam partialem, nunquam verò cum Deo*; Quoniam partialitas locum habet inter coordinatas, non autem ſubordinatas cauſas. 4. *Poſſe quidem plures cauſas principales & totales ad idem numero effectum concurrere, ſi ſint ſubordinatæ: non verò ſi ſint coordinatæ*, nam ſic partiales fiunt.

14. III. Ab *ordine ad effectum*, efficiens eſt vel *remota* vel *proxima*. *Illa* eſt, à quâ intercedente aliâ cauſâ ejuſdem ſpeciei dependet effectum. *Hæc* verò, à quâ nullâ aliâ ejuſdem ſpeciei intercedente effectum dependet. Unde *colligi* poteſt 1. *In omni effectu efficientem proximam requiri*: Quia aliqua eſſe debet, quæ nullam intercedentem ejusdem ſpeciei admittit. 2. *Poſſe quidem alterius ſpeciei cauſas intercedere*, inſtrumentales videlicet & inſervientes, *ut tamen maneat cauſa proxima*; Ita v. gr. Scriptor ſuæ ſcripturæ cauſa eſt proxima, licet calamus ut inſtrumentum intercedat.

15. IV. A *modo* variè dividitur efficiens;

Et quidem *primò* prout ſe habet in effectu, quod ſit vel *Procreans* vel *Conſervans*. *Illa* eſt, quæ effectui dat fieri & initium τȣ̃ εἶναι. *Hæc* verò, à quâ in eſſe continuatur. *Hæc* diviſio *non* ab omnibus *æquè æſtimatur*; *alii* quippe omnem cauſam procreantem exiſtimantes, *conſervantem eliminant*; *alii corrumpentem* ſive deſtruentem præterea *addunt*: *Alii* utramque quidem admittunt, ſed *conſervantem* in eo collocant, *quod* ea *non deſtruat* effectum. Sed ubique ſecus ac fert veritas. Nam 1. *Conſervans* cauſa verè agendo effectum conſtituit, dum illum in eſſe continuat, eâdem videlicet actione, aut homogeneâ, quâ erat primò productus. Dixi *eâdem actione*, quemadmodum Deus eâdem actione, id eſt continuatâ creatione, creaturam conſervat; vel *homogeneâ*, quemadmodum parentes ſuos conſervant liberos, eos ſuſtentando, eiſque de victu & amictu proſpiciendo. 2. *Corrumpens* cauſa, ſi referatur ad corruptum, eſt deficiens, & opus non habet actione poſitivâ: at ſi ad id quod ad corruptionem illam ſequitur, reverâ eſt procreans. Ex. gr. Qui deſtruit ædificium, ratione ædificii nihil poſitivè agit, at ſi referatur ad id, quod poſt deſtructionem illam ſequitur (v. gr. ad acervum lapidum, ſtruem lignorum ac luderum) ejus omninò eſt cauſa efficiens &

qui-

quidem procreans. 3. Cum omnis efficientis ſit poſitivè ac realiter agere; etiam id conſervanti convenit; Quare ſi quod dicatur rem conſervare, eô quòd non deſtruat, cùm deſtruere poſſet, & nihil præterea conferat, immeritò cauſa *conſervans* dicitur; Quemadmodum immeritò, quis dicitur conſervare arborem, cujus exſcindendæ poteſtatem habet, ſi illam non amputet.

16. *Secundò à modo* dividitur efficiens in *emanativam* & *activam*. *Illa* dicitur quæ ſuâ præſentiâ, citra intercedentem actionem producit effectum: *Hæc* verò, quæ intercedente actione eum producit. Sed cum omnis efficiens intercedente actione, tamquam cauſalitate ſuâ, ſine quâ eſſe nequit, effectum producat, illa quæ *emanativa* dicitur, *admittenda* inter cauſas efficientes *non videtur*; Neque aliquod commodum ipſius exemplum proferri poteſt; Vt plurimum enim ſunt ſubjecta ratione propriorum accidentium, neque hactenus aliud ſeſe mihi obtulit. Quare etiam ſupra emanationem ſpeciem dependentiæ ſubjectivæ feci.

17. *Tertiò à modò* dividitur efficiens in *immanentem* & *tranſeuntem*. *Prior* eſt, quæ producit effectum in ſe: *Poſterior*, quæ producit extra ſe: Diviſio ex terminis nota; *Dubium* tamen eſt 1. *Annon* cum reci-

recipere ſit pati, *cauſa immanens ſit patiens?* *Reſp.* Eſt quidem, ſed non quâ cauſa effectum producens, ſed quâ ſubjectum, effectum recipiens; nec implicat, idem diverſo reſpectu ejuſdem eſſe cauſam & ſubjectum; Quemadmodum mens cogitat, & cogitationes, quas format, in ſe recipit. 2. *An cauſæ tranſeuntis effectum*, ut extra ipſam eſt, *ſemper ſit permanens?* *Reſp.* Non ſemper hoc requiritur; quoniam ſufficit, ſi extra ipſam ſit, dum producitur; Ita ſonus à tranſeunte fit cauſa, non tamen perennis eſt.

18. *Quartò à modo* efficiens vel *neceſſaria* eſt, vel *libera*. *Illa* eſt, quæ ad unum oppoſitorum determinata, eodem modo agit quando & quantum poteſt. *Hæc* verò, quæ ad oppoſita indifferens, agit, quando, quantum & quomodo lubet. Ex quibus *patet* 1. *Cauſam neceſſariam ex ſe determinatam eſſe* ad agendum; Quare & agit præſente objecto. 2. Illam *ſemper agere* ex ſe objecto præſente. 3. *Nec poſſe differre actionem*; Quoniam determinata eſt in ſe. 4. *Agere ad extremum virium*, id eſt, quantum poteſt 5. *Agere ſemper eodem modo*. *Tales* igitur cauſæ ſunt *omnes*, quæ puræ *naturales* ſunt, neque aliquem delectum in agendo, ob defectum rationis habent; Quare etiam aliis dignitate multum cedunt.

19. At *liberá* cauſæ longè potiores ſunt partes; utpote quæ 1. *indifferens eſt ad varias actiones & effecta*, nec determinata ex ſe ad hoc vel illud oppoſitorum. 2. *Agit quando lubet*. 3. *Quantum lubet*. 4. *Quomodo lubet*, idque omninò *præeunte* mentis *judicio & conſentiente voluntate*: Adeoque *voluntaria* eſt.

20. Cum igitur voluntariè agentia cauſæ efficientes liberæ dicantur; Et voluntas eſſe non poſſit, niſi ubi ſit & intellectus, ſequitur omnes efficientes *liberas* ſimul eſſe *intelligentes*; neque ullam aliam eſſe poſſe. Cum igitur inter Entia, Deus, Angeli & homines intelligant; Illi tantum liberè agentes dici debent.

21. *Conſiſtit* autem *libertas* 1. in *indifferentiâ* & indeterminatione, quâ agens ex ſe, id eſt in ſenſu diviſo, indifferens eſt ad agendum vel non agendum, & ad agendum hoc vel aliud. 2. in *lubentiâ* quâdam, quâ agens ſecundum electionem agit, vel non agit, & hoc vel aliud agit. *Electio* autem illa *ex intellectu* oritur, ejusque ſpontaneitate, quare eousque ſe extendit cauſæ liberæ libertas, quousque ſpontaneitas illa, quæ non æquales in quocunque intellectu habet terminos; prout nec ſemper in eodem intellectu in quocunque ſtatu æquales obtinet. Quare longè, imò infinities *major Dei* eſt libertas, quam Ange-

gelorum ac hominum; Et longe major hominum in ſtatu integritatis, quam in ſtatu hoc corrupto. Sed de hoc negotio plenius in *exercitationibus Metaphyſ.* dicam; interim confer *Clariſſ. Heereboord Volum.* 1. *Diſp.* 46. & 47. & *V.* 2. *diſp.* 14.

22. *Quintò* à *modo*, efficiens eſt vel *univoca*, vel *æquivoca*: *Vnivoca* dicitur, cujus effectus *ejusdem* ſecum *ſpeciei* eſt; Quare etiam cauſa generans dicitur, quoniam locum ſaltem habet in viventibus, ſibi ſimile quoad ſpeciem generantibus. *Æquivoca* eſt, cum effectus *ſpecie diſtat* ab ipſa; ac locum habet in omnibus reliquis cauſis; Dicitur hæc etiam virtualis, quia procedit à virtute quâdam activâ, & non à formâ viventis.

23. *Sextò* efficiens eſt vel *per ſe*, vel *per accidens*. *Prior* eſt, quæ producit effectum, ad quem vel naturâ vel intentione *ordinata* eſt; *Poſterior* verò, quæ effectum producit, ad quem vel naturâ vel intentione *non* erat *ordinata*. Si *naturâ non* ſit *ordinata*, dicitur efficiens *caſualis*, ut lapis decidens hominem prætereuntem ferit. Sin *intentione non* ſit *deſtinata*, dicitur *fortuita*, ut fodiens vineam repperit Theſaurum.

24. Sed dubium eſt 1. *An detur effectum per accidens?* *Reſp.* Non datur *abſolutè* loquendo adeò ut præter omnem naturam vel intentionem aliquid evenire poſſit; ratione

tione Dei enim, ut cauſæ primæ, omnia ex intentione agunt: *Sed comparatè*, ad cauſam aliquam ſecundam, quâtenus ipſa naturalis ipſius ordinatio, aut prima intentio effectui non reſpondet; Cum tamen in executione ille effectus etiam à cauſâ per ſe dependeat, quâtenus cum circumſtantiis ſuis ſpectatur, ſine quibus dicitur efficiens per accidens. Ita lapis decidens illo tempore & loco, quo ibi eſt homo, neceſſariò illum ferit; per accidens autem, ratione caſus, abſque circumſtantiis conſiderati.

25. 2. Dubium eſt, *an etiam efficiens per accidens cauſis efficientibus annumerandus ſit? Reſp.* omninò; Quia verè facit, efficit, ac producit effectum. Sed *dices*, ſic Deus cum ſit cauſa per accidens peccati, etiam erit efficiens ejuſdem. *Reſp.* Negatur Antecedens; Deus enim nullâtenus eſt peccati cauſa, nequidem per accidens; nullo enim modo illud producit aut efficit; Et ſi produceret per accidens, etiam præter intentionem produceret, quod ipſius infinitæ ſapientiæ repugnat.

26. V. *A gradu virtutis*, efficiens eſt vel *Principalis*, vel *minus principalis*: *Illa* eſt, à quâ dependet effectus *propriâ ac* per ſe *efficaci* in ſuo ordine *virtute*. *Hæc* verò cujus virtus in producendo effectu *per ſe efficax ac proportionata* non eſt. *Principalis* igi-

igitur citra minus principales effectum producere poteſt, ut Deus mundum creavit: At neutiquam minus principalis ſine principali; Negatâ enim ſufficiente virtute, negatur actio:. Et negatâ actione ſufficiente, negatur effectus.

27. *Minus principalis* cauſa vel *impellens* eſt, vel *inſerviens*. *Impellens* eſt, quæ ſuâ *virtute*, ad effectum producendum inſufficiente, *incitat* principalem efficientem ad agendum. Eſtque *interna* in ipſa principali conſtituta; & *externa* extra ipſam conſtituta. *Prior* etiam προηγούμενον dicitur, & *poſterior* προκαταρκτικὴ; Sed *minus commodè*; niſi aliter hic termini accipiantur, ac à Medicis (apud quos utraque hæc principalis eſt cauſa) & ipſa vocum ſignificatio præ ſe fert. Non enim omnis interna impellens προηγουμένη & antegrediens eſt. Nec externa ſemper προκαταρκτικὴ & præincipiens. Ita convitium datum antegrediens eſt, & tamen externa; ira autem, ex convitio orta, interna eſt, & tamen præincipiens vindictæ inferendæ: In nonullis tamen exemplis retineri poſſe videntur appellationes illæ Medicæ, Vid. *Strigel. in Dialect. Melanth. lib.* 4. *pag. m.* 1000. *Ad internam* impellentem referuntur *habitus*, *paſſiones*, *inclinationes*, *temperamenta* &c. *Ad externam occaſiones loci & temporis*, *exempla*, *hortationes*, *minæ* &c.

28.

28. *Inſerviens* cauſa eſt, *quæ* virtute ſua inſufficiente principali ipſam elevanti, ac applicanti, *inſervit: Diciturque inſtrumentum*; Cujus differentiæ ſunt 1. Quòd ſit vel *Activum* vel *Paſſivum*: *Activum* eſt, quod inſitâ virtute *ſimul ſe movet*: *Paſſivum* verò, quod *à principali* tantum *movetur*. Ita activum inſtrumentum eſt manus ſcripturæ, paſſivum verò calamus. Sed dum paſſivum dicitur, id intelligi debet non abſolutè, ac ſi nihil conferat actionis: ſic enim efficiens non eſſet, ſed comparatè, quâtenus actionem ſuam non edit, niſi motum ab alio. 2. Quod ſit vel *conjunctum* vel *ſeparatum*. *Illud* eſt, quod principali *unitum* eſt: *Hoc* verò quod *non* eſt *unitum*; Quæ unio ratione ſuppoſiti potiſſimum eſt intelligenda: Virtualis enim unio in omnibus eſt cauſis; multò magis in inſtrumento & principali, ipſius inſtrumenti virtutem movente, dirigente ac adjuvante. Nec Politica exempla, quæ afferri poſſent de Legato vel Vicerege &c. probant, inſtrumentum ratione virtutis ſeparatum eſſe. Nam & virtus illa politica eſt, quam confert Dominus & Princeps ſuis inſtrumentis, etiam extra ſubjectum, cum in nudo conſenſu conſiſtat. *Conjunctum* inſtrumentum *pleramque eſt pars* efficientis, unde etiam ſemper activum eſt: In naturalibus omnia ſeparata paſ-

paſſiva ſunt: In Politicis, autem activa. 3. Quod ſit vel *animatum*, vel *inanimatum*. Illud eſt, quod animam & principium motus in ſe habet; adeoque idem quod activum, & vel conjunctum eſt, vel in Politicis tantum ſeparatum; in naturalibus quippe nullum animatum inſtrumentum ſeparatum eſt. Hoc verò motum ab alio habet, adeoque paſſivum eſt. 4. Quod ſit vel *neceſſarium*, *ſine quo* efficiens *non* poteſt agere; vel *arbitrarium*, *ſine quo non* poteſt *æquè* commodè agere.

29. *Correlatum* efficientis dicitur *effectum*, idque potiſſimum ratione principalis; nam ratione impulſivæ internæ ſcopus, & optatum quoque dici poteſt. Eſt autem, *effectum*; *quod ab efficiente dependet*; Dependet autem variis modis, prout inſignis diverſitas eſt cauſarum efficientium; Quæ tamen in effectu ex ipſis cauſis æſtimari poteſt. Et *hæc de Efficiente & Effectu*.

CAP. XXI.

DE

Fine & Medio.

1. *ALtera* cauſa *externa finis* eſt, qui efficientem ſequitur, non tantum, quod externa ſit cauſa, ſed potius, quòd & omni Enti conveniat ſuo modo finem eſſe, &

& omnia finis alicujus gratia ſint condita; Adeo ut & materia & forma propter finem ſint.

2. *Nomen* ipſi *à fiendo* tribuitur: quòd omnia alicujus finis gratiâ fiant. *Sumitur* autem vel *pro* extremo rei cujuſcunque *termino*, prout ſuprà notatum eſt, vel *pro uſu* rei, ut finis calcei eſt munire pedem; vel *pro objecto*, cui iſte uſus applicatur, diciturque finis cui; vel *pro* ipſo *opere* intento, ita finis in executione ipſum eſt effectum, ſeu opus; vel *pro eo, quod* in intentione eſt efficientis, eamque ſuâ appetibilitate ad agendum *incitat*. *Quâ* acceptione *hîc* potiſſimum conſiderandus eſt; in reliquis enim vel nullam exercet cauſalitatem, vel ſaltem aliquid ad hanc ſignificationem ex parte ſpectans obtinet.

3. Verùm nondum ſuperata omnis difficultas, nondum quippe conſtat, quid ſit illud, quod dictam illam incitationem ſuâ appetibilitate inſtituit; Quô ut perveniam, diſtinctè *inquirendum*. 1. *An finis ſit cauſa?* 2. *An ſit cauſa diſtincta ab efficiente?* 3. *Quænam ipſius cauſalitas?* 4. *Quod ſit illud, quod illam cauſalitatem exercet?*

4. I. *An finis cauſa ſit*, affirmare non detrectandum; Cum enim 1. vî deſiderii ac appetitûs ipſam efficientem impellat, ac obliquè per illam effectum conſtituat; & 2. media à quibus cauſatum dependet, à

ſe

ſe dependentia habeat, utique cauſa eſſe debet; facit quippe ut media ſint media, hoc eſt ut reverà ipſum cauſatum producant; At quid hoc aliud eſt, quam actione conſtituente, licet indirectâ, cauſatum cauſari?

5. *Objic.* 1. Finis cauſalitas eſt motio Metaphorica; Atqui omne Metaphoricûm impropriè dictum eſt: Erit ergo cauſa impropriè dicta. *Reſp.* Dicitur motio Metaphorica, non quod propriè non ſit motio; nam & impulſio vera eſt actio & motio, ſed quod ſit indirecta & obliqua, per lineam rectam ad cauſatum non tranſiens. Neque aliud intellexit *Philoſophus*, dum 1. *Gen.* & *Corr. cap.* 7. dixit, finem non eſſe ποιητικὸν εἰ μὴ κατὰ μεταφοράν.

6. *Objic.* 2. Nec in intentione eſt cauſa, quoniam eo ſæpe fruſtramur; neque omnia agentia illum intendere poſſunt; neque ſic eſt aliquid reale, aut actuale, cum omnis cauſa, ut rei eſt & actu agere debet, realem ac actualem requirat præſentiam; Et impoſſibile ſit aliquid reale, ab eo quod rationis & intentionis eſt, prodire, quoniam cauſatum toto genere dignius eſſet cauſâ. Neque in executione, quia eſt ipſum effectum, quod finitâ cauſatione demum exiſtit; Cum verò cauſa eſſe debet, dum fit cauſatio, nihil enim agit, dum nondum eſt: Etiam finis deberet

beret eſſe, dum ſit cauſatio. *Reſp.* Eſt cauſa in intentione; Licet verò uſu ſæpe fruſtremur, non tollit hoc actionem & cauſalitatem finis, ſed impotentiam noſtram arguit, ac defectum mediorum; Quo caſu præſtat, quod poteſt. Nec requiritur, ut omnia agentia illum intendant, ſatis enim eſt, ſi ob intentum finem, vel à ſe vel ab alio, cujus vî cauſæ ſunt, agant. Et falſum eſt, quod non ſit aliquid reale & actuale; non enim omne quod in intellectu eſt, ſtatim eſt Ens rationis, niſi objectivè inſit, ut ſuperiori tractatu oſtenſum eſt: At finis, qui cauſa eſt, non ineſt objectivè, ſed ille tantum qui in executione erit, utpote qui eſt ipſum effectum. Verum quidem eſt, cauſatum, ut eſt in ſe Ens, ſuperare dignitatem finis, quia illud non à ſolo fine dependet, ſed etiam à reliquis ſuis cauſis: At axioma loquitur ſaltem de totâ συμπλοκῇ & complexione omnium cauſarum, non de hac & illâ ſeorſim; niſi etiam cauſatum conſideretur, ſecundum illam rationem, quâ præciſè ab illâ cauſâ dependet; Atque ita cauſatum, prout finitum & à fine dependens eſt, etiam finis dignitatem non ſuperat. Manet igitur inter Cauſas jure merito finis.

7.II. Sed, *an diſtincta ſit ab illâ cauſâ* quam efficientem impellentem ſuperiori

capite diximus, olim fuit dubitatum; & nunc varii dubitant. Et licet non multum referre videatur, probabilius tamen eſt, eum toto genere ab efficiente impulſivâ diſtingui; Nam nec externa eſſe poteſt, nec interna; non externa impellens, quia illa extra efficientem eſt conſtituta: at finis eſt in ipſâ. Non interna, quia longè alio modo incitat, ac illa impulſiva: Finis quippe 1. ſui amore ac deſiderio movet: at interna efficiens ſuâ præſentiâ ſaltem diſponendo incitat. 2. Deſiderium finis fluit ab ejus cognitione: At interna impellens nullam præſupponit cognitionem. 3. Finis impellit ad ſui acquiſitionem: At altera illa ad alterius toto genere & formâ ab ipſo diverſi. 4. Finis ex impellente ſæpe oritur; At nunquam ex fine impellens. Quæ differentiæ in quocunque exemplo manifeſtæ ſunt, ita ex. grat. Avarus, avaritiâ, tanquam cauſâ impellente incitatus, acquiſitionem bonorum ac divitiarum appetit; Ubi avaritia intrinſecè ipſum diſponendo impellit: At cognitio utilitatis divitiarum ipſum amore ac deſiderio earum acquirendarum, ut cauſa finalis incitat. Avaritiæ cognitio nihil hic præſtat: At cognitio finis ſui deſiderium excitat. Avaritia ad avaritiam non impellit: Sed poſſeſſio bonorum cognita ad poſſeſſionem bonorum invitat. Ex avari-

tiâ

tiâ oritur poſſeſſionis cognitæ deſiderium: at ex deſiderio ac amore illo non fit avaritia.

8. Quare mirari non deſino, *Clariſſ. Voet, Philoſ. Prim. reform. cap.* 20. *ſect.* 4. tam facilem commiſiſſe à conſvetâ viâ receſſum, ſecus ac hypotheſes ejus, quas defenſioni formarum ſubſtantialium, *ſect.* 3. præmiſerat, ferre valent: *Dicit primò* finem non aliter eſſe cauſam, quam ſi cum cauſâ procatarcticâ aut proëgumenâ confundatur: quia alias concipietur eſſe in ideâ. *Reſp.* Minor falſa eſt; neque aliter concipitur eſſe in ideâ, ſed vel ipſa eſt idea, ut pote quia eſt ipſa cognitio objecti deſiderati; quæ utique verè eſt. 2. Et quid obſtaret, ſi dicatur eſſe in ideâ, ſive in intentione, id enim potiſſimum de objecto ipſius finis, quod demum erit cauſatum intelligi debet, non autem de ipſâ cauſa finali. *Dicit ſecundò*: non eſſe excogitabilem ullam realem cauſalitatem, aut modum cauſalitatis (videlicet externæ) diſtinctum à cauſalitate cauſæ efficientis. *Reſp.* Ea jam data eſt: quod ſit actio obliqua, cum Efficientis ſit actio directa; Quæ actio obliqua & realis eſt cauſalitas, ac ſatis à cauſalitate efficientis diſtincta. *Dicet*: Etiam cauſa impulſiva obliquè agit; prius in efficientem principalem, ac per illam in effectum. *Reſp.* Quin potius di-

directè agit in ipſum effectum cauſa impulſiva; Quod ut capi poſſit, notandum eſt, illam valdè remotam eſſe cauſam, adeò ut & finis ſæpè ab eâ ortum habeat; At remotæ cauſæ etiam directè agunt, licet in proximas prius agant, quoniam quod illæ agunt, rectâ quaſi lineâ ad effectum per alias cauſas tranſit, quia videlicet ipſarum cauſatum formale eſt, aliquid directè ad cauſatum materiale pertinens. Ita coquus coctionis cibi eſt efficiens remota, & tamen directè dicitur cibum coquere, licet ipſum ignem applicatione cibi, ut ſit cauſa, diſponat. Adeo ut ipſius effectum formale ſit; cibi ad ignem applicati cuſtodia, directè ad cibum coctum pertinens. Conſimiliter cauſatum formale cauſæ impulſivæ directè tendit ad effectum, licet ad hoc per alias cauſas tranſeat: Ita dum ſpes impunitatis furem ad furtum commovet, ejus cauſatum formale eſt, furtum clanculum à fure factum, directè ad ipſum furtum tendens. At formale cauſatum finalis cauſæ eſt medium ſive deſtinatum ad finem, ad quod directè tendit, & ſaltem per hoc obliquè ad effectum. Ex quibus colligi poteſt, finali cauſæ ſatis eſſe, ſi media quærat, ordinet & applicet: At hoc non ſufficit impulſivæ, utpote quæ etiam partem effecti conſtituit, licet minus principaliter.

Ma-

Manet igitur inſignis diſtantia inter cauſalitatem cauſæ finalis, & impellentis; Quæ magis patere poteſt, ſi unam eamdemque rem conſideremus, prout eſt vel impulſiva, vel finalis cauſa, de quo vide *Burgerſdic. l.* 1. *log. cap.* 18. *Theor.* 2. *com.* 1.

9. III. *Cauſalitas* igitur finis, ut ex dictis patet, *in actione obliquâ* conſiſtit; Quæ nihil aliud eſt, quam vî deſiderii ac appetitûs ſui objecti, quod eſt futurum effectum, movere efficientem, ad conquiſitionem mediorum, legitimâ quantitate, qualitate ac ordine conſtantium, eorumque applicationem; Ita cognitio conveniens judicata ſanitatis vim deſiderii excitat, eôque movet ægrum ad expetenda, conquirenda, ac applicanda debita medicamenta.

10. IV. *Quid verò ſit illud, quod illam cauſalitatem exercet*, patebit, ſi diſtingvamus, finem ab ipſâ finali cauſa. Finis quippe eſt vel ipſum effectum, vel ejus fruitio: At finalis cauſa eſt illa, quæ media ad effectum, ejuſque fruitionem inquirit, ordinat, ac applicat: Quare ipſe finis ita ſumtus non poteſt illam cauſalitatem exercere; Sed cauſa finalis; quæ itaque, nihil aliud eſt, quam *cognitio objecti, convenientis judicati, adeoque & deſiderati*; ubi 1. occurrit *objectum*, quod ratione finis eſt cauſa ſine quâ non; at ratione

efficientis ſæpe impulſiva. 2. *Cognitio* ejuſdem, primum gradum ad cauſam finalem ſternens. 3. *Iudicium* convenientiæ, cognitionem illam complens, adeoque ſecundum gradum conſtituens. 4. *Deſiderium*, latè videlicet dictum, quâtenus denotat voluntatem, (ab ultimo judicio intellectûs practici determinatam; Atque hoc eſt quaſi formalis ipſius finis ratio; Adeo ut vel ſolum pro finali cauſa haberi poſſit.

11. Quamvis autem deſiderium potiſſimum cauſalitatem finis exerceat, non tamen ab ipſo ejus æſtimatio deſumitur, ſed potius ab ejus objecto, utpote à quo originem & denominationem habet. Atque hinc factum eſt, ut omnia quæ de finali cauſa præcipiuntur, de ipſâ concretè cum ſuo objecto conſideratâ intelligenda veniant. Quare & eo modo noſtra conformanda eſt inſtitutio.

12. *Circa finem* igitur inquirendum. 1. *Quid ſit?* 2. *Quænam ejus axiomata & Proprietates?* 3. *Quænam differentiæ?* 4. *Quodnam ejus correlatum?*

13. I. Eſt autem *finis*, *cauſa externa actione indirectâ efficientem ad agendum incitans*. Quæ definitio, quoad omnes partes, ex antedictis manifeſta eſt. Dicitur etiam cauſa, cujus gratiâ, aut propter quam, res eſt; Quæ definitio non tam cauſæ

cauſæ finali, quam uſui ac utilitati convenit; Omnis enim res propter uſum ſuum fit. Retineri tamen poteſt, prout finem in concreto, id eſt cauſam finalem, ſimul cum objecto ſuo cognito, explicat.

14. II. *Axiomata* ex naturâ finis oriunda hæc potiſſimùm ſunt. 1. *Omnis finis habet rationem boni.* Ratio eſt, quia ex ejus cognitione, amor oritur, quo efficientem movet. Sed *dubitari* poteſt, *anne etiam malum poſſit induere rationem finis? Reſp.* Si *quâ tale* conſideretur *nunquam*; at ſi ſpeciem boni intellectui perperàm judicanti offerat, finis fieri poteſt. *Dices*: At multi ebrietatem malam judicant: At nihilominus Baccho dediti ſunt? *Reſp.* Judicant ebrietatem utilem eſſe, aut genio, aut naturæ ſuæ, licet eam moraliter malam exiſtiment; non enim voluntas, præſertim humana, bonum morale præ naturali, licet falſo, eligit. *Dices* 2. Multi quoque quæ naturaliter mala ac naturæ deſtructiva judicant, nihilominus proſequuntur, juxta illud *Medeæ*: *Video meliora proboque, deteriora ſequor. Reſp.* Judicant illa quidem mala eſſe abſolutè, & in theſi, at ſibi in hypotheſi ea utilia, aut ſaltem utiliora æſtimant; manet igitur aliqua in illis apparens bonitas.

15. 2. *Quô ſuperior eſt finis, eô melior.*

Ratio eſt, quia inferiores fines à ſuperioribus dependent, adeoque ab ipſo participatam habent bonitatem; Quemadmodum enim in ſubordinatione cauſarum efficientium ſuperior ſemper eſt potentior, ita in ſubordinatione finium ſuperior ſemper melior; quandoquidem vis ac cauſalitas finis ex illâ præſtantiâ oritur, prout efficientis à potentiâ activâ.

16. 3. *Finis* ſummus eſt *ſummum ac infinitum bonum*. Ratio ex antecedente patet; Nam quia ſummus eſt, nullus eo melior; & quia nulli alteri ſubordinatus, ideò omnibus bonitatem tribuit, utpote ab ipſo dependentibus. Ex quibus patet ſummum bonum eſſe Deum, ejusque, quantum à Creaturâ poſſibile, perfectiſſimam fruitionem; Adeòque hoc in hac vitâ nunquam perfectum, ſed ſaltem inchoatum eſt; ideoque mediis opus habet ex purâ naturâ non fluentibus, ſed ſpeciali Dei benedictione conceſſis. Conſimiliter hinc liquet omnium rerum finem eſſe Deum ejusque gloriam; Quoniam omnium rerum fines ſupremo fini ſubordinari debent.

17. 4. *Omnis actio fit propter finem*. Ratio eſt, quia omnis eſt propter Deum, utpote quæ etiam eſt ab ipſo. At nihil fieri poteſt à Deo, niſi propter ſeipſum; Præſtantiſſimum enim agens præſtantiſſimum ſibi finem proponit: Sed finis præſtan-

tiſ-

tiſſimus eſt infinitus; At nihil præter Deum infinitum eſt. Hinc fluit, Deum & Naturam nihil facere fruſtra.

18. 5. *Finis ponit mediis modum, menſuram ac ordinem:* Hoc eſt, tribuit ipſis *legitimam qualitatem, quantitatem ac ordinem.* Legitima *qualitas* conſiſtit *in bonitate* ac amabilitate, quam finis mediis conciliat: Ratione *bonitatis hoc* eſt effatum: *finis boni etiam media ſunt bona*, videlicet per ſe ad finem requiſita. Ratione *amabilitatis hoc: Qui vult finem, vult etiam media propter finem.* Vult videlicet, non quâdam velleitate ac languido appetitu, ſed ſeriô. Legitima *quantitas* mediorum eſt eorum debita *magnitudo* ac *numerus* conveniens; Quare finis omnem in mediis præcavet defectum vel exceſſum. Legitimus mediorum *ordo* conſiſtit *in debitâ* eorum *ſucceſſione*: Succedunt autem ſibi debitè, ſi quæ in intentione & appetitu erant priora, in executione & geneſi fiant poſteriora, & contrà; juxta regulam: *Quô finis prior in intentione, eô poſterior in executione.* Ratio principalis axiomatis eſt, quia finis eſt cauſa mediorum, quâtenus media ſunt: At ſine legitimo modo, ordine, debitaque menſura media non ſunt media.

19. III. *Differentiæ* finium variæ ſunt; Et quidem *primò*, vel *internus* eſt, vel *externus*. *Prior* eſt uſus rei, ex ipſius na-

turâ reſultans, qualis veſtimentorum eſt, tegere nuditatem corporis: *Externus*, qui ex re ab intendente externo elicitur, ut veſtimentorum eſt ornatus. Hæc diviſio omnibus reliquis præmitti debet, quia ſpeciales reliquæ denominationes, non ſemper ex rei naturâ, ſed & ab agente externo, ejusque intentione deſumuntur; neque ſemper conſpirant agens externum cum ſuâ intentione, & naturæ deſtinatio.

20. *Secundò*; *uterque finis*, tam internus, quam externus, eſt vel *principalis*, vel *minus principalis*. *Principalis internus* eſt, qui principaliter ex rei naturâ oritur; ſive ad quem res ſuâ naturâ quam maximè eſt ordinata; Qualis eſt Phyſicæ, rerum naturalium cognitio. *Minus principalis internus* eſt, qui vel ſimul cum principali adeſt, vel ex eo fluit, adeo ut præcipuè propter eum res non ſit, ut eſt Phyſicæ, Medica ſanitatis reſtitutio. *Externus principalis* eſt, qui præcipuè in operatione ab agente intenditur, ut ſi quis Phyſicam addiſcat, ut ſit promptior ac expeditior in medicinâ faciendâ: *Minus principalis* verò eſt, qui vel propter alium, vel ſaltem minus præcipuè ab agente intenditur, ut ratione prioris eſt Cognitio Phyſica, ratione ejus, qui illam propter uſum medicum ſibi acquirit. Ex quibus ſimul liquet, ſæpius diſſenſum eſſe inter internum finem ac externum.

21. *Tertiò* finis *ratione ſubordinationis* eſt vel *Proximus*, vel *Remotus*. *Ille* eſt, qui immediatè ex medio oritur: *Hic* verò, qui mediante fine propiore ex medio elicitur. Ita proximus finis Logicæ eſt dirigere mentem in rerum cognitione: Remotus autem ipſa rerum cognitio, quæ per directionem mentis habetur.

22. *Quartò*, eâdem ratione eſt vel *ultimus*, vel *intermedius*. *Ille* ad ulteriorem non refertur, ſive *abſolutè*, ut Deus ejusque gloria, ſive *in ſuo genere*, ut eſt pax belli. *Hic* verò ad ſuperiorem refertur, adeoque *ſubalternus* & *ſubordinatus* quoque dicitur, ad quem pertinent, omnes reliqui præter Deum fines.

23. *Quintò* eſt vel *totalis*, vel *partialis*. *Prior* eſt, qui totam rei utilitatem complectitur, ut eſt Logicæ diſputare, aut docere alios.

24. *Sextò* eſt vel *opus*, vel *operis fruitio*. *Prior* finis ipſum effectum, ac poſterioris medium eſt; adeoque hæc diviſio æquipollet fermè tertiæ; ita v. gr. Calceus eſt opus, finis propior; at munitio pedis, ejus fruitio, remotior eſt finis.

25. *Septimò* finis eſt vel *Cujus* vel *Cui*; *Prior* eſt quem efficiens aſſequi intendit, ſive ſit opus, ſive ejus fruitio, qualis eſt ſanitas Medici; ejus enim, conſequendæ gratiâ Medicus operatur. *Poſterior* verò eſt

illud objectum, cui opus vel uſus ejuſdem applicatur; ut v. gr. eſt ægrotus, cui Medicus ſanitatem reſtituere intendit. Eſtque hic *duplex indigentiæ* & *aſſimilationis*; *Ille* eſt, qui eo opere, ejusve uſu, ad ſui perfectionem indiget, ut ægrotus ſanitatis reſtituendæ, intellectus humanus, logicæ eum dirigentis, finis indigentiæ eſt. *Hic* verò eſt, quo opus habent media, ut in ſui operatione ipſi quadantenus aſſimilari queant; Eſtque Deus. Verum hæc diſtinctio nominis potius, quam rei eſt, ut ſuprà notatum.

16. IV. *Correlatum* finis eſt *Medium*, ita appellatum, quòd in medio finis & intendentis intercedat; aliter *deſtinatum* dicitur, quòd ad finem exequendum ordinatum ſit; Eſtque in ſe nihil aliud, quam cauſa efficiens, in quam directè actio finalis cauſæ tendit; Quare vel *neceſſarium* eſt, vel *arbitarium*: *Proximum* vel *Remotum*; *Principale* vel *inſerviens*; *ſolitarium* vel *ſocium*, prout conſimiles differentiæ ſunt cauſæ efficientis, ex quibus horum definitiones ſupplendæ. Et *hæc de fine* & *Medio*.

Cap.

CAP. XXII.
DE
Materiâ, Formâ & Compoſito.

1 CAuſæ *internæ* ſequuntur, *quæ* per ſuam conſtitutionem etiam *partes* cauſati *fiunt*. Suntque *materia* & *forma*; de quibus ordine.

2. *Materia* ſumitur vel *pro* eâ *re*, quæ materia à cauſalitate, quam exercet, denominatur; Atque ita Materia idem in naturalibus eſt, quod corpus, quoniam hoc ſolam cauſalitatem materiæ primæ in Phyſicis exercet; Vel *pro* ipſa *denominatione* à cauſalitate illâ deſumptâ; Quomodo iterum vel *analogicè* ſumitur, vel *propriè*. *Priori* modo, vel *pro ſubjecto*, ac dicitur *materia in quâ*, vel *pro objecto*, diciturque *materia circa quam*: *Poſteriori* verò, vel *ſtrictè pro* ſola *materia corporum* naturalium, & quidem in primis *pro primâ*, quæ & abſolutè corpus eſt. Vel *latè pro omni parte* collectivâ, ex quâ per modum collectionis etiam accidentariæ res componitur; vel *adæquatè pro* omni *eo*, *quod cauſalitatem materiæ exercet*, ſive in naturalibus, ſive in artificialibus, ſive in corporeis, ſive in iis, quæ ex intelligilibus partibus componuntur; Quomodo hic accipienda venit.

3. *In re* ipſa videndum 1. *Quid* ſit materia? 2. *Quænam* ejus *diverſitates*?

4. 1. Eſt autem *materia cauſa interna, ex cujus partium unione res eſt*, vel ex quâ res eſt. Materiam cauſam eſſe ſupra oſtenſum eſt; Et reverâ cum res materiata à materiâ dependeat; aut id fiet cauſativâ, aut ſubjectivâ dependentiâ. At non fit ultimâ hac; quoniam res materiata ipſi materiæ non inhæret, prout accidens ſuo ſubjecto. Dependebit igitur dependentiâ cauſativâ.

5. *Objic.* 1. Omnis cauſa actu influere, adeoque & ens actu eſſe debet: At materia non eſt Ens actu, quia eſt Ens in potentiâ; imò pura potentia. *Reſp.* Falſum eſt, materiam non eſſe Ens actu; habet enim ex ſe actum ac præſentiam ſuam citra formæ conſiderationem; Quando autem Ens in potentiâ aut pura potentia dicitur, hoc 1. intelligendum reſpectu corporis naturalis; *Philoſopho* enim, qui illam ita ſæpius appellavit, Ens in Phyſicis idem eſt, quod corpus naturale. 2. Hoc intelligendum de potentiâ ſubjectivâ, non objectivâ: At ſubjectiva potentia rem actu & abſolutè exiſtere præſupponit; eſt enim potentia ad reſpectum. Sed reſpectus ſemper abſolutum aliquod infert.

6. *Objic.* 2. Quod non agit, non eſt cauſa; At materia, quia eſt principium paſſivum ac receptivum, agere nequit.

Reſp.

Reſp. 1. Imò agit quoque, non quidem actione Phyſicâ, ſed latè dictâ, ut ſuprà dictum. 2. Dicitur principium paſſivum, ratione motûs, cujus non eſt cauſa, ſed ſubjectum tantum.

7. *Cauſalitas* Materiæ particulâ *ex* vulgò, nec præter rationem, exponitur. Ea autem *variis modis accipitur*; nam: 1. tribuitur cauſæ *efficienti*, ut ex convitio fit pugna; & *Mathæi*, *cap.* 1. *v.* 20, Chriſtus conceptus dicitur ex Spiritu S. 2. *Fini*, ut exinde operamur, id eſt illius finis gratiâ. 3. *Formæ*, ut ex animâ & corpore conſtat homo. 4. *Toti*, ut verſus recitare ex Æneiade. 5. *Antecedenti*, tam *negativo*, ut ex nihilo Deus creavit mundum; quam *poſitivo*, ut ex nocte fit dies, ex puero vir. 6. *Speciei*, ut homo eſt aliquid ex genere bipedum. 6. Propriè *Materiæ* tribuitur, ejusque habitudinem ad compoſitum denotat; quemadmodum verbum γίνεται cum præpoſitione ἐκ, ſignificat τὸ ὅθεν τῆς ὕλης, juxta *Scaligerum*. Atque hoc pacto, ex aliquo eſſe, nihil aliud eſt, quam partes ſuas conferre, ex quarum unione, per formam, fit compoſitum.

8. II. *Differentiæ variæ* ſunt, & quidem 1. Ratione *ordinis* dicitur vel *Prima* vel *ſecunda*. *Prima* eſt *informis*, id eſt, ſine aliquâ formâ conſiderata; Adeoque tantum eſt materia. *Secunda* verò, *quæ*

in

in ſuo eſſe aliquam *formam involvit*; adeoque non tantum eſt materia. Hæc diviſio, licet à variis variè impetita, ac explicata, retinenda tamen eſt; Non ut per materiam primam intelligamus, aut atomos, aut elementa, aut Chaos, aut ſimile aliquod jam formatum, ſed hoc, quod tantum eſt materia, hoc eſt partes unibiles habet, quale in corpore naturali eſt, corpus ſimpliciter dictum. Atque ita materia ſecunda, ex priori illa conſtituta per certam partium unionem, à formâ profectam, eſt, in quâ forma quædam ſimul adeſt, cum partibus jam unitis, ad aliam tamen formam ordinata; Adeoque nunquam eſt ſine primâ, & in reipſâ non magis ab ipſâ diſtinguitur, quam homo veſtibus indutus à nudo; differt tamen denominatione, à formâ, quam recipit, deſumtâ, ut & ordine.

9. 2. Ratione *ordinis ad materiatum*, eſt vel *remota*, vel *proxima*. *Illa* dicitur, *inter quam & materiatum alia* materia intercedit, ratione videlicet denominationis à formâ, ut Elementa ſunt corporis humani, Arbor Menſæ: At *proxima* eſt, *ex quâ* ſimul cum formâ eſt ipſum *materiatum*. Diciturque alias materia compoſitionis & in facto eſſe, quemadmodum prior Generationis & in fieri; Proxima igitur materia ſunt ipſiſſimæ partes quantitativæ & integrantes,

10. 3.

10. 3. Ratione *durationis* eſt, vel *permanens*, vel *tranſiens*; *Hæc* quæ *aliam denominationem* ac eſſentiam *habet* in & extra compoſitum, adeoque ſemper remota eſt, licet non omnis remota tranſiens ſit; Talis eſt ovum pulli, ſemen caninum canis. *Illa* verò eſt, quæ priorem eſſentiam ac *denominationem* in & extra materiatum *retinet*, qualis eſt lignum lecticæ, æs ſtatuæ.

11. 4. Ratione *coordinationis*, eſt vel *Totalis*, vel *Partialis*; *Illa* eſt *ex quâ omnes rei partes quantitativæ* ſunt deſumtæ, ut eſt ovum pulli, *hæc* verò, *ex quâ non omnes partes* ſunt deſumtæ, ut lapides ædificii. *Hæc* iterum vel eſt *æqualis*, quæ cum reliquis partibus eûmdem habet dignitatis gradum; vel *inæqualis*, quando à reliquis diverſum præſtantiæ gradum obtinet. Atque tum vel eſt *Principalis*, quæ in ſuperiori quodam præſtantiæ eſt gradu; vel *minus principalis*, quæ in inferiori gradu eſt. Sed de hâc differentiâ latius inter partes.

12. 5. Ratione *Entitatis materiati*, vel eſt *ſenſibilis*, quæ *corporum* eſt; adeoque vel *naturalis* eſt, ex quâ *per naturam* fit materiatum: vel *artificialis*, ex quâ *ars* opus ſuum producit. Vel eſt *intelligibilis*, ex quâ *res aliæ*, in quibus partes diſtinctæ annotantur, conſtant; Qualis ſunt literæ vocis, termini & propoſitiones ſyllogiſmi.

13. *Altera* Cauſa *interna*, *Forma* dicitur; fortean à *Græco* μορφὴ per metatheſin literarum φ & μ, & degenerationem τῦ φ Græcorum in F latinorum, qualis eſt in φήμη fama, & φαίνομαι, unde fit feneſtra; quoad cætera voces planè æquipollentes ſunt.

14. Sumitur autem *vox* formæ 1. *Pro* rei *eſſentiâ*. Atque ita æquipollent, *eſſentia*, *Forma*, *Natura* & *Quidditas*, ac unum & idem deſignant, aliquo tamen intercedente diſcrimine modali, vel reſpectivo: Dicitur quippe *eſſentia*, prout rem *conſtituit* in ſuo eſſe: *Forma*, prout per eam res *diſtinguitur*: *Natura* quâtenus *operationibus* ſuis edendis *idonea* eſt: *Quidditas* prout *definitione explicari* poteſt. 2. *Pro differentiâ*, prout compoſitio ex genere & differentiâ, dicitur eſſe ex materiâ & formâ logicâ. 3. Pro *Ente ſimplici*, propter aliquam analogiam; ita Deus forma puriſſima dicitur, idque non relativè, ac ſi aliquid informet, ſed abſolutè; quia Deus cum nullo alio inter inferiora majorem videtur habere convenientiam, quam cum formâ, ratione eſſentiæ immaterialis. 4. *Pro figurâ*, externâque lineamentorum corporis diſpoſitione, quomodo & μορφὴ apud Græcos idem denotat; quemadmodum *Chriſtus* duobus diſcipulis apparuiſſe dicitur, ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *Marc.* 16. 12.

Et

Et in monte Tabor μετεμορφώθη videlicet ἐπουσιωδῶς, ratione externæ figuræ, non οὐσιωδῶς & internè. 5. *Pro pulchritudine*, tanquam commendabili figurâ externâ, aggregatim cum debitâ magnitudine, legitimoque colore acceptâ. 6. *Pro externo motore*, quomodo intelligentiæ, orbium cœleſtium motrices, *Philoſopho* formæ dicuntur. 7. *Pro cauſâ internâ*, unionem partium materiæ præſtans, eâdemque ſeipſam cum materiâ uniente, quomodo hîc capi debet.

15. Atque in hac ſignificatione ratione officiorum *aliter* quandoque appellatur; Et quidem 1. εἶδος ſive *ſpecies*, vel quod ſpecioſa, pulchra, ac appetibilis ſit, præ materiâ; vel potius, quod per illam materia ad certam ſpeciem materiatorum pertineat, ad quam per ſe indifferens erat. 2. Λόγος τῆς οὐσίας, *ratio eſſentiæ* & quidditatis, quòd potiſſima pars ſit eſſentiæ, à quâ ejus ſpecificatio & denominatio dependet. 3. Ἐντελέχεια, *actus* & realis perfectionis poſſeſſio; quia ejus præſentiâ compoſitum actu ſuas perfectiones obtinere dicitur. 4. *Terminus*, vel ratione *generationis*, quam terminat, adeo ut introductâ formâ, ceſſet generatio; vel ratione *materiæ*, quam actuat ac determinat, non ut ſimpliciter ſit, ſed ut ſit in tali ſpecie. Vel ratione *accidentium*, quæ in ma-

materiâ determinat; prout ipſi certam quantitatem, figurationem; ac reliqua ex iis orta accidentia, tribuit.

16. Prolixior hæc nominis fuit conſideratio, quâ ut plurimum, ob formarum obſcuritatem, totus earum tractatus abſolvi-
; *Circa rem* ipſam tamen aliquid tentan-
.m eſt, ut explicetur 1. *Quid* ſit forma? 2. *Quænam* ejus *differentiæ*?

17. I. *Quid* ſit forma *dupliciter* enodandum, 1. Quid ſit in generali ſuâ notione, &, ut ajunt, *in actu ſignato*? 2. Quid ſit *in actu exercito*, ſeu quodnam ſit illud, cui illa notio convenit, quodque requiſita ad formam exequitur?

18. *Prius* abſolvitur partim *definitione*, partim *officiorum enumeratione*. *Definitur* forma *cauſa interna, per quam res eſt*. Quæ definitio ut capiatur, 1. Examinandum *Genus*, 2. *Differentia*.

19. *Genus* formæ eſt *cauſa*, quoniam ab ipſa dependet actione conſtituente cauſatum, ex materiâ & ipſâ conſtans; Agit quippe, dum immediatè partes materiæ, ſeque eodem actu cum illis unit. Sed *Objic.* 1. Omnis cauſa prior naturâ eſt cauſato: At forma ſimul cum ipſo; quoniam, ipſâ præſente, productio & cauſatio ceſſat. *Reſp.* Simul eſt forma tempore cum cauſato, ſed prior naturâ, vel illâ ſaltem ratione, ſi pars quod neutiquam negandum,

dum, ſit cauſati. 2. Verum eſt, præſente formâ ceſſare cauſationem, quia ipſius præſentia eſt intrinſeca partium unio, unde ipſa conſtitutio, nullo alio actu intercedente, ſequitur: Sed inde non ſequitur, ipſam naturâ priorem non eſſe; Cum & partes ſint priores naturâ ſuo toto, quæ tamen eâdem unione, quâ partes fiunt, & nullius alterius interventu, totum conſtituunt.

20. *Objic.* 2. Si forma ſit cauſa, vel erit materiæ, vel compoſiti; Sed non materiæ, quia ea ſaltem efficientem requirit, & prior eſt naturâ ſuâ formâ, utpote quam in ſuis partibus recipit; nec compoſiti; quia cauſa compoſiti eſt cauſa omnium ejus partium, (cum compoſitum nihil aliud ſit, quam ſuæ partes:) At in compoſito non eſt, niſi materia, cuius cauſa eſſe nequit, & forma, cujus quoque cauſa eſſe non poteſt, niſi ſui ipſius cauſa dicatur. *Reſp.* Eſt cauſa compoſiti, & per conſequens omnium ejus partium, ſed quâtenus partes ſunt, non quâtenus abſolutum eſſe habent; Eſt igitur cauſa materiæ, quâtenus pars eſt compoſiti, eſt quoque cauſa ſui ipſius, quâtenus ſeipſam partem facit. Dum enim partes materiæ unit, eâdemque actione ſeipſam materiæ jungens, compoſitum conſtituit, quid minus præſtat, quam ut & materiam & ſeipſam partem faciat?

faciat? Nec mirum hoc? Homo ſe ipſum partem Collegii, Civitatis facit, ſeipſum collegio aut civitati aſſociando.

21. *Objic.* 3. Si forma eſſet cauſa, ideo eſſet quia informaret: At cum non niſi materiam informet, idque non per modum cauſæ, ſed adjuncti, non poterit ullâtenus cauſa eſſe. *Reſp.* Omninò eſt cauſa, quia informat, & quidem materiam; Sed ipſam informando, licet ejus dicatur adjunctum, partes tamen ejus inter ſe, ac illas ſecum unit, adeòque illâ informatione compoſiti cauſa fit. Maneat igitur forma inter cauſas.

22. *Differentiæ* explicatio potiſſimum ex rectâ acceptione præpoſitionis *per* dependet, quæ cum ſit ambigua, paucis ejus ambiguitas diſcutienda. Notat autem 1. *Efficientem* quamcunque, ut per exercitationem acquiritur doctrina. 2. *Inſtrumentum*, ut ignis cibos coquit per calorem. 3. *Medium* quodcunque, ut cum dicimus, tranſire per ignem, demonſtrare per cauſas, genus, adjuncta. 4. *Subjectum*, ut corpus coloratum eſt per ſuperficiem. 5. *Perfectionem intrinſecam*; Quo pacto aliquid per hoc dicitur eſſe, quod ipſius partes uniendo ipſum intrinſecè conſtituit, ac abſolvit; nec non ad certam, ac determinatam ſpeciem reducit; Quomodo hic accipi debet. Adeo ut per formam ideo dicatur res eſſe, quòd hanc

hanc per unionem partium conſtituat, abſolvat, ac determinet, ipſiuſque adeo fiat pars eſſentialis, intimè partibus materiæ præſens.

23. *Officia* formæ, ut *varia* ſunt, ita ad *unum generale* reduci poſſunt, quod eſt *informare*: Hoc autem eſt partes informando permeare, ut ſit tota in toto informando & tota in quâcunque ejus parte; quoniam eo ipſo unionem partium præſtat: Atqui illa unio tota eſt in omnibus partibus, & tota in quacunque; quare vel una ſublata, unio tollitur; Eſt quippe reſpectus ad omnes partes pertinens. *Ex hac* autem informatione fluit. 1. Quod debeat *unire partes* materiæ, non extrinſecè, prout efficiens unit partes, ſed *intrinſecè*, ut ipſis intimè & ſit & maneat præſens. 2. Quod *ſe ipſam* debeat *unire* iſtis *partibus*, eâdem intrinſecâ unione, quâ partes facit partes, & has ſimul ſecum partes conſtituit eſſentiales ipſius compoſiti. 3. Quod debeat *conſtituere compoſitum*: Conſimiliter intrinſecè, adeò ut ipſius pars ſit. 4. Quod debeat compoſito *ſpeciem tribuere*, prout aliam atque aliam unionem præſtat. 5. Quod debeat *compoſitum diſtinguere ab* omnibus aliis; quia ejus ſaltem partes unit, non alterius. 5. Quod debeat ipſi compoſito tribuere, omnes ad ipſum pertinentes *perfectio-*

fectiones, tam primas, in potentiis conſtitutas, quam ſecundas, operationibus debitis abſolvendas.

24. 2. *Quid* autem illud ſit, quod dictam definitionem recipiat, ac enumerata officia præſtet *in excercitio*, dudum multorum fatigavit animos & calamos. Vix tamen etiamnum quid, præter nomen ſine re, oſtenſum fuit. Nota eſt in homine Anima rationalis, quæ tamen multis modis à reliquis formis, omnium conſenſu, diſtinguitur; Licet in eo conveniat, quod ipſius forma ſit, non tamen ex unione partium reſultat, neque ab illâ unione dependet. Præter hanc nomina Animæ ſentientis & vegetantis, Brutis animantibus & ſimpliciter nutritivis debitæ, frequentia admodum ſunt ſermone, ſed diſparuêre explicatione. Quid dicam? Egone anſer inter olores ſtrepam? Subſcribam receptæ ſententiæ, quam temerè rejiciendam non exiſtimo, licet ipſam difficilem δυσνοητὴν, multiſque ſpinis circumſeptam videam. Sint ergo formæ ſubſtantiæ quædam ſui generis, (materiales intelligo) à materiâ in eſſe, fieri ac operari dependentes; ex ipſius potentiâ, id eſt, legitimâ ipſius partium unione, reſultantes. Quod hic dixiſſe ſufficiet; Alibi autem, ſi Deus cum vitâ occaſionem det, hanc ſententiam latius deducam.

25.

25. II. *Differentiæ* formarum *variæ* ſunt. Nam dividitur 1. quòd ſit vel *Subſtantialis*, vel *Accidentalis*; cujus termini tribus modis accipi poſſunt; nam *primò ſubſtantialis* dicitur, *quæ conſtituit ſubſtantiam* in ſuo eſſe. Et *Accidentalis, quæ eſſe accidentis abſolvit*: Sed ſic nulla datur accidentalis; nam cum accidentia non habeant materiam, formæ quoque incapacia ſunt. *Secundò*, *Subſtantialis* dicitur, *quæ conſtituit ſubſtantiam abſolutè*, ut ſit idem quod eſſentialis: *Accidentalis* verò, *quæ ſubſtantiam conſtituit in concreto* cum Accidente. Sed nec ſic concedenda accidentalis: Omnis enim forma eſſentiam rei abſolvere debet; Et homo albus, non per formã niſi impropriè, ſed propter accidens ipſi inhærens, dicitur. *Tertiò Subſtantialis* dicitur, *quæ cum ipſa ſit ſubſtantia*, eſſentiam rei abſolvit: *Accidentalis* verò, *quæ in ſe eſt accidens*, rei tamen, cui ineſt eſſentiam largiens; Quibus ſignificationibus hujus diviſionis termini accipi debent, ut inter ſe opponantur.

26. 2. Dividitur forma in *naturalem* & *Artificialem*. *Prior* eſt, quæ *ab ordinario agente in materiâ ordinariâ* fit: *Poſterior* verò, quæ *ab extraordinario agente in materiâ, obediente* virtuti extraordinariæ, producitur. Unde patet, *duplex diſcrimen* intercedere inter haſce formæ ſpecies; *Unum*

à cauſâ efficiente, *alterum à ſubjecto petendum*. *Prioris* enim *cauſa* eſt *Natura*, & *ſubjectum materia*, prout *ordinariam* ſuam habet recipiendi *potentiam*: *Poſterioris* verò *Ars* cauſa eſt, & *Materia*, *obedientialem* obtinens *potentiam*, ſubjectum. *Naturalis* autem forma vel *Simplex* eſt, vel *mixta*; Et *hæc* vel *animata*, vel *inanimata*, prout tali modo ab ipſa corpora naturalia denominantur. *Artificialis* quoque eſt vel *ſenſibilis*, qualis eſt Menſæ, vel *intelligibilis*, qualis eſt Syllogiſmi.

27. 3. Forma eſt vel *prima* vel *Secunda*. *Prima* dicitur, quæ tantum forma eſt: *Secunda* verò, quæ eſt talis & talis; Prima ergo eſt, per quam corpus ſimpliciter formatum eſt; altera verò, per quam eſt, mixtum, animatum &c. Diſtinguuntur tamen potius conſideratione, quam re, quemadmodum & ſupra de materiâ primâ & ſecundâ dictum eſt.

28. 4. *Forma* eſt vel *proxima*, vel *remota*; *Prior* dicitur, quæ *nullâ aliâ intercedente* conſtituit, ut anima ſentiens animal; *Remota* verò, *quæ intercedente aliâ*, ut forma miſti animal. Sed iterum non niſi conſiderationis eſt diſtinctio; Anima enim ſentiens in animali etiam forma miſti eſt; Dicitur tamen hæc remota, eô quod ob communitatem etiam aliis talis forma conveniat.

29

29. 5. *Forma* eſt *Generica*, *Specifica*, vel *numerica*; *Generica* dicitur, *per quam* res conſtituitur *in genere*: *Specifica*, *per quam in ſpecie*: *Numerica per quam* res eſt *ſingularis*. Sed eadem planè cum præcedenti; Nam in Bucephalo ſola ipſius anima vera forma eſt; Quæ ideo, quod ejuſdem naturæ in Hirpino aliiſque equis reperiatur, Specifica; & quòd per ipſam Bucephalus ad Brutum & animal tanquam Genus pertineat, Generica dicitur. Numerica igitur proxima eſt: Reliquæ remotæ.

30. 6. *Forma* eſt, vel *informans*, vel *aſſiſtens*: Sed eſt *nominis diſtinctio*: Aſſiſtens enim non niſi analogicè forma dicitur; Omnis quippe vera forma informans eſt.

31. 7. *Forma* eſt vel *immaterialis*, quæ in eſſe, fieri & operari *à materiâ non dependet*; Qualis eſt anima rationalis; vel *materialis*, quæ *ex potentiâ materiæ educta*, ab ipſâ in eſſe, fieri & operari dependet; Quales omnes reliquæ.

32. 8. *Forma* eſt vel *Principalis*, vel *Diſponens*. *Prior* dicitur quæ *per ſe rem conſtituit*: *Poſterior* verò, *quæ prioris gratiâ* in materiâ prærequiritur. Sed reverâ omnis forma in ſuâ materiâ principalis eſt, utpote quam principaliter informat. Alterius tamen reſpectu eadem diſponens dici poteſt, quâtenus per hanc materia

 diſpo-

diſpoſita eſt, ad aliam formam recipiendam: Ita forma ovi, ratione ſui ſubjecti principalis eſt; ratione tamen formæ pulli dicitur diſponens.

33. 9. *Forma* eſt vel *totalis*, vel *partialis*. *Prior* eſt *per quam totum* eſt id quod eſt: *Partialis* verò, *per quam aliquid eſt pars* alterius. Ita totalis eſt anima ſentiens animalis, at partialis, per quam cor ipſius cor eſt, & non alia aliqua pars.

34. *Cauſatum, ex materiâ & formâ* junctim reſultans, *compoſitum* dicitur; quoniam illæ ut cauſæ internæ ejus partes fiunt, adeòque ipſum ingredientes conſtituunt. Sed de hoc ſuprà latius dictum. Atque *hæc de Cauſis* dicta ſunto.

CAP. XXIII.

DE

Subjecto & Accidente.

1. SEquitur *inhærentia*, altera *dependentiæ ſpecies*, quæ, prout & dependentia, primitus tributa videtur corporibus, quorum unum in cavitate alterius ſuſpenſum eſt; At exinde à Metaphyſicis aſſumta, dependentiam accidentis, quâ in ſubjecto ſuo eſt penetrativè, denotat; Unde quoque denominativè dicitur, pro ipſa illâ dependentia

pendente eſſentiâ Accidentis; Quomodo accipitur cum eſſentia Accidentis inhærentia eſſe dicitur.

2. Eſt autem *inhærentia*, ſive dependentia ſubjectiva, *reſpectus, quo unum alteri debet ſuum eſſe, per receptionem iſtius in ſe.* Ex quâ definitione ſequitur 1. *Nullum inhærens eſſe, ſine eo cui inhæret;* Quia nullum dependens eſt ſine ſuo independente; ut & nihil quod eſſe debet, ſine eo, cui hoc debet. 2. *Nullum inhærens extra illud eſſe poſſe, cui inhæret?* Quia independens in inhærentiâ eſſe tribuit dependenti, per receptionem in ſe. 3. *Nullum inhærens poteſt tranſire ex eo cui inhæret, in aliud.* Ratio eſt; Quia per receptionem eſſe ſuum debet; in tranſitu autem illo recipi non poteſt; quare tunc eſſe deberet ſine receptione, adeoque & ſine eo, cui inhæret; quod impoſſibile eſt. Non poteſt autem in tranſitu recipi, quia vel reciperetur, in eo ex quo tranſit, vel in eo, in quod tranſit, vel in utroque: Sed non in eo ex quo tranſit; Quia illud relinquitur; neque in eo in quod tranſit; quia ſic fruſtraneus tranſitus, ſi nunc ipſi inhæreat; Neque in utroque; quoniam vel totum in utroque inhæret; vel pars in hoc, & pars in illo. Non poteſt totum inhærens in utroque ſimul inhærere; Quia non unum, ſed duplex foret; bis quippe reciperetur, ac bis

eſſe ſuum deberet per receprionem. Neque pars in hoc & pars in illo; Quod enim ex ſe partes non habet, quomodo per diverſas ſui partes inhærebit? Ac deinde altera illa pars, ſecundo, in quod tranſit inhærens, in tranſitu ſuo, (quoniam enim alteri jam inhæret, adeòque & tranſiiſſe ſupponitur:) vel fuit in eo ex quo, vel in eo, in quod tranſit, vel in utroque; adeo ut eadem difficultas in tranſitu illo partis maneat, quæ fuit in tranſitu totius. 4. Ex hac definitione ſequitur, *idem inhærens non poſſe ſimul duobus diſtinctis realiter inhærere.* Cujus ratio nunc dicta eſt.

5. *Dividitur inhærentia*, quod ſit vel *Actualis* vel *Potentialis*; Quarum *illa* eſt, *per quam actu* inhærens debet alteri per receptionem ſuum eſſe: *Hæc* verò, *per quam poteſt* recipi. Sed ultima eſt σιδηρόξυλον: Inhærentia quippe actum notat, & præſentiam debitudinis, non ſaltem aptitudinem ad debitudinem; Eò ipſo enim quia aliquid inhærens, hoc eſt dependens, dicitur, eſſe ſuum actu debet, & non poteſt ſolum poſſe debere; Ac prout cauſatum nunquam dicitur, quod poteſt dependere à cauſa, ſed quod actu dependet; Ita nec inhærens dicitur, quod poteſt tantum inhærere, ſed quod actu inhæret. Et denique ſi ſufficeret iſta inhærentia poten-

tentialis, etiam inhærens poſſet eſſe, ſine eo cui inhæreat, quod impoſſibile nunc dictum. Et contradictionem implicat, eſſe inhærens, & non inhærens, hoc eſt poſſe inhærere: Eſſe dependens & non eſſe dependens, ſive poſſe dependere: Eſſe ſuum debere alteri, & non debere, ſed poſſe debere.

4. In inhærentiâ, *quod inhæret*, dicitur Accidens: id autem *cui inhæret*, *Subjectum*. Quorum conſideratio nunc inſtituenda. *Subjectum* igitur *quoad nomen* 1. idem eſt quod *ſubditum*, ut *parcere ſubjectis*, 6. *Æneid*. 2. Significat *ſubſtantiam*. 3. *opponitur prædicato*, diciturque prædicationis ſubjectum. 4. *Opponitur Adjuncto*, ac adhæſionis appellatur. 4. *Opponitur objecto*, & occupationis ſubjectum nuncupatur. 6. *Opponitur Accidenti*, ut hîc ſumi debet. Prout enim adjuncto opponitur, de eo agendum *cap*. 26. & prout refertur ad objectum, *cap*. 27.

5. *Quoad rem* Subjecti 1. Videndum, *Quid* ſit? 2. *Quænam ejus axiomata*? 3. *Quæ differentiæ*?

6. I. Eſt autem *ſubjectum*, *cui aliquid præter eſſentiam inhæret*, ſive, à quo aliquid per receptionem in ſe dependet; Dicitur ipſi inhærere aliquid præter eſſentiam, videlicet conſtituentem, quæ propriè loquendo eſſentia eſt; licet quandoque id

inhærens accidens eſſentiale dicatur, quod ex eſſentiâ conſtituente emanet, aut eam ſequatur. Idem dicitur, per receptionem in ſe; ideo enim inhærens, non eſt eſſentia ſubjecti; quia ſic idem ſeipſum reciperet in ſe; quod impoſſibile.

7. II. *Axiomata*, ex hac definitione deducta, hæc ſunt 1. *Subjectum naturâ prius eſt accidente.* Ratio eſt, quia independens naturâ prius ſuo dependente; Et recipiens ſuo recepto. 2. *Subjectum toto genere dignius Accidente.* Ratio eſt, quia omni ex parte independens toto genere eſt præſtantius dependente: Sed Subjectum omni ex parte à ſubjecto independens eſt; igitur toto genere dignius eo, quod dependet à ſubjecto: Et quemadmodum id quod omni ex parte à cauſis eſt independens, toto genere excellentius eſt eo, quod à cauſa pendet; ita & hic, quod nullâtenus dependet à ſubjecto, præſtantius eſt eo, quod dependet. 3. *Omne ſubjectum eſt ſubſtantia*: Ratio eſt, quia independens à ſubjecto, hoc eſt per ſe ſubſiſtens, eſſe debet. Omne enim, à quo aliquid dependet, ratione iſtius independens eſſe debet: Ergo à quo aliquid dependet, ut à ſubjecto, id à ſubjecto independens eſſe debet. Adeo ut hic non ſit par ratio inhærentiæ ac cauſalitatis; nam in hac, quod ſemel eſt independens, id

non

non continuò eſt tale, ſed etiam poteſt eſſe dependens, niſi ſit abſolutè independens. At in inhærentiâ, quod ſemel independens, id nunquam ſit dependens; Quia quod independens eſt, id per ſe ſubſiſtit: At hoc nunquam nulliusque reſpectu inhærere poteſt. Ratio diverſitatis eſt; Quia continuò in inhærentiâ Subjectum & accidens toto genere differunt; cùm in cauſatione non ſemper toto genere cauſa à cauſato differat.

8. 4. *Omne ſubjectum aliquo modo eſt imperfectum*; Quia aliquid in ſe præter ſuam eſſentiam recipit; quod vel perficit eſſentiam; & ſic non ſatis erat perfecta; vel illam imperfectiorem reddit, atque adeò non erat ſummè perfecta. 5. *Omne ſubjectum eſt Ens finitum*. Ratio eſt, quia eſt aliquo modo imperfectum. 6. *Sublato Subjecto tollitur Accidens*; Quia ſublato independente, tollitur dependens.

9. III. Quoad *differentias*, Subjectum 1. eſt vel *abſolutum*, vel *limitatum*. *Prius* eſt, quod *ſecundum omnes* partes recipit accidens; Unde & ſubjectum *formale* dicitur, & Subjectum *quo*, ut & *inhæſionis*. *Poſterius* verò, quod *in* certâ ſui *parte* recipit accidens, ſive cui accidens ineſt per partium limitationem & reſtrictionem: Diciturque aliter *Subjectum materiale*, *quod & denominationis*.

10. 2. Subjectum eſt vel *proprium*, vel *commune*. *Illud* dicitur, cui *ſoli* ineſt accidens, adeo ut extra illud non pateat, ut eſt homo riſibilitatis: *Hoc* verò, *extra quod* patet *accidens*, ut ipſi *ſoli non* inſit, ut homo albedinis.

11. *Accidens* ſequitur, quod *ratione nominis*, 1. idem eſt, quod *caſuale* & fortuitum. 2. *Opponitur ſubjecto* cuicunque, quomodo & adjunctum rei accidens dicitur. 3. *Opponitur ſubſtantiæ*, & ſubjecto inhæſionis, diciturque *Accidens prædicamentale*. 4. Sumitur pro *accidente communi* tantum, & proprio opponitur, atque ſic accidens prædicabile appellatur. Hic conſideranda acceptio tertia.

12. *In re* ipſâ videndum 1. *Quid* ſit Accidens? 2. *Quænam* ejus *Axiomata*? 3. *Quæ differentiæ*?

13. I. Eſt autem *Accidens*, *aliquid ſubſtantiæ præter eſſentiam inhærens*; ſive, quod per receptionem ab alio dependet; Quodque adeo per inhærentiam ac receptionem illam ſuum obtinet eſſe. Ejus itaque *eſſentia* eſt *ipſa inhærentia*; non quidem illa, quæ reſpectus eſt, ſed quæ ob illum reſpectum denominat accidens. Atque hujus *ratio* eſt. 1. Illud eſt eſſentia accidentis, quod immediatè ab ejus conſtitutione ortum, omni & ſoli accidenti convenit. Sed inhærentiæ talis eſt ratio; nam

nam primò inhærentia immediatè oritur ex accidentis conſtitutione; Eſt autem ejus conſtitutio, productio ejus in ſubjecto, ſeu poſſeſſio ſui eſſe in ſubjecto; à quâ immediatè oritur, aut cum quâ realiter eadem eſt, inhærentia. Et ſecundò omni accidenti & ſoli convenit, ut infrà latius deducendum. 2. Quemadmodum Ens creatum pro generali ſuâ eſſentiâ habet dependentiam à cauſâ, quâtenus hæc denominatio eſt; Ita quoque accidens, ut dependens à ſubjecto, pro generali ſuâ eſſentiâ habet dependentiam à ſubjecto, ſive inhærentiam, quâtenus pro denominatione ſumitur, ac relationis eſt fundamentum. 3. Quibus accedit, nullam aliam eſſentiam Accidenti in genere tribui poſſe, ſi ea non dicatur Entitas per inhærentiam, ſive denominata inhærentia; Cui præterea & omnes conditiones ad eſſentiam requiſitæ conveniunt. Adeo ut nihil deëſſe manifeſtè pateat.

14. *Objicit*, non-nemo; Oportet ut rei cujuscunque poſitiva & realis eſſentia primò à nobis concipiatur abſoluta eſſe, antequam dicatur aliquid cum reſpectu ad aliud. Ergo oportet, ut Accidens habeat primò ſuum eſſe abſolutum, antequam habeat eſſe in ordine ad ſubjectum. *Reſp.* 1. Antecedens verum eſt de illâ tantum re, quæ eſſe abſolutum habet, non de eâ, quæ

 eſſe

eſſe ſuum per dependentiam habet, ſive quæ in ſuo eſſe abſoluta non eſt. Quemadmodum non oportet aliam abſolutam eſſentiam Creaturæ in genere inveſtigare, præterquam ejus dependentiam à Creatore, quæ ipſam in ſuo eſſe conſtitutam immediatè conſequitur. Quoniam Creatura in ſuo eſſe planè abſoluta non eſt. Sed quemadmodum hæc internum relationis fundamentum pro ſuâ eſſentiâ habet; ita & Accidens à ſubjecto quoad eſſe dependens, non requirit aliud eſſe abſolutum, præter ſuam inhærentiam, quæ internum ipſi eſt relationis fundamentum. 2. Non ſtatuitur ipſa relatio eſſe ejus eſſentia, ſed actus inhærendi, ſive inhærentia denominata, quæ relationis fundamentum eſt. 3. Quemadmodum in abſoluto quâ tali & ſuâ naturâ omnia abſoluta: ita in reſpectivo quâ tali & ſuâ naturâ omnia reſpectiva; Quis igitur ſanæ mentis eſſe generale abſolutum quæret Accidentis; quod quâ tale & ſuâ naturâ reſpectum ad independens involvit. 4. Tranſſcendentale eſſe, ex hypotheſi, quod Accidens ſit Ens ſui generis, licet in ſe reſpectum non inferat, reſtrictum tamen illum neceſſariò admittit: Adeo ut nihil abſoluti dici poſſit de ipſo ſecundum eſſentiam: ſed ſaltem ſecundum indifferentiam. Hoc tamen attributum illud eſt, quod ante illum reſpectum inveſtigandum eſt.

15.

15. *Objic.* 2. Vnumquodque accidens propriè dictum, in ſe conſideratum, habet eſſentiam denotatam per definitionem propriam, ſine ordine ad hoc, aut illud ſubjectum, cui diceretur inexiſtere. Ergo non eſt de parte eſſentiæ cujusvis accidentis ipſa inhærentia. Et manifeſtum hoc fit exemplo. Si hoc aut illud accidens in ſpecie definiatur, nullius ſubjecti in definitione continebitur deſignatio. &c. *Reſp.* Antecedens apprimè falſum; Nullum quippe definiri unquam poterit accidens, ſine ordine ad ſubjectum. Nec obſtat exemplum: licet enim expreſſa in definitione hujus vel iſtius accidentis, non fiat ſubjecti mentio, fit tamen implicita; neque debet expreſſa fieri. Vetant enim regulæ definitionis, ne id, quod ad eſſentiam Generis pertinet, expreſſè repetatur in definitione ſpeciei; Quare dum albedo definitur, quòd ſit color nimiùm diſgregans viſum, implicatur ſubjectum in genere, quod eſt Color, qui dum eſt qualitas, & hæc Accidens propriè dictum, de cujus eſſentia eſt inhærentia; etiam inhærentia illa præſupponitur in definitione Qualitatis, & Coloris, adeoque & Albedinis.

16. *Objic.* 3. Tum in eſſentiâ accidentis plura involverentur, quam in eſſentiâ ſubſtantiæ; adeoque ipſum accidens præter ſubſtantiæ perfectionem, etiam includeret

omnem ſuam perfectionem, ut diſtinctam à perfectione ſubſtantiæ. *Reſp.* Nulla ſpecies hujus conſequentiæ unquam oſtendi poterit; imò contrarium potius ſequitur; Quid? An quia accidens habet ſuum eſſe per dependentiam à ſubjecto, ſive ſubſtantiâ, ideone & ipſius ſubſtantiæ perfectio, quæ eſt ſubſiſtentia per ſe, conveniet accidenti, cui accedens ipſa inhærentia, multiplicat perfectiones Accidentis, præ perfectionibus ſubſtantiæ? An quia creatura dependet à Creatore, ut à cauſa eſſe tribuente, ideòne plures perfectiones erunt creaturæ quam Creatoris? An potius contrarium ſequitur? Ita ſuadet ratio; Quia dum dependens poſterius eſt independente, nunquam fit ipſum independens; Et dum independens dependenti tribuit eſſe, non ideo ſeipſum tribuit; ſed manet independens.

17. *Objic.* 4. Sequeretur ex hac ſententiâ, omne accidens in ſe & ſuâ naturâ conſideratum eſſe, ſubſtantiam accidens; Ratio conſequentiæ eſt; Quia ex illâ ſententiâ, accidens includeret in ſuo conceptu eſſentiali ipſum ſubjectum. *Reſp.* Ejuſdem generis hæc cum præcedente eſt conſequentia; An creatura in ſe conſiderata dicenda eſt Creator creatura; ideo quia eſſe ſuum debet Creatori? Addita ratio pravè detorquetur; Nam aliud eſt eſſe conceptum

ptum eſſentialem, aliud de conceptu eſſentiali. Subjectum non eſt ipſe conceptus eſſentialis, ſive definitio, ſed de illo conceptu; Quia enim naturâ prius eſt accidente, & definitio ex naturâ prioribus conſtare debet, illius quoque pars fit. Sed non ilicò, quod eſt pars definitionis, hoc eſt pars eſſentiæ. Definias Civem Franekeranum; nonne integræ civitatis in definitione mentio fieri debet? Sed eſtne civitas pars civis unius? Definias actionem; & ingredietur ejus definitionem vel agens, vel virtus ejus: Sed hæc neutiquam partes ſunt actionis. Quando igitur accidens in ſuo conceptu dicitur includere ſubjectum, hoc intelligendum, non quod ſubjectum ſit pars ejus eſſentiæ, ſed quod ſubjectum requiratur, ut accidenti eſſe concedat.

18. *Objic.* 5. Eſt communis Philoſophorum ſententia, quâ ſtatuitur, accidens nunquam perfectè definiri, in quantum definitur mentione ſubjecti; Quandoquidem nunquam ſubjectum de rei eſſentiâ poteſt eſſe. *Reſp.* 1. Quorum Philoſophorum illa ſententia? Reformatorum ne? (Pontificii enim ac Lutherani hic ſuſpectæ fidei ſunt:) nondum potui reſciſcere. 2. Imò perfectè definitur accidens pro ſuâ entitate, mentione ſubjecti. Quod enim illud ut prius reſpicit, id per illud ſatis perfectè definitur. 3. Cur ſubjectum non eſt de

de eſſentiâ accidentis? Nonne ipſi eſſe tribuit? Nonne ipſum conſervat? Et quid habet accidens, quod ſubjecto non debeat? Non quidem ipſius genus eſt, ſubjectum, neque differentia, ſed inhærentia in ipſo abſtracta ratio eſſentiæ accidentis ſit. Sed plusquam ſatis huic novæ ſententiæ repoſitum, quod non ægrè feret, qui à Veterum ſententiis temerè recedere crimen exiſtimat.

19. II. *Axiomata* ex hac definitione Accidentis oriunda ſunt, *primò*, *Nullum accidens extra ſubjectum eſſe poteſt.* Ratio eſt 1. quia eſt inhærens: At hoc non eſt ſine eo cui inhæret, vid.th. 2. 2. Accidens nunquam eſt ſine ſuâ eſſentia: At illa eſt inhærentia, quæ ſemper actualis eſt, ut ſupra oſtenſum. 3. Quod non inhæret actu, id ſi ſit, per ſe ſubſiſtit: Sublatò enim uno immediatè oppoſitorum, ponitur alterum; At quod per ſe ſubſiſtit, id ſubſtantia eſt: At accidens, ex hypotheſi, manet accidens. *Secundò*, *Accidens non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum*; Ratio eſt, quia nullum inhærens tranſit, ut d. l. oſtenſum. *Tertiò*, *Accidens non poteſt ſimul ineſſe diſtinctis ſubjectis*; Pertinet enim & hoc ad inhærentis naturam. Objectiones, quæ adverſus hæc axiomata moventur, paſſim apud Reformatos Logicos ac Metaphyſicos ſolutas habes.

20.

20. III. *Differentias* quod attinet ; Accidens dividitur, quod ſit vel *proprium*. vel *commune* ; Illud eſt ; quod *ſoli* illi ſubjecto *inhæret* : *Hoc* verò, quod etiam *aliis*. *Prius* eſt vel *imperfectum*, quod licet ſoli inhæreat, non tamen omni ſubordinato, aut licet omni, non tamen ſemper inhæret ; vel *perfectum*, quod ſoli, omni ſubordinato ac ſemper inhæret.

21. De hoc proprio accidente litigant Philoſophi & Theologi, an etiam poſſit commune fieri alii ſubjecto, realiter ac ſpecie à ſuo ſubjecto diſtincto. Reſpondeo cum Reformatis. 1. Non poteſt communicari ſecundum rem, ſed ſecundum denominationm ; idque non formali, ſed materiali denominatione, prout potentia urendi ſecundum denominationem tribuitur ferro, non formaliter, quod ipſum urat ; ſed quod denominetur urere, ob ipſi inexiſtentes particulas igneas. 2. Non poteſt communicari, per ſtrictè dictam κοινωνίαν, quâ proprium maneret in proprio ſubjecto, & idem numero etiam in communicativo efficitur ; Quod ipſius communicationis Patroni & volunt, & ad palliandum ſuum errorem, de ubiquitate corporis Chriſti, neceſſariò velle debent. Licet aliqua latè dicta communicatio fiat, ſive per μέθεξιν & participationem, quando unum realiter idem eſt

cum

à cauſâ efficiente, *alterum à ſubjecto petendum*. *Prioris* enim *cauſa* eſt *Natura*, & *ſubjectum materia*, prout *ordinariam* ſuam habet recipiendi *potentiam*: *Poſterioris* verò *Ars* cauſa eſt, & *Materia*, *obedientialem* obtinens *potentiam*, ſubjectum. *Naturalis* autem forma vel *Simplex* eſt, vel *mixta*; Et *hæc* vel *animata*, vel *inanimata*, prout tali modo ab ipſa corpora naturalia denominantur. *Artificialis* quoque eſt vel *ſenſibilis*, qualis eſt Menſæ, vel *intelligibilis*, qualis eſt Syllogiſmi.

27. 3. Forma eſt vel *prima* vel *Secunda*. *Prima* dicitur, quæ tantum forma eſt: *Secunda* verò, quæ eſt talis & talis; Prima ergo eſt, per quam corpus ſimpliciter formatum eſt; altera verò, per quam eſt, mixtum, animatum &c. Diſtinguuntur tamen potius conſideratione, quam re, quemadmodum & ſupra de materiâ primâ & ſecundâ dictum eſt.

28. 4. *Forma* eſt vel *proxima*, vel *remota*; *Prior* dicitur, quæ *nullâ aliâ intercedente* conſtituit, ut anima ſentiens animal; *Remota* verò, *quæ intercedente aliâ*, ut forma miſti animal. Sed iterum non niſi conſiderationis eſt diſtinctio; Anima enim ſentiens in animali etiam forma miſti eſt; Dicitur tamen hæc remota, eô quod ob communitatem etiam aliis talis forma conveniat.

29. 5. *Forma* eſt *Generica*, *Specifica*, vel *numerica*; *Generica* dicitur, *per quam res conſtituitur in genere*: *Specifica*, *per quam in ſpecie*: *Numerica per quam* res eſt *ſingularis*. Sed eadem planè cum præcedenti; Nam in Bucephalo ſola ipſius anima vera fòrma eſt; Quæ ideo, quod ejuſdem naturæ in Hirpino aliiſque equis reperiatur, Specifica; & quòd per ipſam Bucephalus ad Brutum & animal tanquam Genus pertineat, Generica dicitur. Numerica igitur proxima eſt: Reliquæ remotæ.

30. 6. *Forma* eſt, vel *informans*, vel *aſſiſtens*: Sed eſt *nominis diſtinctio*: Aſſiſtens enim non niſi analogicè forma dicitur; Omnis quippe vera forma informans eſt.

31. 7. *Forma* eſt vel *immaterialis*, quæ in eſſe, fieri & operari *à materià non dependet*; Qualis eſt anima rationalis; vel *materialis*, quæ *ex potentiâ materiæ educta*, ab ipſâ in eſſe, fieri & operari dependet; Quales omnes reliquæ.

32. 8. *Forma* eſt vel *Principalis*, vel *Diſponens*. *Prior* dicitur quæ *per ſe rem conſtituit*: *Poſterior* verò, *quæ prioris gratiâ* in materiâ prærequiritur. Sed reverâ omnis forma in ſuâ materiâ principalis eſt, utpote quam principaliter informat. Alterius tamen reſpectu eadem diſponens dici poteſt, quâtenus per hanc materia

O 2 diſpo-

diſpoſita eſt, ad aliam formam recipiendam: Ita forma ovi, ratione ſui ſubjecti principalis eſt; ratione tamen formæ pulli dicitur diſponens.

33. 9. *Forma* eſt vel *totalis*, vel *partialis*. *Prior* eſt *per quam totum* eſt id quod eſt: *Partialis* verò, *per quam aliquid eſt pars* alterius. Ita totalis eſt anima ſentiens animalis, at partialis, per quam cor ipſius cor eſt, & non alia aliqua pars.

34. *Cauſatum, ex materiâ & formâ* junctim reſultans, *compoſitum* dicitur; quoniam illæ ut cauſæ internæ ejus partes fiunt, adeòque ipſum ingredientes conſtituunt. Sed de hoc ſuprà latius dictum. Atque *hæc de Cauſis* dicta ſunto.

CAP. XXIII.

DE

Subjecto & Accidente.

1. Sequitur *inhærentia*, altera *dependentiæ ſpecies*, quæ, prout & dependentia, primitus tributa videtur corporibus, quorum unum in cavitate alterius ſuſpenſum eſt; . At exinde à Metaphyſicis aſſumta, dependentiam accidentis, quâ in ſubjecto ſuo eſt penetrativè, denotat; Unde quoque denominativè dicitur, pro ipſa illâ dependen-

pendente eſſentiâ Accidentis; Quomodo accipitur cum eſſentia Accidentis inhærentia eſſe dicitur.

2. Eſt autem *inhærentia*, ſive dependentia ſubjectiva, *reſpectus, quo unum alteri debet ſuum eſſe, per receptionem iſtius in ſe.* Ex quâ definitione ſequitur 1. *Nullum inhærens eſſe, ſine eo cui inhæret;* Quia nullum dependens eſt ſine ſuo independente; ut & nihil quod eſſe debet, ſine eo, cui hoc debet. 2. *Nullum inhærens extra illud eſſe poſſe, cui inhæret?* Quia independens in inhærentiâ eſſe tribuit dependenti, per receptionem in ſe. 3. *Nullum inhærens poteſt tranſire ex eo cui inhæret, in aliud.* Ratio eſt; Quia per receptionem eſſe ſuum debet; in tranſitu autem illo recipi non poteſt; quare tunc eſſe deberet ſine receptione, adeoque & ſine eo, cui inhæret; quod impoſſibile eſt. Non poteſt autem in tranſitu recipi, quia vel reciperetur, in eo ex quo tranſit, vel in eo, in quod tranſit, vel in utroque: Sed non in eo ex quo tranſit; Quia illud relinquitur; neque in eo in quod tranſit; quia ſic fruſtraneus tranſitus, ſi nunc ipſi inhæreat; Neque in utroque; quoniam vel totum in utroque inhæret; vel pars in hoc, & pars in illo. Non poteſt totum inhærens in utroque ſimul inhærere; Quia non unum, ſed duplex foret; bis quippe reciperetur, ac bis

eſſe ſuum deberet per recepnonem. Neque pars in hoc & pars in illo; Quod enim ex ſe partes non habet, quomodo per diverſas ſui partes inhærebit? Ac deinde altera illa pars, ſecundo, in quod tranſit inhærens, in tranſitu ſuo, (quoniam enim alteri jam inhæret, adeòque & tranſiiſſe ſupponitur:) vel fuit in eo ex quo, vel in eo, in quod tranſit, vel in utroque; adeo ut eadem difficultas in tranſitu illo partis maneat, quæ fuit in tranſitu totius. 4. Ex hac definitione ſequitur, *idem inhærens non poſſe ſimul duobus diſtinctis realiter inhærere*. Cujus ratio nunc dicta eſt.

5. *Dividitur inhærentia*, quod ſit vel *Actualis* vel *Potentialis*; Quarum *illa* eſt, *per quam actu* inhærens debet alteri per receptionem ſuum eſſe: *Hæc* verò, *per quam poteſt* recipi. Sed ultima eſt σιδηρόξυλον: Inhærentia quippe actum notat, & præſentiam debitudinis, non ſaltem aptitudinem ad debitudinem; Eò ipſo enim quia aliquid inhærens, hoc eſt dependens, dicitur, eſſe ſuum actu debet, & non poteſt ſolùm poſſe debere; Ac prout cauſatum nunquam dicitur, quod poteſt dependere à cauſa, ſed quod actu dependet; Ita nec inhærens dicitur, quod poteſt tantum inhærere, ſed quod actu inhæret. Et denique ſi ſufficeret iſta inhærentia po-

ten-

tentialis, etiam inhærens poſſet eſſe, ſine eo cui inhæreat, quod impoſſibile nunc dictum. Et contradictionem implicat, eſſe inhærens, & non inhærens, hoc eſt poſſe inhærere: Eſſe dependens & non eſſe dependens, ſive poſſe dependere: Eſſe ſuum debere alteri, & non debere, ſed poſſe debere.

4. In inhærentiâ, *quod inhæret*, dicitur Accidens: id autem *cui inhæret*, *Subjectum*. Quorum conſideratio nunc inſtituenda. *Subjectum* igitur *quoad nomen* 1. idem eſt quod *ſubditum*, ut *parcere ſubjectis*, 6. *Æneid*. 2. Significat *ſubſtantiam*. 3. *opponitur prædicato*, diciturque prædicationis ſubjectum. 4. *Opponitur Adjuncto*, ac adhæſionis appellatur. 4. *Opponitur objecto*, & occupationis ſubjectum nuncupatur. 6. *Opponitur Accidenti*, ut hîc ſumi debet. Prout enim adjuncto opponitur, de eo agendum *cap*. 26. & prout refertur ad objectum, *cap*. 27.

5. *Quoad rem* Subjecti 1. Videndum, *Quid ſit*? 2. *Quænam ejus axiomata*? 3. *Quæ differentiæ*?

6. I. Eſt autem *ſubjectum*, *cui aliquid præter eſſentiam inhæret*, ſive, à quo aliquid per receptionem in ſe dependet; Dicitur ipſi inhærere aliquid præter eſſentiam, videlicet conſtituentem, quæ propriè loquendo eſſentia eſt; licet quandoque id

inhærens accidens eſſentiale dicatur, quod ex eſſentiâ conſtituente emanet, aut eam ſequatur. Idem dicitur, per receptionem in ſe; ideo enim inhærens, non eſt eſſentia ſubjecti; quia ſic idem ſeipſum reciperet in ſe; quod impoſſibile.

7. II. *Axiomata*, ex hac definitione deducta, hæc ſunt 1. *Subjectum naturâ prius eſt accidente.* Ratio eſt, quia independens naturâ prius ſuo dependente; Et recipiens ſuo recepto. 2. *Subjectum toto genere dignius Accidente.* Ratio eſt, quia omni ex parte independens toto genere eſt præſtantius dependente: Sed Subjectum omni ex parte à ſubjecto independens eſt; igitur toto genere dignius eo, quod dependet à ſubjecto: Et quemadmodum id quod omni ex parte à cauſis eſt independens, toto genere excellentius eſt eo, quod à cauſa pendet; ita & hic, quod nullâtenus dependet à ſubjecto, præſtantius eſt eo, quod dependet. 3. *Omne ſubjectum eſt ſubſtantia*: Ratio eſt, quia independens à ſubjecto, hoc eſt per ſe ſubſiſtens, eſſe debet. Omne enim, à quo aliquid dependet, ratione iſtius independens eſſe debet: Ergo à quo aliquid dependet, ut à ſubjecto, id à ſubjecto independens eſſe debet. Adeo ut hic non ſit par ratio inhærentiæ ac cauſalitatis; nam in hac, quod ſemel eſt independens, id

non

non continuò eſt tale, ſed etiam poteſt eſſe dependens, niſi ſit abſolutè independens. At in inhærentiâ, quod ſemel independens, id nunquam fit dependens; Quia quod independens eſt, id per ſe ſubſiſtit: At hoc nunquam nulliusque reſpectu inhærere poteſt. Ratio diverſitatis eſt; Quia continuô in inhærentiâ Subjectum & accidens toto genere differunt; cùm in cauſatione non ſemper toto genere cauſa à cauſato differat.

8. 4. *Omne ſubjectum aliquo modo eſt imperfectum*; Quia aliquid in ſe præter ſuam eſſentiam recipit; quod vel perficit eſſentiam; & ſic non ſatis erat perfecta; vel illam imperfectiorem reddit, atque adeò non erat ſummè perfecta. 5. *Omne ſubjectum eſt Ens finitum.* Ratio eſt, qui a eſt aliquo modo imperfectum. 6. *Sublato Subjecto tollitur Accidens*; Quia ſublato independente, tollitur dependens.

9. III. Quoad *differentias*, Subjectum 1. eſt vel *abſolutum*, vel *limitatum*. *Prius* eſt, quod *ſecundum omnes* partes recipit accidens; Unde & ſubjectum *formale* dicitur, & Subjectum *quo*, ut & *inhæſionis*. *Poſterius* verò, quod *in* certâ ſui *parte* recipit accidens, ſive cui accidens ineſt per partium limitationem & reſtrictionem: Diciturque aliter *Subjectum materiale*, *quod & denominationis*.

nam primò inhærentia immediatè oritur ex accidentis conſtitutione ; Eſt autem ejus conſtitutio, productio ejus in ſubjecto, ſeu poſſeſſio ſui eſſe in ſubjecto ; à quâ immediatè oritur, aut cum quâ realiter eadem eſt, inhærentia. Et ſecundò omni accidenti & ſoli convenit,ut infrâ latius deducendum. 2. Quemadmodum Ens creatum pro generali ſuâ eſſentiâ habet dependentiam à cauſâ, quâtenus hæc denominatio eſt ; Ita quoque accidens, ut dependens à ſubjecto, pro generali ſuâ eſſentiâ habet dependentiam à ſubjecto, ſive inhærentiam, quâtenus pro denominatione ſumitur, ac relationis eſt fundamentum. 3. Quibus accedit, nullam aliam eſſentiam Accidenti in genere tribui poſſe, ſi ea non dicatur Entitas per inhærentiam, ſive denominata inhærentia ; Cui præterea & omnes conditiones ad eſſentiam requiſitæ conveniunt. Adeo ut nihil deeſſe manifeſtè pateat.

14. *Objicit*, non-nemo ; Oportet ut rei cujuſcunque poſitiva & realis eſſentia primò à nobis concipiatur abſoluta eſſe, antequam dicatur aliquid cum reſpectu ad aliud. Ergo oportet, ut Accidens habeat primò ſuum eſſe abſolutum, antequam habeat eſſe in ordine ad ſubjectum. *Reſp.* 1. Antecedens verum eſt de illâ tantum re, quæ eſſe abſolutum habet, non de eâ, quæ

eſſe ſuum per dependentiam habet, ſive quæ in ſuo eſſe abſoluta non eſt. Quemadmodum non oportet aliam abſolutam eſſentiam Creaturæ in genere inveſtigare, præterquam ejus dependentiam à Creatore, quæ ipſam in ſuo eſſe conſtitutam immediatè conſequitur. Quoniam Creatura in ſuo eſſe planè abſoluta non eſt. Sed quemadmodum hæc internum relationis fundamentum pro ſuâ eſſentiâ habet; ita & Accidens à ſubjecto quoad eſſe dependens, non requirit aliud eſſe abſolutum, præter ſuam inhærentiam, quæ internum ipſi eſt relationis fundamentum. 2. Non ſtatuitur ipſa relatio eſſe ejus eſſentia, ſed actus inhærendi, ſive inhærentia denominata, quæ relationis fundamentum eſt. 3. Quemadmodum in abſoluto quâ tali & ſuâ naturâ omnia abſoluta: ita in reſpectivo quâ tali & ſuâ naturâ omnia reſpectiva; Quis igitur ſanæ mentis eſſe generale abſolutum quæret Accidentis; quod quâ tale & ſuâ naturâ reſpectum ad independens involvit. 4. Tranſſcendentale eſſe, ex hypotheſi, quod Accidens ſit Ens ſui generis, licet in ſe reſpectum non inferat, reſtrictum tamen illum neceſſariò admittit: Adeo ut nihil abſoluti dici poſſit de ipſo ſecundum eſſentiam: ſed ſaltem ſecundum indifferentiam. Hoc tamen attributum illud eſt, quod ante illum reſpectum inveſtigandum eſt.

15. *Objic.* 2. Vnumquodque accidens propriè dictum, in ſe conſideratum, habet eſſentiam denotatam per definitionem propriam, ſine ordine ad hoc, aut illud ſubjectum, cui diceretur inexiſtere. Ergo non eſt de parte eſſentiæ cujusvis accidentis ipſa inhærentia. Et manifeſtum hoc fit exemplo. Si hoc aut illud accidens in ſpecie definiatur, nullius ſubjecti in definitione continebitur deſignatio. &c. *Reſp.* Antecedens apprimè falſum; Nullum quippe definiri unquam poterit accidens, ſine ordine ad ſubjectum. Nec obſtat exemplum: licet enim expreſſa in definitione hujus vel iſtius accidentis, non fiat ſubjecti mentio, fit tamen implicita; neque debet expreſſa fieri. Vetant enim regulæ definitionis, ne id, quod ad eſſentiam Generis pertinet, expreſſè repetatur in definitione ſpeciei; Quare dum albedo definitur, quòd ſit color nimiùm diſgregans viſum, implicatur ſubjectum in genere, quod eſt Color, qui dum eſt qualitas, & hæc Accidens propriè dictum, de cujus eſſentia eſt inhærentia; etiam inhærentia illa præſupponitur in definitione Qualitatis, & Coloris, adeoque & Albedinis.

16. *Objic.* 3. Tum in eſſentiâ accidentis plura involverentur, quam in eſſentiâ ſubſtantiæ; adeoque ipſum accidens præter ſubſtantiæ perfectionem, etiam includeret

omnem ſuam perfectionem, ut diſtinctam à perfectione ſubſtantiæ. *Reſp.* Nulla ſpecies hujus conſequentiæ unquam oſtendi poterit; imò contrarium potius ſequitur; Quid? An quia accidens habet ſuum eſſe per dependentiam à ſubjecto, ſive ſubſtantiâ, ideone & ipſius ſubſtantiæ perfectio, quæ eſt ſubſiſtentia per ſe, conveniet accidenti, cui accedens ipſa inhærentia, multiplicat perfectiones Accidentis, præ perfectionibus ſubſtantiæ? An quia creatura dependet à Creatore, ut à cauſa eſſe tribuente, ideòne plures perfectiones erunt creaturæ quam Creatoris? An potius contrarium ſequitur? Ita ſuadet ratio; Quia dum dependens poſterius eſt independente, nunquam fit ipſum independens; Et dum independens dependenti tribuit eſſe, non ideo ſeipſum tribuit; ſed manet independens.

17. *Objic.* 4. Sequeretur ex hac ſententiâ, omne accidens in ſe & ſuâ naturâ conſideratum eſſe, ſubſtantiam accidens; Ratio conſequentiæ eſt; Quia ex illâ ſententiâ, accidens includeret in ſuo conceptu eſſentiali ipſum ſubjectum. *Reſp.* Ejuſdem generis hæc cum præcedente eſt conſequentia; An creatura in ſe conſiderata dicenda eſt Creator creatura; ideo quia eſſe ſuum debet Creatori? Addita ratio pravè detorquetur; Nam aliud eſt eſſe conceptum

ptum eſſentialem, aliud de conceptu eſſentiali. Subjectum non eſt ipſe conceptus eſſentialis, ſive definitio, ſed de illo conceptu; Quia enim naturâ prius eſt accidente, & definitio ex naturâ prioribus conſtare debet, illius quoque pars ſit. Sed non ilicò, quod eſt pars definitionis, hoc eſt pars eſſentiæ. Definias Civem Franekeranum; nonne integræ civitatis in definitione mentio fieri debet? Sed eſtne civitas pars civis unius? Definias actionem; & ingredietur ejus definitionem vel agens, vel virtus ejus: Sed hæc neutiquam partes ſunt actionis. Quando igitur accidens in ſuo conceptu dicitur includere ſubjectum, hoc intelligendum, non quod ſubjectum ſit pars ejus eſſentiæ, ſed quod ſubjectum requiratur, ut accidenti eſſe concedat.

18. *Objic.* 5. Eſt communis Philoſophorum ſententia, quâ ſtatuitur, accidens nunquam perfectè definiri, in quantum definitur mentione ſubjecti; Quandoquidem nunquam ſubjectum de rei eſſentiâ poteſt eſſe. *Reſp.* 1. Quorum Philoſophorum illa ſententia? Reformatorum ne? (Pontificii enim ac Lutherani hic ſuſpectæ fidei ſunt:) nondum potui reſciſcere. 2. Imò perfectè definitur accidens pro ſuâ entitate, mentione ſubjecti. Quod enim illud ut prius reſpicit, id per illud ſatis perfectè definitur. 3. Cur ſubjectum non eſt

de

de eſſentiâ accidentis? Nonne ipſi eſſe tribuit? Nonne ipſum conſervat? Et quid habet accidens, quod ſubjecto non debeat? Non quidem ipſius genus eſt, ſubjectum, neque differentia, ſed inhærentia in ipſo abſtracta ratio eſſentiæ accidentis ſit. Sed plusquam ſatis huic novæ ſententiæ repoſitum, quod non ægrè feret, qui à Veterum ſententiis temerè recedere crimen exiſtimat.

19. II. *Axiomata* ex hac definitione Accidentis oriunda ſunt, *primò*, *Nullum accidens extra ſubjectum eſſe poteſt.* Ratio eſt 1. quia eſt inhærens: At hoc non eſt ſine eo cui inhæret, vid.th. 2. 2. Accidens nunquam eſt ſine ſuâ eſſentia: At illa eſt inhærentiâ, quæ ſemper actualis eſt, ut ſupra oſtenſum. 3. Quod non inhæret actu, id ſi ſit, per ſe ſubſiſtit: Sublatò enim uno immediatè oppoſitorum, ponitur alterum: At quod per ſe ſubſiſtit, id ſubſtantia eſt: At accidens, ex hypotheſi, manet accidens. *Secundò*, *Accidens non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum*; Ratio eſt, quia nullum inhærens tranſit, ut d. l. oſtenſum. *Tertiò*, *Accidens non poteſt ſimul ineſſe diſtinctis ſubjectis*; Pertinet enim & hoc ad inhærentis naturam. Objectiones, quæ adverſus hæc axiomata moventur, paſſim apud Reformatos Logicos ac Metaphyſicos ſolutas habes.

20.

20. III. *Differentiis* quod attinet; Accidens dividitur, quod ſit vel *proprium*. vel *commune*; Illud eſt; quod *ſoli* illi ſubjecto *inhæret*: *Hoc* verò, quod etiam *aliis*. *Prius* eſt vel *imperfectum*, quod licet ſoli inhæreat, non tamen omni ſubordinato, aut licet omni, non tamen ſemper inhæret; vel *perfectum*, quod ſoli, omni ſubordinato ac ſemper inhæret.

21. De hoc proprio accidente litigant Philoſophi & Theologi, an etiam poſſit commune fieri alii ſubjecto, realiter ac ſpecie à ſuo ſubjecto diſtincto. Reſpondeo cum Reformatis. 1. Non poteſt communicari ſecundum rem, ſed ſecundum denominationm; idque non formali, ſed materiali denominatione, prout potentia urendi ſecundum denominationem tribuitur ferro, non formaliter, quod ipſum urat; ſed quod denominetur urere, ob ipſi inexiſtentes particulas igneas. 2. Non poteſt communicari, per ſtrictè dictam κοινωνίαν, quâ proprium maneret in proprio ſubjecto, & idem numero etiam in communicativo efficitur; Quod ipſius communicationis Patroni & volunt, & ad palliandum ſuum errorem, de ubiquitate corporis Chriſti, neceſſariò velle debent. Licet aliqua latè dicta communicatio fiat, ſive per μέθεξιν & participationem, quando unum realiter idem eſt

cum

cum altero, quomodo proprietates generi communicantur ſpeciebus; ſive per συνδυασμὸν, quâtenus ipſum ſubjectum ſimul tranſit, quomodo proprietates Elementorum miſtis, & partium toti communicantur; in quâ tamen ſemper denominationis ſeu limitatum eſt ſubjectum. 3. Licet, quod impoſſibile eſſe ratio dictitat, propria accidentia poſſent communicari; non tamen pari ratione poſſent communicari proprietates divinæ, ut quæ 1. citra ullam exceptionem ſunt ipſiſſima Dei eſſentia, quare communicatis iſtis proprietatibus, etiam communicaretur ipſa eſſentia; atque ſic eſſentia humana foret divina. Quæque 2. infinitæ ſunt; adeoque à nullo finito capi poſſunt. At ſi communicandæ eſſent, nulli niſi finito, communicari poſſent. Et 3. à ſeinvicem ſejungi nequeunt, quoniam realiter inter ſe idem ſunt; adeoque unâ atque alterâ earum communicatâ omnes communicari deberent; Quod ut impoſſibile vel ipſi Adverſarii admittunt.

22. Dividitur quoque Accidens, quod ſit vel *ſeparabile*; ſine quo ſubjectum eſſe poteſt; vel *inſeparabile*, ſine quo non eſſe poteſt; Quæ diviſio non planè eadem eſt, cum præcedenti, ut nonnullis viſum eſt: Sed diverſa; nam licet accidens proprium ſit inſeparabile, non tamen omne inſeparabile

bile eſt proprium. Separari nequit nigredo ab Æthiope, ut maneat Æthiops, humiditas, ab aqua, ut maneat aqua; &c. Nec quoque omne proprium inſeparabile, ſed ſolum perfectum; Doctum eſſe, licet hominis ſit proprium, ſeparari tamen poteſt. Et hæc *de Subjecto & Accidente*, adeoque de affectionibus ex dependentiâ ortis, dicta pro inſtituto ſufficient.

Cap. XXIV.

DE

Toto & Partibus.

1. ALtera relatio interna, ex qua Entis reſpectivæ affectiones oriuntur, eſt *Unio*, quæ eſt, *concurſus plurium ad conſtituendum unum*; Unum *hoc totum*, *plura* illa concurrentia *Partes* dicuntur: de quibus nunc agendum.

2. *Totum* ratione nominis, aliquando *abſolutè* capitur, prout partes non reſpicit; atque ſic eſt idem quod *perfectum*, cui nihil deëſt; *ſive ſit pars alterius*, ut Anima dicitur eſſe tota in toto corpore, & tota in ſingulis partibus, ſive *nullâtenus* ſit alterius pars, ut Deus ὅλως ὅλον τι, totaliter totum quid dicitur. Aliquando verò *reſpectivè*, ut partibus opponitur, capitur; Atque ita varias habet latitudines, prout

vel

vel plures, vel pauciores ejus ſpecies conceduntur: *Duæ* autem præ cæteris ſunt notandæ, quarum *primâ latiſſimè* ſumitur, *pro omni* quâcunque ratione *diviſibili*, quomodo & cauſa ratione diverſorum cauſatorum, & cauſatum ratione cauſarum, Accidens ratione ſubjectorum, & ſubjectum ratione variorum accidentium, locatum ratione locorum, & locus locatorum &c. totum dicitur; Atque ita totùm per accidens, ſimul cum toto per ſe comprehendit: *Secundâ adæquatè* ſumitur, *pro ſolo toto, per ſe* dicto.

3. *Totum* autem eſt, *quod unione plurium* (tanquam partium) *conſtat.* Ex quâ definitione conſtat,1. *Totum eſſe aliquo modo unum*, ut quod unione conſtat. 2. *Eſſe aliquo modo multum*, utpote plura ad ſuam unionem poſtulans. 3. *Non differre realiter à partibus*, quâ talibus; Quæ enim ſimul ponuntur ac tolluntur, quorũ unum conſtituit internè eſſentiã alterius, ejusque definitionẽ ingreditur; & quæ ne quidem cogitatione à ſeinvicem ſeparari poſſunt, illa realiter inter ſe minimè differunt. Quod verum eſt, non tantum de partibus ſimul ſumtis, ſed & de ſingulis ſeorſim, modò maneant partes.

4. *Objic.* 1. Partes ſunt priores toto: Prius autem à poſteriore realiter differt. *Reſp.* Antecedens falſum eſt in ſenſu compoſito; Partes enim quâ partes ſunt ſimul cum

toto.

toto. *Objic.* 2 Conſtituens & conſtitutum differunt realiter: At partes ſunt conſtituentes, & totum conſtitutum. *Reſp.* 1. Antecedens in conſtitutione intrinſecâ fallit. 2. Fallit in conſtituentibus per emanationem. 3. Falſum eſt in conſtitutione reciprocâ. At hic 1. eſt intrinſeca conſtitutio, quia partes totius eſſentiam ingrediuntur. 2. Emanativa, quia poſitis partibus, ſine actione interveniente ponitur totum. 2. Eſt reciproca; nam prout partes conſtituunt totum, ita viciſſim totum ipſas partes conſtituit.

5. *Totum variè* à variis *dividitur*; convenientiſſimè (ut mihi videtur, ſalvo aliorum judicio) in *Prædicabile*, *quod* de ſuis partibus *in quid* dicitur, & *integrale*, cujus partes totum *in quid* de ſe dici *non* permittunt; Quæ ex contradictoriis adeoque immediatè oppoſitis terminis differentias habent; adeòque aut reliquas, ab aliis additas ſpecies, excludunt, aut ſub ſe continent.

6. Alii autem addunt 1. *Totum eſſentiale*: Sed omnes partes, ideo partes ſunt, quia totius eſſentiam conſtituunt: At quâtenus eſſentiale totum ſignificat rem aliquam, quæ ex partibus quantitativis, tanquam materiâ, earumque unione, indeque reſultante formâ, conſtat, eâtenus ad integrale totum pertinet, ut quod de partibus

tibus, ex quibus coaleſcit, in quid dici nequit. II. *Alii* addunt totum *perfectionale* quale eſt Deus; Verùm hoc partes non reſpicit, adeoque tantum nomine tenus, quatenus & hoc quod perfectum eſt denotat, totum dici poteſt. III. *Alii* addunt totum *Poteſtativum*, quale eſt anima ratione ſuarum potentiarum, ſecundum quas dicitur eſſe tota in toto; Sed tale totum potius eſt ſubjectum rationt propriorum accidentium, aut cauſa reſpectu effectuum, adeòque totum impropriè & per accidens dictum. IV. *Alii* addunt totum *numericum*, quale eſt numerus ratione partium ex quibus colligitur: Sed hoc totius integralis ſpecies eſt. V. Alii addunt *totum individuale*; quod tamen inter tota prædicabilia pars eſt: Aut ſi materialiter conſideretur, totum eſt integrale, quâtenus res illa ſingularis ex partibus ſuis conſtat. VI. *Alii* denique addunt *totum formale*, quod eſſet ſpecies ratione generis & differentiæ, quibus definitur. Sed 1. Species reverâ generis pars eſt. 2. Et quoniam genus & differentia ſe mutuò penetrant, ad eſſentiale ſtrictè dictum revocari poteſt.

7. *Prædicabile* ſi *nomen* ſpectetur, quandòque notat *omne* id, *quod* quâvis ratione *de alio dici poteſt*; quandoque, *modum* aliquem, *quo* aliquid de alio *dicitur*, quomodo vulgò quinque Prædicabilia dicun-

cuntur Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens. At quandoque & quidem cum adjectione totius, quod in quid, hoc eſt ſynonymicè, & in caſu recto dici de inferioribus poteſt, quomodo hîc accipiendum.

8. *Aliis* totum *Vniverſale* dicitur; Verum 1. nomen id magis ambiguum eſt; 2. Non omne, quod univerſale & de multis dici aptum, eſt ſtatim totum prædicabile, hoc eſt, vel genus vel ſpecies, dici poteſt, v. gr. intelligibile, aliquid &c. 3. Partes huic toti oppoſitæ, ſubjectivæ dicuntur; Subjici autem prædicari, & non æquè univerſali opponitur.

9. Eſt autem totum *prædicabile*, *quod de partibus ſuis in quid dici poteſt*. Eſtque *duplex*, *Genus* reſpectu ſpecierum, & *ſpecies*, reſpectu individuorum.

10. Sed addubitatur hîc, *an Genus ſpecierum poſſit dici totum*, quoniam ſit pars definitionis ſpeciei? *Reſp.* Omninò genus eſt totum; eſt enim 1. ex ſpeciebus, tanquam partibus unitum; 2. Aliquo modo multum. 3. Plura includit, quam ſingulæ ſpecies. 4. Neque à ſpeciebus realiter differt. Ad oppoſitam rationem, nego conſequentiam; Non enim quod eſt pars definitionis alicujus, id ſtatim ejus pars eſt, ut *theſ.* 17. *præced. cap.* oſtenſum. Quin & in cujuſcunque partis definitio-

tionem ingreditur ejus totum, quod tamen ideo ſuæ partis pars non evadit.

11. *Generis variæ* ſunt *ſignificationes*, inter quas communiſſima, quæ hîc retinenda eſt, quâ ſumitur, pro eo toto, quod de pluribus eſſentiâ differentibus in quid prædicatur; Quodque proinde in partes ſub ſe comprehenſas, eſſentiâ ſpecificâ differentes, diviſibile eſt. Partes autem ſub toto comprehenſæ, aliter ſubjectivæ dictæ, ſunt illæ, de quibus ſingulis totum in quid dici poteſt.

12. Ex quibus colligitur, 1. *Genus non poſſe conſervari in unâ ſpecie*: Quoniam de pluribus prædicari debet. 2. *Species infimas ratione individuorum non eſſe genera*; quoniam invidua ſpecie non differunt. 3. Eandemque ob cauſam, 1. *Colorem ratione teporis & fervoris*. 2. *Hominem ratione maris & fœminæ, juvenis & ſenis*. 3. *Deum ratione trium Perſonarum, non poſſe eſſe genus*. 4. *Nihil ineſſe generi, quod non inſit quoque ſpeciebus*; quoniam de iis in quid dicitur; At quidditas eſt ipſa eſſentia, ut ſupra dictum.

13. *Dividitur Genus* 1. *ratione diſtantiæ* à ſpeciebus, in *proximum & remotum*. *Illud* dicitur, quod *immediatè* (id eſt nullo alio genere intercedente) de ſpecie dicitur, ut Animal de homine. *Hoc* verò, quod *mediatè* (id eſt mediante & intercedente

alio

alio genere:) dicitur de ſpecie, ut vivens de homine.

12. 2. Dividitur Genus *ratione ordinis* ad alia, quod ſit vel *ſummum*, vel *ſubalternum*. *Illud* dicitur, quod alterius ratione nunquam ſit ſpecies: Hoc verò, quod ratione inferiorum quidem genus eſt, at ratione ſuperiorum ſit ſpecies. Atque hic notandum 1. hanc diviſionem non eſſe generis formaliter, hoc eſt quâtenus genus eſt, conſiderati; nam ſic genus nunquam ſit ſpecies, adeoque ſemper ſummum eſt. 2. Si tamen duo genera ratione alicujus inferiōris æſtimentur, unum ſummum dici poteſt, quia nullum ſuperius de eo ut inferiori dici poteſt; & alterum ſubalternum, quia dum genus dicitur, adhuc ſuperius aliquod admittit. 3. Summum genus ratione inferiorum duplex eſſe; ita aliud eſt Entium, aliud Prædicamentorum ſeu τῶν κατηγορεμένων. Summum Genus Entium, eſt ipſum Ens, prout in formali Metaphyſicæ ſubjecto ſumitur; idque abſolutè: Reſpectivè autem vel eſt ſubſtantiæ; & in hac, aliud Spirituum, aliud corporum; vel Accidentium, poſito, quod hæc Entia ſint. Summum Genus Prædicamentorum, vel eſt de Subſtantiâ primâ, quorſum ſpectant decem illa Prædicamenta; vel de Actione, quorſum ſpectant hæc ſeptem: Quis, quid, ubi, quibus auxi-

 liis,

liis, cur, quomodo, quando? Et fortè etiam relationum, modorum, &c. ſummæ καληγορημένων genera dari poſſunt. Sed de eis latius in Logicâ differendum, ad cujus curam illa genera καληγορημένων pertinent.

13. 3. Dividitur Genus *in univocum* & *Analogum*. *Illud* eſt, quod ſecundum nomen & definitionem *æqualiter* de ſpeciebus dicitur: *Hoc* verò quod *inæqualiter*. Quare & minus propriè Genus eſt, ut Ens reſpectu ſubſtantiæ & Accidentis; Subſtantia reſpectu increatæ & creatæ. Scotiſtæ æqualitatem iſtam non attendentes, omne genus, etiam cujus nunc propoſita exempla, univocum eſſe volunt; Sed minus commodè; quoniam dependentia unius ſpeciei ab alterâ, manifeſtam inæqualitatem in participatione eſſentiæ involvit: Sed quoniam controverſia eſt de notione generis univoci, potius ea de nomine, quam de re cenſenda eſt quæſtio.

14. *Species* inter varias *ſignificationes*, *tres* huc aliquo modo facientes habet; Nam 1. ſumitur, *pro omni* eo, *quod generi ſubjectum* eſt; atque ita & individua ſpecies infimæ dicuntur; quæ ſignificatio *Ramo* ejúſque aſſeclis propria videtur. 2. Refertur *ad ſuperius* aliquod, & dicitur *ſpecies ſubjicibilis*, quæ tamen ab individuo, ut ſuperior diſtinguitur, quomodo eſt pars ſub-

ſubjectiva. 3. Refertur *ad inferius*, cujus totum eſt, ac *ſpecies prædicabilis* dicitur, quomodo hîc conſideranda eſt.

15. Eſt autem *ſpecies totum prædicabile, numero differentibus tantum conveniens.* Dicitur *totum*, quod totam individuorum, numero differentium, eſſentiam includat; adeòque ex iis collectis, ſi plura ſint, reſultet. Sed quid fiet, *dices*, ſi unum ſaltem ſit individuum, an in eo conſervabitur ſpecies? *Reſp.* Conſervabitur, licet tunc non niſi negativè totum dici poſſit illa ſpecies, prout fuit in Adamo ante creatam Evam conſervata ſpecies humana. Quomodo enim totum poſitivè dici poſſet, cujus una tantum pars eſt; adeò ut pars & totum æquè latè paterent? Negativè tamen totum dici poteſt, quoniam non eſt pars alterius ſpeciei; Aliud igitur eſt ſpeciem, aliud ipſam ut totum conſervari. Dicitur *totum prædicabile*, eo quòd de ſuis partibus, prout & genus de ſpeciebus, in quid dici poteſt. Dicitur *convenire numero differentibus, pluribus*, ſi *propriè* ſit totum, *uni* autem, ſi *impropriè* tale ſit. Dicitur eis *tantum* convenire, ut diſtinguatur à genere, quod quoque ſingularibus convenit, & quandoque proximè, ſed non tantum, quia etiam ſpeciebus eſſentiâ differentibus tribuitur.

16. Dividi poteſt hæc ſpecies, quod

ſit vel *μοναδικὴ*, vel *πολλαδικὴ*; quarum illa uni, hæc verò pluribus convenit individuis: Capienda verò hæc diſtinctio potius materialiter, de iis quæ ſpecies dicuntur, quam formaliter, ut ipſæ ſint totum aliquod: Alioquin enim *μοναδικὴ* ſpecies impropriè totum eſt.

17. Sequitur *integrum*, ſive totum integrale; Hoc autem *aliquando* idem eſt, quod *perfectum*, & mutilo ſive *incompleto opponitur*; Unde quoque per Metaphoram ad animum transfertur, ut *integer vitæ* &c. *Aliquando* omne id integrum dicitur, *quod non eſt pars materialis*, ſive id partes habeat, ut quodcunque totum, ſive non, ut dicitur integra eſſentia. Deinde ſæpius pro ſolo toto quantitativo ſumitur, ac toti eſſentiali ſtrictè dicto opponitur. At *denique* rectius, non minus quam latius à *Ramæis*, prout & *eſſentiale ſub ſe comprehendit*; Atque ita eſt illud totum, *quod de partibus ſuis in quid dici nequit*.

18. Eſt autem hoc *duplex*; *Quantitativum*, cujus *partes* ſunt *extra ſe invicem*; & *Eſſentiale*, *cujus partes ſe mutuo penetrant*.

19. *Quantitativum* 1. eſt vel *continuum*, vel *diſcretum*: *Continuum* eſt, cujus *partes communi termino retinentur*; Eſtque vel *homogeneum*, vel *heterogeneum*; *Illud* partes *ejuſdem*, *hoc diverſi* nominis ac naturæ habet.

habet. Et *hoc* ideo vel eſt *æquale*, cum partes omnes *æqualem habent dignitatem*, vel *inæquale*, *cum diverſam habent dignitatem.*

20. *Diſcretum* totum eſt numerus quilibet, ſive *abſolutus* & numerans, ſive *comparatus* & numeratus, ex unitatibus, tamquam partibus, communi termino non retentis, conſtans.

21. 2. Totum *quantitativum* vel eſt *ordinatum*, vel *inordinatum*. *Ordinatum* eſt, cujus partes communem habitudinem ad ſe & totum habent; aliterque totum *Phyſicum* dici poteſt, quale eſt corpus humanum, Arbor, &c. ratione ſuarum partium. *Inordinatum* eſt, cujus partes ad ſe & ad totum communem ordinem non habent; ac aliter *aggregatum*, *artificiale*, vel & *Politicum* totum dici poteſt, quale eſt v. gr. Philoſophia, Domus, ſylva, collegium &c. ratione ſuarum partium.

22. *Eſſentiale* autem totum, eſt quodvis *compoſitum ex materiâ & formâ propriè*; Et *analogicè* quoque, *quicquid* ex iis, quæ aliquo modo cum materiâ & formâ conveniunt, *componitur*; quorſum ſpectat 1. Omne *concretum ex ſubjecto & accidente*. 2. Quidquid *ex denominante & denominato* confluit. 3. Quod *ex genere & differentiâ* conſtat; Quia in his omnibus partes ſe mutuò penetrant.

23. Sequitur *Pars*, quæ 1. *latè* accipitur, *pro omni* eo, in *quod* quâcunque ratione aliquid *diviſibile* eſt; atque ita & partem per accidens comprehendit. 2. *Strictè* capitur, *pro ſolâ* parte *quantitativâ*; Prout formæ dicuntur non eſſe partibiles, hoc eſt, non habere partes. 3. *Adæquatè* ſumitur, *pro omni* eo, quod *ad eſſentiam totius* propriè dicti conſtituendam requiritur; Atque ita definitur, *quæ cum aliis ſibi junctis totum conſtituit.*

24. *Differentiæ* Partium, *ex totius diviſionibus* non obſcurè patent; ideoque vel eſt *ſubjectiva*, vel *integralis*. *Illa* eſt, *de quâ* totum *in quid* dici poteſt; *Hæc* verò, *de quâ non* poteſt; Quæ differentiæ immediatè oppoſitæ, alias reliquas partes, aut ſpurias, aut ad has revocandas eſſe, ſatis evincunt.

25. *Duplex* autem eſt *ſubjectiva* pars, vel *ſpecies ſubjicibilis*, vel *individuum*. *Species ſubjicibilis* eſt, *in quam ſub ſe comprehenſam dividitur genus*; Vel eſt *pars ſubjectiva Generis*, *eſſentialiter ab oppoſitâ parte diſtans*; Utraque commoda eſt definitio. Nec mireris, hîc iterum de ſpecie agi, cum & paulò antè de ipſâ ſit actum; ejus enim cauſa eſt diverſus, imò oppoſitus, reſpectus, inter ſpeciem ut partem, eamdemque ut totum. Quantò magis illi peccant, qui duplicem illum reſpectum agno-

ſcen-

ſcentes, unicâ tamen definitione ſpeciem explicare conati ſunt.

26. *Dividitur* hæc *ſpecies* 1. in *Proximam* & *Remotam*; illa eſt, *in quam genus immediatè* dividitur: *Hæc* verò *in quam* dividitur *Genus mediante* alio. 2. In *ſubalternam* & *ſpecialiſſimam*; Quarum *illa* ratione inferiorum *fit Genus*; *Hæc* autem *fit ſpecies* prædicabilis; ubi nota 1. hoc intelligi debere ratione materiæ & rei, quemadmodum v. gr. corpus vivens ſpecies eſt corporis naturalis, at Genus animalis: non autem ratione formæ, ut corpus vivens ſit genus, quâtenus ſpecies eſt. 2. Nota; quod hæc ſpecies ſpecialiſſima reipſa idem ſit, cum ſpecie prædicabili infimâ ſuprà traditâ; licet reſpectu, hoc eſt formâ, maximè ab ipſâ differat. Ex. gr. Petri & Pauli ſpecies prædicabilis eſt homo; atque idem quoque ſpecies ſubjectiva ſpecialiſſima eſt, non tamen Petri & Pauli, ſed animalis reſpectu.

27. 3. Dividitur ſpecies in *univocam* & *analogam*; *illa* dicitur, quæ cum oppoſitâ ſibi *æqualiter* de genere participat; At *hæc* quæ *inæqualiter*; Atque tum *una magis* participat, & dicitur *analogata prior*; *altera minus*, & dicitur *analogata poſterior*.

28. *Individuum* eſt *pars ſubjectiva ſpeciei*, *alteri inferiori prorſus incommunicabilis*;

lis; hoc eſt, de nullis inferioribus ſub ſe contentis prædicabilis; Adeoque eſt omne Ens, prout ſingulare eſt & exiſtens; unde & ſupra *cap.* 12. ejus differentiæ traditæ ſunt.

29. At ratione *nominis*, ſive ſigni, quo explicatur, vel *determinatum* eſt, vel *vagum Illud* eſt, quando *ſignum* æquè ac individuum eſt *determinatum*, ſive hoc fiat *nomine proprio*; ſive *appellativo*, pronomine vel, adverbio demonſtrativo addito, *determinato*; ſive *communi* nomine, per deſcriptionem & *περίφρασιν limitato*; ſive propter excellentiam de uno intellecto. *Hoc* verò eſt, quando *nomen non æquè* eſt *determinatum*, ſed indefinitè propoſitum, vel per ſe, vel cum addito ſigno particulari, aliquod individuum & ſingulare denotat. Sed de hoc conſulendi Logici.

30. *Pars integralis* quoque, non ſecus ac totum integrum, *duplex* eſt, vel *eſſentialis*, vel *quantitativa*. *Eſſentialis* eſt, *quæ* non eſt extra oppoſitam partem, ſed vel ipſam *penetrat*, vel ab ipſa penetratur; Quænam autem tales ſint, modò indicatum eſt. Notandum hîc, partes eſſentiales numero ſemper duas eſſe, penetrantem & penetratam; quarum hæc naturâ prior eſt illâ.

31. Pars *quantitativa* eſt, quæ *extra ſibi coordinatas* eſt; Eſtque 1. *continua*, quæ *communi termino* cum reli-

quis

quis copulata eſt; & *diſcreta*, quæ *termino communi* cum reliquis *non* continetur. 2. Eſt vel *ſimilaris*, vel *diſſimilaris*; prout *eamdem naturam*, ac idem nomen cum reliquis & toto habet, *vel non* habet. Ideoque *diſſimilaris*, eſt vel *æqualis*, *ejuſdem* cum reliquis *dignitatis*, vel inæqualis & *diverſæ dignitatis*. *Quæ* proinde vel *Principalis* eſt, vel *minus principalis*, prout præſtantiâ reliquas antecellit, vel ab iis ſuperatur.

32. *Fundamentum* autem iſtius *præſtantiæ*, quâ partes ſe mutuò ſuperant, *non* ſemper *idem* eſt; nam modò eſt *copia* & magnitudo partis, quomodo lapides ædificii principales ſunt partes; *modò* eſt *uſus* major, quomodo Cor præcipua eſt corporis humani; *modò* eſt *conſervatio* reliquarum partium, quomodò domûs eſt fundamentum; *modò arbitraria* quædam *pretioſitas*, quomodo Gemma annuli potiſſima pars dicitur &c. Et hæc de *Toto & Partibus*.

CAP. XXV.
DE
Completo & Incompleto.

1. TOtum, ſi omnes partes, ipſi ſecundum ſpeciem debitas, habeat, *completum* dicitur: At ſi ipſi quædam deſint,

incompletum; Prout & ſingulæ partes totius reſpectu incompletæ dicuntur; De his igitur affectionibus nunc dicendum.

2. *Completum* autem aliquando idem eſt, quod *perfectum*, prout nonnulli Autores indifferenter terminis Completi ac Perfecti utuntur; Atque ſic incompletum idem eſt, quod imperfectum: Attamen perfecti & imperfecti alia eſt ratio, ut *cap.9.* oſtenſum. Aliquando verò *completum* dicitur, quod *ex incompleto* vi actionis intercedentis, tale eſt, ut anteà fuerit incompletum; Atque tunc participii ſignificationem habet. Aliquando id, *quod omnes partes habet*, non attendendo, an prius fuerit incompletum, nec ne. Aliquando quoque idem eſt, quod *conſummatum*, ut tunc incompletum idem ſit, quod inchoatum. Quæ *tres ultimæ* acceptiones hic *conjungendæ* ſunt; quoniam totum ex partibus reverâ conſtans, ſi aliquis horum modorum deſit, incompletum dicitur; at iis præſentibus completum eſt.

3. **Eſt igitur completio *modus totius*, *quo id habet omnes partes*, *ſibi ſecundum ſpeciem debitas*.** Quare non realiter differt à toto, ſed idem planè cum ipſo eſt, quemadmodum perfectio cum Ente.

4. *Dices*: At ſic Deus & Angeli non poſſent dici completi, utpote qui ob perfectionem ſuam partes reſpuunt. *Reſp.* Di-

cun-

cuntur completi, eodem pacto ac toti; id eſt, quâtenus totum & completum idem, quod perfectum denotat: non verò per ordinem & reſpectum ad partes.

5. Quoniam autem idem eſt totum & completum, hoc quoque eodem modo ac illud dividi poterit. Notandum tamen potius totum integrale, quam prædicabile completum dici; Quare hinc *completum* potiſſimum eſt vel *eſſentiale*, vel *quantitativum*; & hoc *magnitudinis* & *numeri* reſpectu, vel *continuum*, vel *diſcretum*.

6. *Eſſentiale* completum dicitur *totum ex materiâ & formâ* conſtans. *Continuum* completum conſiſtit *in* legitimâ *partium magnitudine*: *Diſcretum* verò *in debito* earum *numero*.

7. *Incompletum* quibus modis capiatur, *ex acceptionibus completi* liquet. Tribuitur autem vel *parti uni ſeorſim* acceptæ; quomodo corpus humanum & mens, ſigillatim ſi ſumantur, incompleta dicuntur. Quæ ſatis frequens eſt acceptio: Atque ita quemadmodum completum nihil aliud eſt, quam totum, ita *incompletum idem eſt, quod pars.* Quare ſicut ideò pars ratione Entitatis non eſt in ſe imperfectum quid, licet accedente reſpectu quodam ad totum ordinetur; ita tali modo incompletum non eſt aliquid in ſe imperfectum: ſed po-

tius eo ipſo quia Ens eſt, debitâ ſibi perfectione gaudet.

8. Vel *incompletum* tribuitur *toti*, idque vel *in fieri*, vel *in facto* eſſe. Incompletum *in fieri* dicitur totum, quâtenus ipſi adhuc quædam partes ſunt adjungendæ; ita incompletus eſt tractatus, cui nondum extrema manus eſt addita: Eſtque ſic idem quod inchoatum.

9. Incompletum *in facto* eſſe dicitur totum, *cui partes quædam deſunt* per privationem, quæ adeſſe debebant; Atque ita idem eſt, quod mutilum, mancum, defectuoſum, truncatum &c. ſive illæ partes ab ipſo ortu deſint, ſive poſtmodum fuerint ſublatæ.

10. Eſtque hoc *duplex*, *reparabile*, vel *irreparabile*; Prout illæ partes ordinario naturæ curſu reſtitui & ſuppleri poſſunt, vel ſecus; Quorum exempla paſſim obvia. Et *hæc de completo & incompleto*.

CAP. XXVI.

DE

Subjecto & Adjuncto.

1. SEquuntur nunc affectiones, *ex Relationibus externis ortæ*; Sunt autem *duæ* tales relationes *Appoſitio* & *Circumſtantia*.

2. Ap-

2. *Appoſitio* eſt *unius ad alterum externa coordinatio.* Quare hinc patet 1. *In omni appoſitione eſſe duo; unum quod apponitur, & alterum cui apponitur.* Unde fluit, idem ſibi ipſi apponi non poſſe; quare cum judicium Appoſitionis ſpecies eſt, in eo nemo in propriâ cauſâ judex eſſe poteſt. 2. *In omni appoſitione eſſe ordinem*, adeo ut unum propter alterum adſit, & præcipuè appoſitum, propter id cui apponitur. Hinc veſtimenta propter hominem, & non homo propter veſtimenta. 3. *Appoſitum eſſe extra eſſentiam ejus cui apponitur.* Quod igitur rei pars eſt, id ejus adjunctum dici nequit. 4. *In omni appoſitione eſſe cognationem & convenientiam quamdam.* Atque hinc in omni poſſeſſione, convenientia requiritur inter poſſeſſorem & poſſeſſum. *Convenientia* autem illa vel eſt *à naturâ*, ut in familiâ, vel *ab inſtitutione*, qualis eſt in hæreditate, donatione, contractu, occupatione, ſervitute &c. 5. *Poſito eo quod apponitur, etiam poni, id cui apponitur*; ita poſitâ uxore, ponitur maritus; poſito emente, ponitur vendens &c.

3. Eſt autem *duplex oppoſitio*, *ſimplex & connotata.* *Prior* eſt *nuda* adjunctio unius ad aliud: *Poſterior* verò eſt appoſitio *cum intercedente functione*, officio, aut operatione.

4. *Adjunctio* varias habet ſpecies, v. gr.

Adhæſionem, *Appulſionem*, *Adjacentiam*, *accubationem*, *incubationem*, *impoſitionem*, *Aſſeſſionem*, quas ſigillatim explicare hujus non eſt loci; Saltem hoc explicandum, quod ipſis commune eſt, ipſum videlicet *ſubjectum*, & *adjunctum*.

5. *Subjectum* igitur hîc eſt, *cui aliquid præter eſſentiam extrinſecus adjungitur*; inter hoc & ipſi oppoſitum adjunctum talis eſt relatio, ut quod modo ſubjectum dicitur, mox pro adjuncto haberi poſſit, & contra; Ex. gr. Vitrum ſubjectum dici poteſt Vini, tamquam adjuncti; & conſimiliter Vinum ſubjectum & Vitrum adjunctum appellari poteſt. Uſus tamen obtinet, ut illud ſubjectum dicamus, quod vel prius eſt, vel copiâ, & dignitate antecellit, vel alterum ſuſtentat, & conſervat.

6. Subjecti *diviſiones* ſecundum diverſas illas ſpecies, ob inſignem earum varietatem dari non poſſunt; *Accidentales*, à communibus quibuſdam fundamentis petitæ, hæ potiſſimum ſunt 1. *Subjectum* eſt vel *proprium*, vel *commune*. *Proprium* eſt, cui adjunctum ſuum *tantum* adhæret; quale eſt homo veſtium. *Commune* verò eſt, cujus adjunctum *etiam aliis* ſubjectis adhæret, quale eſt Ariſtoteles librorum.

7. 2. *Subjectum* eſt vel *totale*, vel *partiale*:

tiale : Illi ſecundum omnes partes : huic verò *ſecundum hanc & illam* tantum adjunctum adhæret: Ita totale ſubjectum eſt Petrus veſtimentorum, at partiale ratione annuli, quem in digito tenet.

8. 3. *Subjectum* eſt vel *neceſſarium*, vel *contingens*. Prius eſt, *ſine quo non* eſt adjunctum, ut Reſpublica eſt Magiſtratus. *Poſterius* verò *ſine quo* eſt adjunctum, ut templum turris.

9. 4. *Subjectum* eſt vel *per ſe*, vel *per accidens*; Quæ diviſio, aliquando cum ſecundâ videtur coincidere: At aliquando accipitur, ut ſubjectum per ſe dicatur, quod ſuâ naturâ ordinatum eſt ad adjunctum: Et per accidens, quod ſuâ natura non eſt ad illud deſtinatum. Ita ſtudioſus eſt ſubjectum per ſe librorum, & per accidens gladii.

10. *Adjunctum latè* dictum ſignificat, *omne* illud, quod præter eſſentiam rei adeſt; & ſic quoque accidens ſub ſe comprehendit: *Preſſius* denotat omne *appoſitum*, & ſic quoque objectum & ſignatum adjuncta dicuntur. *Strictè* quoque *ſocium* fortunarum denotat: *Hic* verò eſt, *quod præter eſſentiam ſubjecto extrinſecè nudè apponitur*: Et ſubjecto jam explicato opponitur.

11. Ejus *diviſiones*, ex iis, quæ de differentiis ſubjecti dicta ſunt, haut magno negotio cognoſci poſſunt. Et hæc de ſubjecto & adjuncto

CAP.

CAP. XXVII.

DE

Subjecto & Objecto.

1. *Appoſitio connotata triplex* eſt: 1. *Occupatio.* 2. *Significatio.* 3. *Menſuratio. Occupatio inter Subjectum & Objectum: Significatio inter Signum & Signatum: Menſuratio inter menſuram & menſuratum* intercedit, *de quibus nunc* ordine agendum.

2. *Occupatio* eſt *appoſitio connotata, quâ unum circa alterum habet operationem*; Unde patet 1. *in omni occupatione eſſe duo*, ſubjectum, quod operatur, & objectum, cui iſta operatio applicatur. 2. *Omne ſubjectum occupationis circa objectum eſſe*; Unde nulla ars, aut ſcientia ſine objecto eſſe poteſt; Quo fundamento *Ramæi* in perniciem *Metaphyſicæ* abutuntur. 3. *Omne ſubjectum occupationis debere aliquid agere.* 4. *Poſito objecto, poni ſubjectum*, vid. in ſenſu compoſito; Dum enim ponitur patiens, poni debet & agens.

3. *Objectum* hoc ratione communium differentiarum *dividitur*: 1. quod ſit vel *Materiale*, vel *formale*. *Prius* eſt illud *totum*, circa cujus partem, vel accidens, vel aliud ad ipſum pertinens, agens eſt occcupatum: *Poſterius* verò eſt *præcisè illud*, circa quod

in illo toto ſubjectum occupationem habet. Ita objectum materiale viſus eſt paries, at formale ejus color. Atque ad hunc modum *etiam ſubjectum* dividi poteſt; ut materiale, ſit totum ſuppoſitum agens, ut Petrus videns parietem: Et formale illa ratio, ſecundum quam agit, ut viſus Petri circa parietem.

4.. 2. *Objectum* eſt vel *reciprocum*, vel *non reciprocum*: *Illud* voco, *quod* ſuâ actione *reagit* in ſubjectum: *hoc* verò *quod non reagit*, ſed tantum in ſe recipit actionem ſubjecti; ita qualitates contrariæ ſibi mutuò ſunt objecta reciproca, ita reus in foro objectum reciprocum eſt Actoris. At Advocatus ſui clientis non reciprocum. Notandum tamen reciprocum objectum non reagere, ut objectum, ſed ut ſubjectum; adeò ut ejus reactionis reſpectû, quod prius erat ſubjectum, nunc dicatur objectum.

5. 3. *Objectum* eſt vel *proprium*, vel *commune*; *illud* eſt, cui *ſoli* functio talis ſubjecti applicatur, ut eſt ſapor guſtus: *Hoc* verò, circa quod talis functio ſubjecti *tantum non* verſatur, ut ſunt Motus, magnitudo & figura, viſus. Dicitur expreſſe *functio talis*; Diverſas enim functiones ſi ſpectemus, vix dabitur Objectum proprium, circa quod alia etiam ſubjecta non ſint occupata.

6.

6. 4. *Objectum* eſt vel *per ſe*, vel *per accidens*. *Prius* dicitur, circa quod quâ tale, ſubjectum quâ tale eſt occupatum; ideoque eſt formale objectum; circa quod agit formale ſubjectum, ut *viſus* circa colorem. *Poſterius* verò dicitur, quando refertur objectum materiale, ad ſubjectum formale, ut cum ſapor dicitur guſtare pomum; vel quando Subjectum materiale refertur ad objectum formale, ut cum homo videt colorem; vel quandò utrumque eſt materiale, ut cum homo ſentit ignem.

7. 5. *Objectum* eſt vel *proximum* vel *remotum*. *Illud* dicitur, cui *proximè* applicatur operatio agentis: *Hoc* verò, quod *intercedente alio* objecto. Ita ignis proximè verſatur circa cibi calefactionem, remotè verò circa ejus coctionem. Ex quo patet, inter objecta etiam ſubordinationem eſſe; nec mirum hoc, quoniam ad illa requiritur actio, adeo ut ſubjectum ſemper ſit cauſa aliqua, non quidem objecti ſemper, ſed etiam alicujus in & circa ipſum. Nota tamen, objectum proximum, ratione remoti eſſe ſubjectum, non objectum.

8. 6. *Objectum* eſt vel *Principale*, vel *minus principale*: *Principale* eſt, circa quod *præcipuè* verſatur actio ſubjecti, ut Studioſus circa ea, quæ utilitatem afferunt in libris. *Minus principale* verò, circa quod

po-

potiſſima cura non verſatur, ut Studioſus circa inutilia utilibus permiſta.

9. Dividitur quoque aliquando *Objectum*, in objectum *tractationis*, operationis, & *informationis*. Sed 1. illa tantum in artibus obtinet. 2. Infiniti penè ſunt modi, quibus unum circa aliud occupatũ eſſe poteſt. 3. Et cum omne ſubjectum operetur, etiam omne objectum erit operationis, adeò ut ſecundum membrum reliqua includat; quoniam quod tractat & informat etiam operatur. Ex his autem diviſionibus Objecti differentias Subjecti, ad objectum relati, facilè cognoſces. Sint igitur hæc de Subjecto & Objecto.

CAP. XXVIII.
DE
Signo & Signato.

1. SEquitur *Significatio*, quæ eſt *appoſitio connotata, quâ unum aliud aliquid indicat.* Quare *in omni* ſignificatione eſt indicans, quod *Signum*, & indicatum, quod *ſignatum* dicitur. Unde 1. *nihil ſui ipſius ſignum eſſe poteſt.* 2. *Signum aliquid alicui alteri ſignificare debet*, non ſibi ipſi; Unde *duplex* oritur ſigni *relatio*, *una ad rem* ſignificatam, quæ hic ſpectatur; *altera ad potentiam*, cui rem ſignificat; quæ occu-

occupationis eſt ſpecies, quia illa potentia eſt ſigni objectum. 3. *Signum indicat aliud cognoſcenti*, vel ſenſui vel intellectui: Quare ſublato cognoſcente ſignum formam amittit.

2. Sumitur autem *ſignum* quoad vocem 1. pro *Argumento*. 2. Pro *vexillo*, quod ſignum militare eſt. 3. Pro *puncto* in Geometriâ. 4. Pro certâ ſtellarum *conſtellatione* in Aſtrologiâ. 5. Strictè pro admirando quodam opere, *miraculo*, in S. Scripturâ. 6. Pro *omni indicante*, ut hîc.

3. Definitur, *Burgerſdicio* ex *Goclenii Lexico Philoſ. quod ſe ipſum ſenſibus, & id cujus ſignum eſt, intellectui offert*. At 1. Non omne ſignum ſenſui eſt obvium, ut ſatis oſtendunt notiones ſecundæ, quæ ſigna rerum & conceptuum ſunt in ipſo intellectu, in quo ſunt. 2. Non omne ſignum aliquid intellectui offert. Habent quippe & bruta animantia ſua ſigna, ut in canibus manifeſtum, at intellectu carent. Sufficiat igitur generalis definitio, *quod ſit aliquid, à ſe diſtinctum aliud indicans*.

4. *Differentiæ* ſignorum *variæ* ſunt; Nam *primò ratione efficientis*, ſunt vel *naturalia*, vel *arbitraria*. *Illa* ſunt, quæ ſuâ *naturâ* indicant: *Hæc* verò, quæ *ex inſtituto*; Sive *divino*, ut Sacramenta: Sive *humano*, ut voces rerum. *Naturalia* porrò ſigna majorem adhuc ad ſua ſignata re-

requirunt habitudinem. Nam ſignatorum vel *cauſæ* ſunt, ut Lunæ aſcenſus ad meridianum æſtus marini, vel *effecta*, ut actiones læſæ morborum; vel ſignum & ſignatum ſimul ſunt *concauſæ* tertii alicujus, ut ira eſt impotentis animi ſignum; vel ſunt ejuſdem cauſæ *effecta*, ut tonitru fulminis; vel ſignum eſt *accidens proprium* ſubjecti ſignati, ut nigredo faciei Æthiopis; vel eſt *totum partis*, ut animal cordis; Vel *pars totius*, ut ex conſpectâ facie per feneſtram judicatur totius præſentiâ.

5. *Secundò ratione ordinis*, ſignum eſt vel *proximum*, quod *immediatè* rem ſignificat, ut fumus combuſtionem; vel *remotum*, quod intercedente alio ſigno ſignatum indicat, ut ſpecies, vel phantaſma, vel umbra fumi, combuſtionis eſt. Atque hinc patet, etiam in ſignificatione eſſe quamdam ſubordinationem, quâ rectè ſtatuitur, id quoque *ſignum eſſe ſignati, quod eſt ſignum ſigni.*

6. *Tertiò*, *ratione adjunctorum* ſignati, ſignum vel eſt *præſentis* rei, diciturque διαγνωστικὸν & demonſtrativum; vel *abſentis*, ſive *futuræ*, & προγνωστικὸν ac prænuntians appellatur; ſive *præteritæ*, & ἀναμνηστικὸν, & recordans ac commemorans audit. Huic reſpondet diviſio ſigni in *antecedens*, *conſequens* & *conjunctum*. *Antecedens* quippe eſt διαγνωστικὸν, *Conſequens* ἀνα-

ἀναμνηστικόν; & *Conjunctum διαγνωστικόν.*

7. *Quartò*, *ratione nexus* cum ſignato, eſt vel *neceſſarium* vel *contingens. Illud* eſt, quod *ſemper* indicat: Hoc verò quod *non ſemper* indicat; ita ſenectus eſt neceſſarium ſignum antegreſſæ juventutis: Sed juventus eſt contingens futuræ ſenectutis. Græci peculiari nomine neceſſaria ſigna *τεκμήρια*, & contingentia *εἰκότα* appellant.

8. *Quintò*, *eâdem ratione* ſignum eſt vel *proprium*, vel *commune. Illud* eſt, quod *ſolum* illud ſignatum indicat, ut tuſſis affectum pulmonum; *Hoc* verò, quod etiam *aliis commune* eſt, ut dolor lateris pleuritidem indicat. Signa propria Medicis dicuntur *παθογνωμονικά*, eô quod directè tantum illum affectum deſignent; Et plerumque ex *συνδρομῇ* plurium ſignorum communium conſtituuntur.

9. *Sextò*, *ratione officii*, ſignum eſt vel *indicans*, vel *indicans & obſignans*; *Indicans*, ſi rei *præſentis* ſit, Græcis *γνώρισμα* dicitur; Et ſi *proprium* fuerit, *nota*; licet quandoque & commune ſignum nota dicatur, id tamen minus commodè fieri judicandum eſt. *Conditiones* enim *notarum* requirunt, ut ſint *propriæ* notato, ipſo *notiores*, ac ab ipſo *inſeparabiles*: Ita pura doctrina & rectus uſus ſacramentorum ſunt notæ veræ Eccleſiæ. Præterea ſi indicans fuerit rei *præteritæ*, dicitur Græcis *μνημόσυνον*, ſive,

com-

commonefaciens. *Obſignantia* ſigna (Græcis σφραγίδες dicta) ſunt, quæ ſignatum non tantum indicant, ſive præſens, ſive præteritum, ſed etiam veritatem alicujus roborant. Huc ergo pertinent *Sacramenta*, *Sigilla*, *Pignora*, *Arrhæ* &c.

10. *Septimò*, Signum eſt vel *indicans tantum*, quod & *materiale* dicitur; Vel *indicans & repræſentans*, quod *formale* appellatur. Hujus generis ſunt *imagines*, *ſtatuæ*, *picturæ*, *comœdiæ*, *notiones primæ & ſecundæ*, *ſpecies intelligibiles* &c.

11. Plures differentias ſignorum apud Metaphyſicos habere poteris, ut quod ſit vel *actuale* vel *potentiale*, *doctrinale*, vel *non doctrinale*; *Proprium* vel *improprium*; *Theoricum & Practicum*; σημαντικὸν *vel* μεταδοτικόν: Sed vel ſpuriæ, vel inutiles ſunt, vel ad ſuperiores reduci poſſunt, Atque *hæc de Signo & Signato*.

CAP. XXIX.

DE

Menſurâ & Menſurato.

1. RElſtat inter appoſitionis ſpecies *Menſuratio*, *quâ unum alterius magnitudinem*, *numerum*, *perfectionem aut durationem menſurat*: ubi menſurans dicitur *menſura*, prout alterum *menſuratum*.

2.

2. *Vox* quidem *menſuræ* primò adhibita videtur, ad denotandam ſolam dimenſionis magnitudinis regulam: Sed poſtea, non ſecus ac alii termini, uſurpari cæpit, pro omni æſtimatione partium, vel quaſi partium, prout hic capitur.

3. Eſt autem *menſura, quâ in quovis extenſo & limitato partes æſtimantur*. Non igitur hic eſt ipſa extenſi cujuscunque limitatio, (quia hæc modus eſt, ut *ſuperiori tractatu* dictum:) ſed ipſius limitationis æſtimatio; in quovis extenſo, videlicet non tantum in magnitudine, ſed & in omni eo, in quo aliquo modo partes adeſſe concipiuntur.

4. Id autem, quo extenſi partes æſtimantur, *primò debet eſſe certum*; id eſt, notum, ac minimè dubium; quoniam enim omnis æſtimatio cognitionem præſupponit, & quidem certam, quomodo ex regulâ quâdam partes æſtimari poterunt, niſi illa certa ſit? Et quo pacto certitudo partium deſumetur ex eo, quod certum non eſſet? Prout igitur ſignum ſemper debet eſſe notum, ita & menſura. 2. *Debet id eſſe conſtans*; Quia notum ac certum eſſe debet; omne autem certò notum non poteſt ſe aliter habere. Et menſura eſt regula menſurati, omnis autem regula firma eſſe debet, adeòque & conſtans. *Menſura debet eſſe prima*; juxta tritum

tum hoc; *Primum in unoquoque genere eſt menſura reliquorum*. Ratio eſt, quia menſura quâ talis eſt incommenſurabilis: At nihil eſt incommenſurabile, niſi ſit in unoquoque genere menſuratorum primum; poſteriora enim omnia à primo menſurantur. 4. *Menſura debet eſſe æqualis menſurato*: Ratio eſt, quia æſtimatio partium non fit per inæquale judicium: At inæqualis menſura inæquale judicium proferet. 5. *Menſura debet eſſe indiviſibilis*. Ratio eſt, quia debet eſſe prima. At primum quâ tale in priora eſt individuum; Et ſi menſura debeat eſſe æqualis menſurato, etiam erit indiviſibilis; factâ enim diviſione minor evaderet. 6. *Menſura & menſuratum ejuſdem debent eſſe generis*. Ratio eſt, quia primum & ſecundum ejusdem ſunt generis: At menſura eſt prima. Et deinde quæ æqualia dicuntur, ejuſdem debent eſſe generis: At menſura menſurato dicitur æqualis.

5. Sed ut planiora fiant hæc axiomata, diſcutienda breviter, quæ ſcrupulum hic movere poſſent. Ad *primum* igitur & *ſecundum dici* poteſt, menſuram ſæpe ab arbitrio humano dependere, eôque mutari indies, prout in Monetis, ponderibus &c. res aperta eſt. *Reſp.* Certitudo & conſtantia illa menſuræ conſiſtit in debitâ exæquatione utriuſque, quæ immutabilis eſt,

licet ſecundum appellationem pro arbitrio mutetur menſura: Ea enim ſi in minorem, mutetur, non erit prioris menſurati menſura, ſed quarumdam ejus partium; prout ſi in majorem excreſcat, plures ad menſuratum partes requirit. *Ex. grat.* Sedecem unciæ Argenti libram conſtituunt; Manente autem eâdem argenti quantitate, manet quoque conſimiliter ipſi reſpondens pondus: At ſi duodecem unciæ libram poſteà efficiant, non erit tunc talis libra iſtius argenti menſura, ſed aliquarum ejus partium; Manet igitur pondus & menſura, ſed mutatur appellatio.

6. Ad *tertium dici* poteſt; Menſuram plerumque ex aliâ oriri menſurâ, prout ulna ex ſuis partibus, libra ex unciis, uncia ex dragmis &c. conſtituitur; At nullum ortum ex alio primum eſſe poteſt. *Reſp.* Menſura prima in ſuo genere dicitur prout eſt menſura; adeoque ulna prima eſt in genere ulnarum, libra in genere librarum, uncia in genere unciarum, prout ſunt menſuræ longitudinis ac ponderoſitatis tantæ; non quòd ipſæ abſolutè ſint primæ, nec ex aliis compoſitæ; id enim non requiritur, niſi & menſuratum abſolutè tale ſit.

7. Ad *quartum dici* poteſt, quod ſuprà *cap. 9. th.* 23. objiciebatur, voluntatem divinam ſic non poſſe eſſe menſuram

boni

bonitatis Entium; quoniam illa longè imò infinities, reliquorum Entium bonitatem ſuperat. Sed & ibi *dictum*, illam æqualitatem in univocâ menſurâ, ubi videlicet menſura, non tantum quâ menſura, ſed & quà res in ſe, ejuſdem eſt generis cum menſurato, non in proportionali, ubi menſura quidem quâ talis, non autem quâ res, ejuſdem cum menſurato eſt generis, locum habere. In hac quippe non convenientia, ſed vel exorbitantia, vel defectus menſurati cum menſurâ æſtimatur; ubi in illâ conſideratur requiſita convenientia; Ita igitur rectum ſui & obliqui, virtus ſui & vitii, perfectio ſui & imperfectionis menſura eſt, non univoca, ſed proportionalis, exceſſum, vel defectum æſtimans. *Vrgeri* quoque poteſt, in extenſivis minimum, in intenſivis maximum, reliquorum eſſe menſuram, utpote quæ in illis prima ſunt; At minimum & maximum non ſunt æqualia menſurato. *Reſp.* 1. Intelligi debet illa æqualitas adeſſe in convenienti menſurâ, non in illâ quæ proportionalis eſt, qualis eſt illa minimi & maximi, utpote quæ oſtendunt, quomodo menſurata ab illis recedant. 2. Et omninò dum æqualis dicitur eſſe menſura menſurato, ideo & minima & maxima eſſe debet; Si enim major aut minor diceretur, inæqualis foret; ita ex. gr. libra

reſpectu argenti ejuſdem ponderis & minima & maxima eſt; quoniam ut ſit menſura argento æqualis, neque major, neque minor eſſe poteſt. 3. Et cum minimum & maximum dicuntur menſuræ, hoc intelligi debet de menſurâ primâ abſolutè, ad quam reliquæ omnes reducuntur, & æſtimantur.

8. Ad *quintum urgeri* poteſt, omnem penè menſuram dividi, prout magnitudo & tempus in indefinitum, ulna in partes ſuas, pes in digitos, libra in uncias. *Reſp.* Menſura prout eſt menſura dividi nequit: at prout ipſius partes, quas quâ res, non quâ menſura, obtinet, aliâ menſurâ menſurari poſſunt, ita quoque diviſibilis fit, videlicet quâ res, non quâ menſura, prout hoc modo nec major nec minor eſſe poteſt. 2. Intelligi poteſt axioma de menſurâ in quocunque genere abſolutè primâ, quæ ut ſic indiviſibilis eſſe debet. 3. Sed potius omni menſuræ tribuendum videtur, quæ eô ipſo, quod menſuret menſuratum, illas partes indiviſibiliter habere debet, quas habet menſuratum. Atque eodem modo capi debet, quod eſſentiæ rerum ratione indiviſibilitatis, ſint inſtar numerorum; ab his enim, licet quâ numeris diviſibilibus, nihil aufferri, nihilque iis addi poteſt, niſi alii atque alii fiant. Ita igitur indiviſibilis menſura decem hominum

eſt

eſt numerus denarius, quoniam ſi eum dividere tentes, è veſtigio menſura eſſe deſinet.

9. Ad *ſextum* itidem afferri poteſt, quod *d. l.* objectum fuit, voluntatem divinam eſſe menſuram omnis bonitatis creatæ, cum tamen toto ab ipſa genere diſtet; prout & ulna panni menſura, quia lignea, ferrea, aut oſſea eſt, toto genere à panno diſtat. Sed ibi *reſponſum*, homogeneitatem eſſe Mathematicam & in genere menſuræ, non Metaphyſicam & in genere Entium. Nam longitudo longitudine, latitudo latitudine, corpulentia trinâ dimenſione, multitudo multitudine, motus motu, duratio duratione, perfectio perfectione menſurari debet. *Dices*: at intellectus apprehendendo objectum, dicitur ejuſdem menſura: At intellectus non eſt objecto homogeneus. *Reſp.* Actus intelligendi tunc ſpectatur concretè, cum objecto ſumptus; Prout intellectio hominis, id eſt vera ejus ac actualis clara ac diſtincta apprehenſio, menſura dicitur eſſe hominis, & cum eodem in genere menſuræ, ejuſdem generis eſt.

10. *Differentias* varias admittit menſura; & quidem 1. eſt vel *univoca* vel *proportionalis*; *Prior* dicitur, cum menſura, & quâ talis, & quâ res, *ejuſdem generis* ac quantitatis eſt cum menſurato. At

Proportionalem dico, in quâ menſura quidem quâ talis,*non* autem quâ res & quanta, *ejuſdem generis* eſt cum menſurato. *In hac* igitur eſt ratione rei perpetuâ *inæqualitas*; Adeoque talis eſt vel *excedens*, cum ipſa ſuperat menſuratum quantitate, vel *deficiens*, cum ſuperatur à menſurato; *Prioris* exemplum eſt voluntas Divina ratione bonitatis Entium Creatorum; *Poſterioris*, linea recta ratione curvæ.

11. Menſura 2. *ratione efficientis*, vel eſt *naturalis*, vel *arbitraria*. *Illam* voco, quæ *à naturâ* ad menſuratum ordinata eſt, ut Lex Naturæ eſt vitæ & operationum humanarum, honeſti & turpis: *Hanc* verò, quæ *ab arbitrio* hominis æſtimat menſurati partes, ita gradus dignitatis inter homines, pretioſitatis in metallis, gemmis &c. menſura eſt arbitraria.

12. 3. Menſura eſt vel *prima*, vel *orta*. *Illa* eſt, quæ in eodem genere *à nullâ aliâ* menſuratur, ſed ipſa menſurat reliquas; ita unitas in multitudine & numero prima eſt: *Hæc* verò, quæ in eodem genere *ab aliâ* menſuratâ menſuratur, ut numerus denarius ab unitate, & leges civiles à lege naturæ.

13. 4. Menſura eſt vel *menſurans*, vel *menſurata*. *Prior* dicitur illa *forma*, quâ partium fit æſtimatio: *Hæc* verò ſunt *ipſæ partes* menſuratæ. Attamen ultima hæc

im-

impropriè dicitur menſura; Menſuratum enim menſuræ opponitur, adeoque non niſi abuſivè menſura dici poteſt. Ejuſdem farinæ & explicationis eſt, ejus diſtinctio in *activam* & *paſſivam*; Activa enim menſurans, & paſſiva menſurata dicitur.

14. 5. *Menſura* eſt vel *univerſalis*, quæ *ubique & ſemper* eadem obtinet, ut lex naturæ; vel *Particularis*, quæ vel *non ubique*, vel *non ſemper* obtinet, ut lex ceremonialis, Pretium auri, Gemmarum &c.

15. 6. *Menſura* eſt vel *intrinſeca* vel *extrinſeca*. *Illa* dicitur, quæ eſt *in menſurato*; hæc verò, quæ *extra illud* eſt; Quæ ſi *ratione eſſentiæ* intelligatur, *inconveniens* cenſenda eſt; omnis enim menſura eſt extra eſſentiam menſurati: At ſi capiatur *de loco*, *veritati non obſtabit*, ſi exempla proferantur intrinſecæ menſuræ.

16. 7. *Ratione menſurati*, tanquam in ſpecies dividi poteſt menſura, quod ſit vel *magnitudinis*, vel *multitudinis*, vel *Perfectionis*; vel *Durationis*, vel *Actionis*. Menſura *magnitudinis*, vel eſt *longitudinis*, ut ulna, ſtadium, milliare; vel *latitudinis*: ut jugerum; vel *corporeitatis*, ut hemina, tonna &c. Menſura *multitudinis* eſt *numerus*. Menſura *perfectionis* *Gradus* dicitur, qui vel in *virtutibus* medicamentorum, vel in *celeritate ac tarditate motûs*, vel in *Gravitate & levitate*, quorſum omnia

ſpectant *pondera*, vel *in dignitate* ac præſtantia, ſive *hominum*, quæ *nobilitas* dicitur, ſive *aliarum rerum*, quæ appellatur *pretioſitas*. Menſura *durationis* eſt *tempus*, ut Annus, menſis, hora, &c. Menſura *actionis* eſt *regula* actionibus humanis præſcripta, ut jus, lex &c. Quas ſpecies omnes enumerare, brevitas noſtra vetat. Sint *hæc* igitur *de Menſura & Menſurato*.

CAP. XXX.

DE

Antiquo, Novo; Præterito, Præſente & Futuro.

1. RESTAT tandem inter Relationes primas *Circumſtantia*, quæ eſt *relatio inter præſentiam unius Entis & præſentiam alterius*; Quare non accipi debet pro ipſâ præſentiâ loci vel temporis; nec quoque pro omni nudè appoſito, prout à *Burgerſdicio* uſurpatur; multò minus pro omni termino externo.

2. Quoniam autem relatio determinatæ ſaltem eſt præſentiæ, ideo quoque non niſi *Enti finito convenit*, non infinito, utpote cui illæ denominationes tutò tribui nequeunt. Hic tamen explicandæ ejus denominationes, quia etiam per ſimilitudinem

nem quandoque ei tribuuntur.

3. Quia verò vel *loci*, vel *temporis* eſt *præſentia*, ideò quoque *relatio* illa præſentiarum, vel *à loco*, vel *à tempore* deſumitur; adeo ut *hinc diverſæ* oriantur *denominationes*, ſive relatæ Entis affectiones. Et quidem *primò à præſentiâ temporis* dicitur Ens *Antiquum*, *Novum*, item *Præteritum*, *Præſens & Futurum*.

4. *Antiquum* dicitur, quod quaſi *ante ævum* præſentiam habuit, adeoque idem eſt, quod vetus ac priſcum; Quare *fundamentum* Antiquitatis eſt *diutina diſtantia* ratione anterioris, ab eo, quod nunc durat.

5. *Novum* dicitur, quod *nuper* fuit, aut incepit; eſtque idem quod *recens*; *Fundamentum* autem novitatis eſt *exigua diſtantia* ratione anterioris, ab eo quod nunc præſens eſt.

6. *Præteritum* dicitur, quodcunque *ratione anterioris diſtat*, ab eo quod nunc præſentiam obtinet. Prout *Præſens*, quod *ſimul eſt* cum eo, quod nunc eſt. Et *futurum*, quodcunque *ratione poſterioris* diſtat.

7. Ex quibus patet, *differentias* harum affectionum *ratione ordinis* & ſucceſſionis alicujus in præſentiâ Entium deſumi debere. Ubi igitur nulla ſucceſſio eſt, ut in præſentiâ Dei, ibi propriè hæ affectiones locum non habent. Et conſimiliter, quæ

illam ſucceſſionem diutinam admittunt, ratione iſtius ſucceſſionis, omnia hæc attributa admittere poſſunt.

8. Atque has non niſi reſpectivas eſſe affectiones, patet, quòd eidem diverſo reſpectu attribui poſſint; Ita *Adamus* primis quinque creationis diebus futurus erat: ſexto & reliquis ſuæ vitæ fuit præſens, nunc autem præteritus dicitur.

Cap. XXXI.

De
Præſente, Abſente, Proximo & Remoto.

1. DEinde à *Præſentia* ꝧ ubi, ſeu *loci*, Ens dicitur *Præſens & Abſens*, & ſi abſit, *Proximum & Remotum*.

2. *Præſens* dicitur hic, quod ibi habet ſuum ubi, ubi etiam alia id habent. Quod ubi vel *latius* vel *anguſtius* extendi poſſe videtur; quoniam illud, quod domi abſens, fori tamen, ac civitatis reſpectu, imo regionis, ut & orbis terrarum univerſi, præſens dici poteſt. Potiſſimum tamen præſens dicitur, quod eodem cum altero communi loco continetur.

3. *Abſens* dicitur, quod alibi habet ſuum ubi, quam hoc ad quod refertur; Atque hoc etiam præſertim in corporibus, *diſtans* ap-

appellatur, eô quod inter hoc & alterum illud aliquod corpus intercedat. Atque hinc patet, quid ſit illud diſtans, in quod agens agere nequit, quod *ſuprà* notatum.

4. *Abſens* verò *non æquali* ſemper abeſt *diſtantiâ*, ſed vel *longius* diſtat, atque tum *remotum* dicitur; vel *proprius* accedit diciturque *propinquum*, vel & *proximum*; Niſi hoc dicatur, quod immediatè accedit.

5. Atque hinc patet, has *denominationes relativas* eſſe, quoniam eidem Enti diverſo reſpectu tribui poſſunt; ita v. gr. Papa hic abſens, Romæ præſens eſt; Hinc remotus, propinquus Patavio &c. dicitur.

6. *Deo* quoque hæ denominationes *tribui nequeunt*, quoniam finitam localitatem præſupponunt; ſed ſolis creaturis aſſcribuntur; niſi Deus præſens dici poſſe exiſtimes, quoniam hic & ubique totus eſt. At illa eſt omnipræſentia, quâ ita dicitur præſens, ut nullibi dicatur abſens; Cum tamen, quod hîc præſens dicitur, etiam alibi abſit. Et *hæc de Circumſtantiâ*.

CAP. XXXII.

DE
Convenientiâ & Diſconvenientiâ.

1. FUerunt hactenus *Affectiones reſpectivæ à primis relationibus* oriundæ,

ſequuntur nunc, quæ *ab ortis* relationibus deſumuntur; Et quidem *primò*, quæ profluunt *à convenientiâ & diſconvenientiâ*.

2. *Convenientia*, quibusdam & *cognatio*, licet *minus rectè* dicta, eſt *conſenſus plurium in aliquo tertio*: Prout & *diſconvenientia*, ſive *diſtinctio & diverſitas* latè dicta, eſt *plurium in tertio diſſenſus*.

3. Dicitur eſſe *conſenſus plurium*, quoniam eſt relatio, quæ non eſt ejuſdem cum ſeipſo convenientia: ſed ſemper inter duo, ſi non materialiter, ſaltem formaliter inter ſe diſtincta, intercedere debet, ut *ſuprà* probatum. Dicitur in *aliquo tertio*, quod vel realiter diſtinguitur ab utroque conveniente, vel non; ſufficit quippe ſi formaliter tertium, hoc eſt fundamentum convenientiæ, & diſconvenientiæ, ab utroque extremo diſtinguatur.

4. *Vulgò* definitur, *affectio Entis, quâ plura, vel quaſi plura uniuntur*; At ſi unio quædam eſſet, & res convenientes partes fierent tertii alicujus; Nam & ſic diſconvenientia ſepratio quædam, hoc eſt iſtius unionis deſtructio foret. Definitur quoque, *extremorum identificatio*: At *impropriè* admodum ſumi debet vox identificatio, ut quæ propriè ſignificat conſtitutionem in eâdem eſſentiâ, quia identitas propriè eſt in eſſentiâ convenientia; quâ non conſentiunt, quæ cauſis externis, effectis, ſub-

ſubjectis, adjunctis ac objectis tantum conveniunt.

5. *Dividitur* convenientia in *ſimplicem* & *analogicam*. *Prior* dicitur *convenientia unius cum alio, in eodem tertio*; adeo ut ſit ipſorum *Entium*: *Poſterior* verò, quæ & *analogia* dicitur, eſt *convenientia plurium cum pluribus in eâdem habitudine*; ideoque eſt *habitudinis* conſenſus. Atque hoc pacto etiā *diſconvenientia* in *ſimplicem* & *analogicam* dividi poteſt, ut *illa* ſit *diſſenſus unius ab altero in eodem tertio*, quomodo Petrus diſſentit à Paulo, in eſſentiâ numericâ. At *hæc*, *diſſenſus plurium à pluribus in habitudine*, prout numerus binarius & quaternarius ratione mutuæ habitudinis, diſſentiunt, à ternario & quinario.

6. *Deinde* dividitur convenientia, quod ſit vel *realis* vel *rationis*; Cujus diviſionis termini variis modis accipiuntur. Mihi *realis* eſt, *quæ eſt à parte rei, citrà intellectûs*, ſive rationis, *operationem*; ut ita *rationis* ſit, *cujus nullum in re eſt fundamentum*, ſed nudè ab intellectus operatione dependet. Ut ſi intellectus fingat convenientiam inter res, quæ nulla eſt in ipſis; qualis eſt inter Ens verum & figmentum; vel inter duo entia ficta.

7. Atque ita *realis* convenientia *duplex* eſt, vel *ſtrictè*, vel *latè dicta*. *Illa* eſt *inter rem & ſeipſam*, diverſimode conſideratam;

adeo ut diverſam conſiderationem, aliquid in ipſâ re ſibi reſpondens habentem pro fundamento habeat. Eſtque proin *identitas ſtricte dicta*: quia eadem in eâ præciſe eſt eſſentia. Talis igitur inter Ens ejusque principia & affectiones abſolutas; inter Deum, ejusque attributa, inter Petrum puerum & ſeipſum ſenem; inter partes & totum. *Hæc* autem (latè dicta) eſt *inter res diverſas*, ob fundamentum commune ipſis in re conveniens; Eſtque *varia*.

8. Eſt quippe vel *interna* vel *externa*: *Prior* eſt convenientia duarum rerum *in fundamento ad eſſentiam pertinente*; unde & eſſentialis & identitas latè dicta dici poteſt. *Poſterior* verò eſt convenientia duarum rerum *in fundamento ad eſſentiam non pertinente*.

9. *Interna* eſt vel *Generica*, vel *ſpecifica*; *Generica* eſt convenientia duarum rerum *ſub eodem genere*; ſive *proximo*, ut homo & brutum, ſive *remoto*, ut homo & planta conveniunt. *Specifica* autem eſt convenientia duarum rerum *ſub eâdem ſpecie*; qualis eſt inter Petrum & Paulum. *Numerica* identitas, quæ his communiter additur eſt ipſa *convenientia realis ſtrictè dicta*. Dubitabis forſan, *annon & alia detur ſpecies convenientiæ internæ*, quâ res duæ materiâ vel formâ, tanquam partibus eſſentialibus conveniant. *Reſp. Datur*

qui-

quidem illa, eſtque eſſentialis, *ſed non diſtincta* à prioribus; Nam quæ materiâ conveniunt, eâ quoque genere conſentiunt; Et in quibus eadem eſt forma ſpecifica, illa conveniunt ſpecie.

10. *Externa* convenientia vel *primaria* eſt, vel *ſecundaria*; *Illa* eſt, quâ res conveniunt *aliquâ ſpecie dependentiæ*; in quâ independens dependentis eſſentiam non ingreditur: *Hæc* verò eſt convenientia rerum *in reſpectu externo*.

11. *Primaria* igitur vel eſt *cauſalis*, vel *effectiva*, vel *ſubjectiva*, vel *Accidentalis*. *Cauſalis* dicitur, quando res conveniunt *cauſâ externâ*, *efficiente & fine*: Prout Cain & Abel efficiente cauſa, veſtis & domus fine conveniunt. *Effectiva* eſt, cum res conveniunt *effectis*, ut duo artifices ὁμότεχνοι. *Subjectiva* eſt, quâ accidentia conveniunt *ſubjecto*, ut virtutes & vitia, quia ambo ſunt in animo. *Accidentalis* denique eſt, quâ res conveniunt *accidentibus*, *quantitate* videlicet & *qualitate*. Convenientia autem *in quantitate*, ſi fuerit *continua*, dicitur *æqualitas*; ſi *diſcreta*, *paritas*: At *in qualitate* dicitur *ſimilitudo*.

12. *Secundaria* convenientia eſt vel *adjunctiva*, quâ res conveniunt eodem *adjuncto*, ut qui eodem feruntur navigio, ſub eodem latitant pallio, ac tecto dormiunt; vel *objectiva*, cum res conveniunt *objecto*,

ut

ut duo medici ejuſdem ægroti, duo præceptores ejuſdem diſcipuli curam gerentes; Vel *circumſtantialis*, cum res conveniunt *circumſtantiâ loci & temporis*, ut populares, contubernales, condomeſtici, commenſales, contemporanei. Quibus ſi velis addere convenientiam *in ſigno* & *menſurâ*, poteris; Ego ſusque deque habebo, ſive ad objectivam reducas, ſive ab ipſâ diſtinguas.

13. *Diſconvenientia* ſive diſtinctio, ut dividenda ſit, non conſtat inter Metaphyſicos; ſolidiſſimè ac ſufficientiſſimè eam præſtitit, *Clariſſ. Heereboord*, *Volum.* 2. *Diſp*.29.& 30. quem per omnia ſequi, hic non erubeſco, modo id per *momos* liceat. Eſt igitur *diſconvenientia* vel *realis* vel *rationis*. *Illa* eſt, *quâ diſtinguuntur ipſa objecta*, *ſive conceptus objectivi*: *Hæc* verò, *quâ tantum diſtinguuntur conceptus formales ejuſdem rei & objecti.*

14. *Realis* igitur diſtincto eſt 1. *inter rem & rem* 2. *inter modum & modum oppoſitum*, videlicet *eſſendi*, aut *fiendi*, *non* autem *concipiendi*. 3. *inter rem & modum* ejus *ſeparabilem*. 4. *inter Ens & non-Ens*, adeoque & inter habitum & privationem. 5. *inter Entia realia & rationis*. *Signa* hujus ſunt 1. *Eſſentiæ diverſitas*; realiter enim diſtinguuntur, quorum diverſæ eſſentiæ. 2. *Separabilitas*; nam quæ realiter diſtin-

guun-

guuntur, ea citrà contradictionem à ſeinvicem ſeparari poſſunt. 3. *Oppoſitio*, prout ſeq. cap. patebit. 4. *In ſubſtantiis efficiens & effectum: in accidentibus diverſitas ſubjecti.* Quorum rationes & exempla, vide apud d. *Heereboord, d. l.*

15. At *rationis* diſconvenientia eſt 1. *inter diverſos modos* & formas inadæquatas objectum idem concipiendi, ut inter Deum ejusque attributa, *inter Ens ejusque principia & affectiones.* 2. *Inter diverſos modos concipiendi* idem Ens. 3. Et *inter attributa divina*; & judicatur 1. ex *ſubordinatione.* 2. *diverſa definitione.* 3. *ex iis quæ de Deo, & ente* in genere ſunt *concepta.* Rationes & exempla, vid. d. l.

16. Ex quibus patet 1. hanc rationis diſconvenientiam opponi convenientiæ reali ſtrictè dictæ, adeò ut *ubi hæc* ſit *diſconvenientia*, *ibi* ſit *illa realis convenientia.* 2. Hinc liquet, *diſconvenientiam realem opponi* 1. *convenientiæ rationis.* 2. *convenientiæ reali latè dictæ:* quoniam enim in hac duæ ſunt res, etiam illæ realiter diſtingui debent.

17. *Realis* porro diſtinctio, eſt vel *eſſentialis*, vel *non-eſſentialis. Eſſentialis* eſt, *quâ* res diſtinguuntur *eſſentiis*; adeoque & *interna* dici poteſt, prout & diverſitas; Eſtque *triplex*, *Generica*, *ſpecifica*, *vel Numerica*. *Generica* eſt, quâ res diſtinguuntur

ge-

genere, ſive *ſummo*, ut quæ ſunt in diverſis prædicamentis abſolutis; ſive *medio*, ut quæ ſunt ſub diverſo genere unius prædicamenti, ut homo & aurum. *Specifica* eſt, quâ *ſpecies* opponuntur ſub eodem genere; unde & *differentia* dicitur, ut & , ſi duæ ſint ſpecies, *contrarietas*; ut homo & brutum. *Numerica* eſt, quâ *ſingularia* diſtinguntur ſub eâdem ſpecie, ut Petrus, & Paulus, fortitudo *Alexandri* & *Scipionis*.

18. *Non-eſſentialis*, eſt quâ objecta *non* diſtinguuntur *eſſentiâ*; Eſtque *ſuppoſitalis*, vel *non-ſuppoſitalis*. *Prior* eſt tantum *in S. S. Myſterio Trinitatis*, ubi eadem ſingularis eſt eſſentia, ſed tres diſtinctæ perſonæ, ſive ὑποςάσεις & ſuppoſita. *Non-ſuppoſitalis* eſt illa, quæ *convenientiæ externæ opponitur*, adeòque ſecundum ipſius differentias dividitur, quòd ſit vel *Primaria*, vel *ſecundaria*; ut *Primaria* iterum ſit, vel *cauſalis*, vel *effectiva*, vel *ſubjectiva*, vel *accidentalis*; Et *accidentalis* denuò, vel *inæqualitas*, vel *imparitas*, vel *diſſimilitudo*. Et *ſecundaria*, vel *adjunctiva*, vel *objectiva*, vel *circumſtantialis*; quarum omnium definitiones, ex iis, quæ de convenientiæ externæ ſpeciebus dicta ſunt, facilè colligi poſſunt.

19. *Diſconvenientia rationis triplex* eſt vel *virtualis*, vel *formalis*, vel *modalis*. *Virtualis*

tualis eſt, quâ ratio idem diſtinguit à ſe ipſo, *ob diverſos effectus*, qualis eſt inter intellectum & voluntatem; inter juſtitiam, miſericordiam & decreta Dei. *Formalis* eſt, quâ diſtinguuntur *conceptu formali*, quæ identicè planè ſunt idem; quomodo diſtinguuntur univerſalia à ſingularibus, homo à Petro. *Modalis* diſtinctio eſt 1. *inter rem & modum* ejus *inſeparabilem*. 2. *inter modos non oppoſitos* ſibi. At hæc vix diſtinguitur à formali; niſi formalis dicatur ratione conceptus, & modalis ratione modi, quo id, quod illi conceptui reſpondet, per modum modi interni, ac incompleti apprehenditur; Vix enim aliam diverſitatem obſervo; Nam Ens ejusque affectiones modaliter inter ſe diſtinguuntur, & formaliter quoque, quoniam in ſenſu identico idē ſunt, ut ſuprà hinc inde oſtenſum. Et *hæc de Convenientiâ & Diſconvenientiâ*.

CAP. XXXIII.
DE
Oppoſitione.

1. QUoniam autem illa, *quæ realiter diſconveniunt*, nec de ſe invicem, nec de eodem tertio dici poſſunt, etiam illa dicuntur *oppoſita*; prout illa diſconvenientia *oppoſitio*, adeo ut hujus differen-

tiæ

tiæ, non niſi certi ſint modi iſtius diſconvenientiæ; etiam hic aliquid de oppoſitione dicendum.

2. Eſt igitur *oppoſitio, diſconvenientia, quâ nec unum de altero, nec utrumque de eodem tertio prædicari poteſt.* Intellige autem 1. unum & alterum *quâ tale*, hoc eſt, prout eâdem planè ratione conſiderantur, ſeu ut communiter dicunt, *eodem modo, & tempore, ſecundum idem & ad idem.* 2. Intellige *prædicationem veram ac affirmatam.* Ut igitur oppoſitio realem arguit diverſitatem, ita talis prædicationis negatio oppoſitionis eſt index. Quare licet de Petro dicatur, quod ſit homo, & non aſinus, erunt tamen homo & aſinus oppoſita, quia homo affirmatè, aſinus negatè de Petro prædicatur; Prout quoque erunt oppoſita, licet dicam, Petrus eſt homo, & Petrus eſt aſinus, quia dum homo verè & propriè de Petro affirmatur, aſinus vel falſe vel impropriè, id eſt, non eodem modo de ipſo dicitur. Conſimiliter oppoſita cenſeri debent calor & frigus, licet Petrus calidus dicatur & frigidus, quoniam non ſecundum idem, ſeu eandem partem ipſi calor & frigus inſunt. Idem judicandum de patre & filio, aliiſque relationibus oppoſitis, quæ quidem de eodem dicuntur, ſed non ad idem, ſive ejuſdem reſpectu.

3.

3. *Proprietates* oppoſitorum ſunt, ut 1. ſint *ſimul naturâ*, videlicet in ſenſu compoſito, hoc eſt quâtenus ſunt oppoſita; Cujus ratio eſt, quòd oppoſitio ſit relatio, in quâ relata, quâ talia, ſemper naturâ ſimul ſunt. 2. Ut ſint *ſimul cognitione*; Quæ enim ſimul ſunt naturâ, ea quoque ſimul cognitione ſunt. 3. Ut *juxta ſe invicem poſita, magis eluceſcant*. Cujus ratio eſt, quòd ſimul ſint cognitione. 4. Ut *tot modis unum dicatur, quot modis alterum*. Quod itidem in ſenſu compoſito & in actu ſignato, capiendum. 5. Ut *oppoſitas habeant definitiones*: Quia alias extremo utrique ſua definitio non foret conveniens.

4. Sunt autem oppoſitorum *quinque genera*, *Contradicentia*, *Privantia*, *Contraria*, *Relata*, & *Diſparata*; quorum *quatuor priora directè oppoſita* dicuntur, eo quòd eorum unum uni tantum è diametro opponatur; at ultimum genus *indirectum* dicitur, quod in ipſo *unum pluribus* pariter opponatur. Et rurſum, *directè* oppoſita vel ſunt *duo Entia*, vel *unum Ens*, & *alterum non-ens*; Et *hæc* dicuntur *contradicentia*, ſi illud *non-ens abſolutè*, tale ſit; at *privantia*, ſi ſaltem ſit *comparatè non-ens*. Prout & *illa* dicuntur *contraria*, ſi utrumque *Ens abſolutum* ſit; & *Relata*, ſi *unum ſit alterius*.

5. Sunt autem *contradicentia*, *duo oppo-*

poſita, quorum unum ſimpliciter eſt negatio alterius. Additur *ſimpliciter*, ut denotetur contradicentium differentia à reliquis oppoſitorum ſpeciebus, in quibus unum quidem negat alterum, ut homo brutum in contrariis, pater filium in relatis &c. ſed non ſimpliciter; quoniam illâ negatione aliquid ponitur, cum in ſimplici nihil ponatur, ſed tantum aliquid tollatur, ut non homo negat hominem, ſed nihil ponit.

6. Atque hinc patet, 1. *Contradictionem eſſe oppoſitionem* prorſus *immediatam*; Quia nihil intercedere poteſt inter rem, ejusque ſimplicem negationem. 2. *Poſito uno contradicentium, tolli alterum.* 3. *Si eorum unum ſit Ens, alterum eſſe non ens.* 4. Ipſam *contradictionum* eſſe *maximam* oppoſitionem, quoniam omne reſpuit medium. 5. Eſſe *primam*; quia nullam aliam præſupponit, ipſam verò omnes reliquæ oppoſitiones involvunt. 6. Eſſe *reliquarum menſuram*; quia videlicet prima eſt; Atque hinc reliquæ ſpecies magis vel minus oppoſitæ ſunt, prout magis minuſve ad contradictionem accedunt.

7. Eſt autem contradictio *expreſſa*, vel *implicita*. *Prior* eſt cum infinita & ſimplex illa negatio uni extremo additur, ut homo non-homo. *Poſterior* verò, cum unum extremum alterum ſine negationis

nota

nota addita evertit, ut Deus, mortalis; Corpus unum, & in pluribus locis; unde dicitur, *contradictio in adjecto*, & *oppoſitum in appoſito*.

8. *Privativè oppoſita*, ſive privantia, ſunt *duo oppoſita, quorum unum eſt negatio perfectionis alicujus debitæ*; intercedit itaque *inter habitum*, qui eſt ipſa debita perfectio; & *privationem*, quæ eſt debitæ iſtius perfectionis negatio. *Privantia* proinde 1. *circa idem* ſunt *ſubjectum*, quia eidem perfectio debita eſt, de quâ negari poteſt. 2. *Non omne* reſpuunt mediûm: quoniam ad minimum admittunt medium negationis. 3. *Habent unum extremum præter naturam*. Quæ autem hîc latius dici poſſent, ex ſupradictis *cap.* 8. *ſ.* 3. *tract.* 1. repeti poſſunt.

9. *Contraria* dicuntur, *duo oppoſita abſoluta, quæ ſub eodem genere maximè diſtant*. Dicûntur *duo*, ne ſint diſparata; *abſoluta*, ut diſtinguantur à relatis. *Sub eodem genere*, vel *Logico*, ut duæ ſpecies ejusdem generis proximi; vel *Phyſico*, quod ſubjectum eſt; ut qualitates contrariæ inter ſe opponuntur.

10. *Contraria*, licet ut reliqua, exceptis contràdicentibus, oppoſita, medium negationis admittant, tamen & *nonnulla* ipſorum etiam *participationis* habent, quale eſt tepor inter calorem & frigus: quod

quod *ex miſcela extremorum* oritur.

11. *Relata*, ſive relativè oppoſita, ſunt *duo oppoſita, quorum unum negat alterum ob mutuum reſpectum*, ſeu relationem intercedentem; Suntque proinde *Relatum* & *correlatum*, de quibus, ut & de ipſâ relatione, *ſupra*, *tract.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 4. fuit actum.

12. *Diſparata* ſunt, quorum *unum pluribus pariter* & eodem modo opponitur; Suntque proinde 1. *Plura individua ſpeciei unius.* 2 *Speices plures duabus ejusdem generis.* 3. *Plura entia diverſorum generum*; Et hæc de *Oppoſitione.*

Cap. XXXIV.

De.

Ordine.

1. Ordo denique ſequitur, *ultima Relationum* ortarum, unde Entia inter ſe ordinata ratione ſucceſſionis dicuntur. Sumitur autem ordo 1. Pro *ſtatuto.* 2. Pro *omni relatione.* 3. Pro *relatione à ſucceſſione* ortâ; ut hic.

2. In hujus conſideratione videndum, 1. *Quid ſit?* 2. Quodnam ejus *ſubjectum?* 3. *Quomodo* ſe *id illud* habeat? 4. Ejus *diviſiones.* 5. Ejus *oppoſitum.* 6. Quænam ejus *proprietates?*

3. I.

3. I. *Ordo*, vulgò definitur, *habitudo inter priora, poſteriora & ſimultanea*; quæ ex enumeratione relatorum conſtat, quâ ſine definiri poteſt, quod ſit, *relatio, quâ plura ad ſe invicem ratione ſucceſſionis referuntur*. Illa autem plura ratione formalis, & non ſemper materialis conceptûs, hoc eſt realiter, diſtingui debent. Ratio ſucceſſionis ordinem à reliquis relationum ſpeciebus ſatis diſtinguit.

4. II. *Subjectum* ordinis per ſe *nullum* eſt, quoniam relatio ſubjectum non requirit. Fundamentaliter autem ſunt illa ipſa *plura*, quæ tali modo ad ſe invicem referuntur, non enim differt relatio realiter à ſuo fundamento: Fundamentum autem ordinis eſt ſucceſſio: At hæc à ſuccedentibus realiter non differt.

5. III. Quare 1. *nec* ordo iſtis pluribus aliud aliquod *Ens ſuperaddit*; quia ſic ordinis daretur ordo 2. *Nec privationem*; quia ordo præſentiam, privatio abſentiam infert. 2. *Nec ens rationis*, quia nemine cogitante, etiam adeſt ordo; *Sed* 4. *denominationem externam*; quoniam à termino externæ relationis deſumitur. *Objic*. At eſſentia prior eſt exiſtentiâ: Sed exiſtentia eſſentiam extrinſecè non denominat. *Reſp*. Negatur conſequentia: Sequitur enim tantum, quod exiſtentia, non ſit denominatio externa eſſentiæ,

quod verum eſt: Quæſtio autem hîc eſt, an eſſentia, denominata à prioritate, quâ exiſtentiam antecedere concipitur, denominetur extrinſecè? quod affirmandum; quia prioritas illa non eſt de eſſe eſſentiæ. *Objic.* 2. In S. S. Trinitate Pater prior eſt Filio: Sed non per denominationem externam. *Reſp.* 1. Illa prioritas nobis planè eſt incomprehenſibilis. 2. Nec propriè dicta illa eſt prioritas; quia nulla hîc adeſt ſucceſſio, quoniam Pater & Filius ab æterno ſunt.

6. IV. Quoad *differentias*, ordo vel eſt *Coordinatio*, vel *Subordinatio*. *Prior* eſt inter ea, quæ *connexa* & ſimultanea dicuntur: *Poſterior* verò inter *Priora* & *Poſteriora*, ſive Antecedentia & Conſequentia: Niſi velis hæc de ordine temporis ſaltem accipere. Horum autem ſingula multis modis dicuntur; At ex differentiis unius de reliquis judicium fieri poteſt: *Dividenda* autem *Prioritas*.

7. Eſt igitur *prioritas* vel *Rei*, vel *Cognitionis*. *Illa* eſt, quâ conceptus objectivus *eſt ante* alium: *Hæc* verò, quâ unum *ante* alterum *cognoſcitur*.

8. Prioritas *cognitionis* eſt vel *naturalis*, vel *arbitraria*. *Naturalis* in *ſubordinatis* locum habens, eſt vel *diſtincta*, vel *confuſa*. *Prior* ſequitur ordinem intellectus & naturæ generantis: At *poſterior* inverſo ordine

dine procedens, ad ordinem ſenſuum ac naturæ intendentis inſtituitur. *Arbitraria* prioritas in *coordinatis*, & unius generis ſpeciebus obtinet.

9. *Prioritas rei* eſt vel *eſſentiæ*, vel *exiſtentiæ*. *Prioritas eſſentiæ*, latè videlicet dictæ, eſt vel *Metaphyſica*, vel *Phyſica*.

10. Prioritas *Metaphyſica* eſt inter ea, quorum conceptus objectivi *realiter non* differunt: Quemadmodum Phyſica, inter ea, *quæ realiter* diſtinguntur.

11. *Metaphyſica* prioritas *duplex* eſt, vel *ſecundum exiſtendi conſecutionem*, vel *ſecundum conceptuum originationem*; *Prior* eſt, cum conceptus formales ita ſe habent, ut poſito uno non neceſſariò ponatur alter, qualis eſt *inter generalia & ſpecialia*, v.gr. inter Animal & hominem. *Poſterior* eſt, cum conceptus formales ex ſe oriuntur, aut oriri, ſibique ita ſuccedere *concipiuntur*; Qualis eſt inter Ens ejusque principia, & affectiones; inter eſſentiam Dei, ejusque attributa.

12. Prioritas *Phyſica*, ſive *naturæ ſtrictè dictæ*, eſt vel *generantis* naturæ, vel *intendentis*. *Priori* ordine, ſimplicia compoſitis, cauſæ effectis, elementa miſtis &c. priora ſunt: At *poſteriori* omnia ſecus habent, juxta ſupra adductum Axioma: Quod prius in intentione, id poſterius in executione ſive generatione.

13. Prioritas *exiſtentiæ* vel *loci*, vel *temporis* eſt; Atque *illa* vel *Phyſici* loci eſt, diciturque diſpoſitionis; vel *Politici*, quorſum ſpectat prioritas *dignitatis* & honoris. *Temporis* autem eſt, quâ unum ante aliud duravit, aut durare incepit.

14. V. Ordini *opponitur Confuſio*, quæ eſt ordinis perturbatio; Perturbatur autem ordo, quando vel poſteriora non ſequuntur, vel priora non præcedunt, vel ſimultanea præcedunt aut ſequuntur. Quibus generalibus modis omnis confuſio fieri debet.

15. VI. Inter Proprietates, hæ potiſſimum obſervandæ 1. *Quæ dependent ab uno principio, illa ſunt ordinata.* 2. *Quæ repugnant uni primo, illa ſunt confuſa.* Ratio eſt, quia in omni ordine eſt aliquid primum. 3. *Ordo dignior eſt confuſione.* 4. *Quo quid magis accedit ad ordinem, eô dignius eſt.* 5. *Ordo eſt conſtantior confuſione.* &c.

16. Atque ita, abſolutâ ordinis doctrinâ, de omnibus, quas propoſueram, Entis affectionibus, pro modo inſtitutionum, ſatis me dixiſſe arbitror; In quibus ſi quid deſiderari, aut ipſe obſervem, aut ab aliis Philoſophiæ cultoribus, moneat, id in *Exercitationibus Metaphyſicis*, quas Deo volente, brevi exhibebo, ſupplebo.

INSTI-

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM,

Tractatus Tertius,

QUI EST DE

Fructu conſequente.

1. CUm omnis ars omniſque diſciplina, ad defectus naturæ humanæ auferendos inſtituta ſit, ea ſanè, quæ univerſalis erit diſciplina, omnibus defectibus ſuo modo proſpicere tenetur. Quare Metaphyſica, quæ generalis fundamenti officio perfungitur, prout generalis eſt ſcientia, ubique ſuam utilitatem edere debet. Metaphyſici igitur eſt, illam uſus univerſalitatem primò oſtendere, ac deinde quomodo, ex eâ petenda ſit, docere.

2. Utilitas autem Metaphyſicæ ſe extendit 1. ad *θεωρίαν & cognitionem τῶν ὄντων* quâ ab intellectu ignorantia cum connexis ipſi vitiis auffertur. 2. Ad *πρᾶξιν & operationem τῶν δεόντων*, quâ voluntas, altera mentis potentia, quantum pote, perficitur.

3. *Cognitioni* Entium *duobus modis* Metaphyſica prodeſt. 1. Quâtenus ipſius notitiam ipſa aliquo modo *tradit*. 2. Quâtenus *confert modo* cognoſcendi omnia, eumque promovet, ordinat ac fundat.

4. *Tradit* autem omnium rerum *notitiam*, 1. dum *oſtendit* univerſale uniuscujusque entis *eſſe*. 2. Dum *generalia*, quæ & prima dicuntur, ejus *exhibet principia*. 3. Dum univerſales *promit affectiones*. 4. Dum communes & maximè generales rerum *pandit differentias*.

5. *Oſtendit* autem I. cujuscunque Entis *eſſe*, quia explicat in actu ſignato, quid ſit illud eſſe, quod in exercitio omnibus & ſingulis convenit; Prout igitur, qui cognoſcit, quid ſit animal, etiam in genere, & quaſi potentiâ, cognoſcit, quid ſit homo & brutum, quoniam hæc ſub eſſe animalis continentur; ita conſimiliter, qui novit, quid ſit Ens, is quoque omnium, quæ ſub ente continentur, generalem & quaſi remotam habet notitiam.

6. Idque *non tantum in entibus* ipſis, *ſed* & eorum *affectionibus* præſtat, dum pro diverſâ naturâ affectionum generalium, etiam ſpeciales inter ſe diſtant, adeò ut ſpeciales cum generalibus ejusdem ſint naturæ, quare & illæ ex his æſtimandæ erunt. Ita v. gr. cum principem eſſe reſpectiva ſit hominis affectio, ea quoque ſummam ali-

quam

quam relationem, quæ eſt appoſitio & relatio externa, præſupponit, quæ non niſi externam enti addit denominationem, facilè colligitur, quod principem eſſe non niſi externa ſit denominatio, ad eſſentiam hominis non pertinens.

7. *Oſtendit* II. cujusque entis *principia*, ex quibus ejus eſſe aliquâtenus cognoſcitur; cum principia iſta ſint ipſum eſſe, ac oſtendant, quodcunque eſſe ſibi proprium, ac ab aliis diſtinctum habere, in quo à ſe ipſo eſt negativè conſlitutum, ſi ens ſit infinitæ perfectionis: at ab alio quo externo, intercedente actione poſitivâ, prout omnes creaturæ, quæ finitâ tantum perfectione gaudent: Et quoniam tale cujusvis entis eſt eſſe, qualia ſunt ejusdem principia, & hæc pro modo conſtitutionis varia ſunt, diverſum quoque ipſum eſſe manifeſtum eſt.

8. *Indicat* præterea III. quænam ſint *affectiones* generales, quæ debitè ſingulis entibus accommodatæ, ipſis propriæ evadunt. Unde inveſtiganda eorum eſſentiâ, ex congruâ videlicet conſtitutione; unde profluat eorum unitas, & in quo ipſa conſiſtat; quid ſit ipſorum veritas, neceſſitas, quiſque ipſius ſtatus ac gradus; Quæ & qualis ipſorum perfectio; quomodo exiſtant, præſentia dicantur, ac quem uſum conferant. Ad hæc om-

nes patefacit generales habitudines, & exinde ortas affectiones reſpectivas v, gr. quibus modis unum ab altero dependeat: quæ ad ſe invicem extrinſecus referantur. Adeo ut nihil in cujusvis entis notitiâ reſtet, quin hoc ex generalibus Metaphyſicæ affectionibus ſuo modo profluat.

9. IV. *Exhibet* quoque generales Entium *differentias*, quibus vel ratione eſſentiæ, vel perfectionum ac affectionum, à ſe mutuo diſcrepent. Fructus præ reliquis inſignis, quem hic exemplo Dei & reliquorum entium, utpote per omnia ab ipſo diſcrepantium, breviter applicabo.

10. *Primò* igitur ratione *conſtitutionis*; *Ens* eſt vel *negativè* conſtitutum, ut Deus; vel *poſitivè*, à causâ efficiente poſitivâ ac reali productione productum, ut omnia reliqua præter Deum, vid. *tract.* 2. *cap.* 1. *th.* 2. & 4.

11. *Secundò* ratione *eſſentiæ*; Ens habet eſſentiam *actualem*, quæ abſque omni potentiâ eſt, ut Deus; vel *potentialem*, quæ potentiam ad non eſſe habet, ut creatura, vid. *cap.* 1. *th.* 19.

12. *Tertiò* ab *unitate*; Ens eſt vel *actu diviſum* à quovis alio, ut creatura; vel *non* ſemper *actu diviſum*, ſed tantum neceſſario indiviſum in ſe, ut Deus, vid. *cap.* 2. *th.* 4.

13. *Quartò*, à *modo unitatis*; Ens vel *ad-*

admittit conceptum ſui *univerſalem*, vel *non admittit*; Admittunt omnes creaturæ, nullâtenus Deus, vid. *cap.* 3. *th.* 21.

14. *Quintò* à *ſimplicitate*; Ens eſt vel *abſolutè ſimplex*, ſine aliquo ad compoſitionem ordine, ut Deus; vel eſt tantum *comparatè ſimplex*, ut multæ creaturarum, vid. *cap.* 4. *th.* 3. & 7. Item, vel eſt ſimplex omni *carens multitudine*, ut Deus, vel aliquam *multitudinem involvens*, ut creaturæ, vid. *d. c. th.* 6.

15. *Sextò*, à *veritate*; Ens verum æſtimatur vel in ordine ad proprium tantum intellectum, ut Deus, quâtenus conformis eſt conceptui, quem ipſe habet de perfectiſſimo Ente; vel in ordine ad alium intellectum, ut creaturæ ad intellectum divinum, vid. *cap.* 5. *th.* 11.

16. *Septimò* à *neceſſitate*, ſive gradu veritatis; Ens eſt vel *abſolutè neceſſarium*, cujus non-eſſe implicat contradictionem, ut Deus; vel *relatè tantum*, cujus non-eſſe citra contradictionem dari poteſt, ut creaturæ, vid. *cap.* 6. *th.* 8. & 17.

17. *Octavò*, à *ſtatu* veritatis; Ens eſt *abſolutè* immutabile, nullum agnoſcens defectum, ut Deus; vel mutabile, ſive *comparatè* immutabile, defectum ex ſe agnoſcens, ut creaturæ, vid. *cap.* 7. *th* 3. 4. & 8.

18. *Nonò*, à *perſpicuitate*; Ens vel planè intellectui humano propter exceſſum

improportionatum, ut Deus; vel ipſi *proportionatum*, ut reliqua præter eum entia, vid. *cap.* 8. *th.* 8.

19. *Decimò*, à *perfectione*; ens vel caret omni imperfectione, *omnemque habet perfectionem*, ut Deus; vel aliquam habet imperfectionem, & *non omnem perfectionem*, ut creatura, vid. *cap.* 9. *th.* 18.

20. *Vndecimo*, à *menſurâ* perfectionis, ſive bonitate; Ens eſt, vel bonum bonitate *menſurante*, ut Deus; vel *menſuratâ*, ut creatura, *vid.* d. c. *th.* 21. 22. 23.

21. *Duodecimò* à *modo* perfectionis; Ens eſt, vel *infinitum*, in quo infinitæ ſunt & illimitatæ, menſuræque adæquatæ perfectiones, ut Deus; vel *finitum* & limitatum, à menſura deficientes habens perfectiones, ut creatura, vid. *cap.* 9. *th.* 28. & *cap.* 10. *th.* 4. & paſſim per totum caput.

22. *Decimò tertiò*, à *conditione*; Ens eſt vel *abſolutum*, & à conditione quâcunque liberum, ut Deus; vel *conditionatum*, conditionem ſuæ præſentiæ ac perfectionis requirens; ut creatura, vid. *cap.* 11. *th.* 3. 4.

23. *Decimò quartò*, à *diſtinctione*; Ens eſt vel neceſſariò *poſitivè* diſtinctum ab aliis, ut creatura; vel *negativè*, & non neceſſariò poſitivè, ut Deus, vid. *cap.* 12. *th.* 4.

24. *Decimò quintò*, ab exiſtentia; Ens conſiderari *poteſt*, *ut non exiſtens*, ut creatura; vel *non poteſt* cogitari, *ut non-exiſtens*, ut Deus,

vid.

vid.*cap.*12.*th.*11. & 14. Item, Ens vel habet exiſtentiam *permanentem*, ut Deus; vel *ſucceſſivam*, ut creatura, d. *c.th.*25. & 29.

25. *Decimò ſextò*, ab *ubietate*; Ens ubietatem habet vel *infinitam*, quâ ubicunque eſt, totum, eſt & totu extra, & totum in quocunque aſſignabili, ut Deus; vel *finitam*, quâ non eſt totum extra, nec totum in quocunque aſſignabili, ut creatura, vid. *cap.* 13. *th.* 7. 8.

26. *Decimò ſeptimo*, à *duratione*; Ens habet durationem *infinitam*, *permanentem*, *ac æternam*, ut Deus; vel *finitam*, *ſucceſſivam*, & *non æternam*, ut creatura, vid. *cap.* 14. *th.* 4. 5.

27. *Decimò octavò*, ab *actu*; Ens habet actum *abſolutum* ac puriſſimum, cui nulla potentia reſpondet, ut Deus; vel *reſpectivum* ac impurum, quo potentia aliqua perficitur, ut creatura, vid. *cap.* 15. *th.* 7.

28. *Decimò nonò*, ab *utilitate*; Ens eſt vel *ſummum* & abſolutè bonum, omnibus reliquis uſum præbens, ut Deus; vel eſt *medium*, & comparatè tale, ut Creatura, vid. *cap.* 16. *th.* 12. & 13.

29. *Vigeſimò*, à dependentiâ; Ens eſt vel *abſolutè independens*, & omnis dependentis cauſa, ut Deus; vel *dependens*, aut non niſi comparatè independens, ut creatura, vid. *cap.* 17. *th.* 8. 11.

30. *Vigeſimò primò*, à cauſâ; Ens vel eſt *tantum cauſa*, & nunquam cauſatum,

ut, Deus, vel eſt *quoque cauſatum*, licet alicujus reſpectu cauſa dicatur, ut creatura, vid. *cap.* 19. *th.* 12.

31. *Vigeſimò ſecundò*, à *ſubordinatione* efficientium; Ens eſt vel abſolutè *prima* efficiens, ut Deus; vel *ſecunda*, & non niſi in certo genere prima, ut Creatura, vid. *cap.* 20. *th.* 10. Item, Ens vel eſt efficiens *omnipotens*, vel *non-omnipotens*, vid. ib. *th.* 11. Item; Ens vel poteſt eſſe efficiens *partialis*, ut creatura, vel *non* poteſt, ut Deus, vid. ib. *th.* 13. Item ens eſt cauſa *abſolutè libera*, ut Deus; vel *ſecundum quid* tantum, ut creatura, vid. ib. *th.* 24.

32. *Vigeſimò tertiò*, à *fine*; Ens eſt, vel propter quod reliqua omnia ſunt, ipſum *ob nullum aliud*, ut Deus; vel quod *propter aliud* eſt, ut creatura, vid. *cap.* 21. *th.* 16. 22.

33. *Vigeſimò quartò*, ab *inhærentiâ*; Ens vel poteſt eſſe *ſubjectum* accidentis, ut creaturæ; vel *non* poteſt, ut Deus, vid. *cap.* 23. *th.* 8.

34. *Vigeſimò quintò*, à *circumſtantiâ*; Enti vel *propriè* conveniunt denominationes à circumſtantiâ loci & temporis deſumtæ, ut creaturis; vel *non propriè* conveniunt, ut Deo, vid. *cap.* 30. *th.* 2. 7. & *cap.* 31. *th.* 6.

35. Patet igitur Entium *differentias*, ex Metaphyſicâ deſumi poſſe, ac proinde

ip-

ipſam ad ipſorum Entium cognitionem, non tantum conferre, ſed & ſummopere neceſſariam eſſe. Nunc videndum, quomodo *modum* cognoſcendi adjuvet?

36. Ad modum ſingula cognoſcendi confert Metaphyſica, dum Logices præcepta non tantum ordinat ac diſponit, ſed & fundat; Adeò ut *Logica* ſolam *formam* addendo, *Metaphyſica materiam* generalem ſuggerat, eamque debito ordine ad ſpecialē deducere doceat. Quod ordine & per partes oſtendendum. Conſiſtit autem *modus cognoſcendi* & intellectum dirigendi, *partim* in propriâ intellectus *informatione*, *partim* in acquiſitæ cognitionis *communicatione*, *Burgerſdic. lib.* 1. *Log. cap.* 1. *Theor.* 1. §. 7. Et utramque adjuvat Metaphyſica.

37. Propriam intellectus *informationem* valdè ope ac cognitione Metaphyſicæ promoveri, *in genere* certum eſſe poteſt, quod tam procul *admirationem* arceat. Nihil quippe admirari, Philoſophiæ finem eſſe, alibi, ex *Pythagora* & *Ariſtotele* conſtitui; At Metaphyſica peculiari quodam jure σοφίας titulum meretur, quod ab omnibus admirationem fuget. Nam 1. fœda eſt admiratio, ex primarum cauſarum ignorantiâ prodiens; at illam Metaphyſica tollit, non tantum quid ſint illæ, ſed & quæ ſint explicans, *vid. cap.* 20. *th.* 10. 11. 12. 2. Peverſa eſt admirationis ſublatio,

quâ ex comparatione tantum ſimilium, non quidem re, ſed exiſtimatione, illa auffertur, ſatis tamen frequens eſt. Solent quippe homines de ente ignotiori ita philoſophari, ut de altero magis noto; Unde & ſimiles de Deo conceptus formant, quales de Creaturâ; & de intelligentiis, quales de corporibus, ut Anthropomorphitæ & quicunque Angelis corpora tribuunt, dilucidè oſtendunt. At Metaphyſica aliter fieri debere oſtendit, dum 1. infinitam inter Deum & Creaturas diſcrepantiam paſſim adſtruit. 2. Dum unicuique propriam tribuit eſſentiam, per quam ens eſt, talesque habet affectiones & operationes, qualis eſt ipſa eſſentia, *vid. cap.* 1. *th.* 31. 32. Adeo ut ſimplicium ſimplices, compoſitorum compoſitæ, finitorum finitæ ſint eſſentiæ, adeoque & affectiones, quibus conſimiles conceptus reſpondere debent.

31. Deinde & *in ſpecie*, informatur intellectus, vel proprio marte, & ex ingenti *univerſi volumine*, vel ex *libris*, dictis ſcriptisve *aliorum*. *Priori* modo inſervit Metaphyſica, dum 1. oſtendit *reductionem* cujuscunque cognoſcibilis ad ſuprema ſua genera. 2. Confert ad *æſtimationem* dignitatis ac præſtantiæ, cujuscunque rei. 3. Ejus exhibet *diviſiones* ac abſtractiones. 4. Ad *definiendum* ſummopere neceſſaria eſt. 5. Ad *plura* cognoſcenda, viam ſternit,

39. I.

39. I. Quoniam igitur nullius intelligibilis plenam ac adæquatam notitiam habemus, ſi ſola propria ac ſpecialia attributa, quæ definitio per differentiam exprimit ac infert, cognoſcamus; cum & præterea requiratur, ut communia quoque & generalia prædicata, quæ per genus in definitione ſignantur, exactè teneamus, quia hæc non minus quam illa, ad eſſentiam rei, definitione repræſentatam, ſpectant. Genus enim proximum in definitione poſitum, omnia genera remotiora & ſuperiora, omneſque eorum differentias in ſe continet: Sed illa ratio optimè, imò tantum è primæ Philoſophiæ eruitur fundamentis; Nam quum per eſſentiam Ens ſit, & ſit id quod eſt, facilè intelligitur, eum qui eſſentiam inquirit, non tantum id per quod eſt, id eſt differentiam, inveſtigare oportere, ſed etiam illud omne, per quod quovis modo eſt, quo genera etiam remotiſſima, qualia ſunt Metaphyſica, neceſſariò pertinent.

40. Et quoniam brevitatem debitam in definitionibus Logici requirunt, omninò vetant, aliquid ad eſſe generis ſpectans, ſpeciei definitionem ingredi; Quare niſi ſumma teneamus genera, aut data cujuscunque ſpeciei definitio nihil proderit, aut certè lex illa Logicorum vitianda erit. Ex. gr. Si definiatur Homo, quod ſit animal

mal rationale; nihil proderit ignoranti, quid ſit animal, vivens, corpus, ſubſtantia, ens; neque plene cognoſcet, quid ſit albedo, aut quid ad ejus eſſentiam requiratur, niſi noverit, quid ſit color, qualitas, accidens, *vid. cap.* 23. *th.* 15.

41. Hoc igitur argumento monemur, ne quid unquam in accuratâ veritatis inveſtigatione de re ullâ apprehendamus, nihil pronunciemus affirmando vel negando, nihil diſputemus confirmando vel refutando, priusquam eam per genera ſua, ad ſuprema uſque excurrendo duxerimus. Hoc neglecto facilè ſe homines in difficultates conjiciunt inextricabiles, eoque ſæpe deveniunt, ut ſpecialiorem naturæ gradum à generaliori, qui in re erant conjunctiſſimi, opinionis errore divellant; ſicut *Plato*, dum Hominem Animali, Animal corpori, ut ſpecies ſuis generibus, ſubordinare neglexit, hominem eſſe Animam pronunciavit, nihilque corpus ad ejus eſſentiam pertinere. Ex adverſo, qui reductioni dictæ gnaviter invigilat, facem ſibi accendit, ad clariſſimè videnda, in quibus alii hallucinati ſunt turpiſſimè: *v. gr.* Intellectionem humanam ad Metaphyſicum ſuum genus ſi reducamus, patebit ex *cap.* 15. *th.* 9. quod ſit Actus immanens, quare intellectus erit potentia ſimul activa & paſſiva, quatenus eundem intelligendi

actum

actum & producit, & productum in ſe recipit; quo ſenſu unus idemque intellectus noſter diverſâ ratione Agens & patiens appellatur.

42. H. Nec minus in æſtimandâ præſtantiâ rerum confert Metaphyſica, oſtendens, perfectionem rebus accedere aut decedere, ex majore minoreve receſſu vel acceſſu ad ens vel non Ens, vid. *cap. 9. th.* 18. vel & relatione unius ad aliud, vid. *cap. ult.* facile n. hinc dijudicabimus inter Entia realia perfectiones. v. gr. quod Metallum perfectiſſimum, quæ animæ ſpecies nobilior, quis ſenſuum nobiliſſimus; & in practicis, in quo ſit ſummum hominis bonum, an in virtute, nobilitate, divitiis, vel honore conſiſtat? quæ virtutum regina, quæ amicitia perfectior? quæ forma Reip. præſtantiſſima? In notionibus ſecundis, quodnam inſtrumentum Logicæ præſtantiſſimum, quæ definitio, quis ſyllogiſmus perfectior? Et in Privationibus: ut cum duo cuilibet virtuti opponantur vitia, unum in exceſſu, alterum in defectu, utrum ſit minus malum? an præſtat principem eſſe callidum, vel planè obtuſum?an melior & tolerabilior regni ſtatus, ubi conſilarii, boni & ſapientes, princeps verò ad Remp. minus idoneus; an verò is, ubi princes bonus & ſapiens, conſiliarii malitioſi & inepti.

43.

43. III. Egregium in oſtendendis convenientiis ac diſconvenientiis cognoſcibilium inter ſe affert Metaphyſica emolumentum; Fluit enim id ipſum ex ipſiſſimâ Metaphyſicæ naturâ, quæ talis eſt, ut communitates omnium rerum mentis oculis proponat, & generaliſſimas intelligibilum diverſitates exponat, ut ſuprà viſum. Res certe jucunditatis plena eſt, ſcire quid tenuiſſimus quisque acarus aut vermiculus commune habeat, cum Entiũ omnium præſtantiſſimo; Cum eo enim convenire, convenientia utriusque in uno tertio manifeſtat; Hoc enim pacto Subſtantiarum & Accidentium *cap.* 23. *th.* 7. Materialium & immaterialium, *cap.* 1. *th.* 24. convenientias differentiasque ex Metaphyſicâ depromere licet. Quibus ſuſque deque habitis, abſurdæ ac ridiculæ oriuntur hominum opiniones; id toties quoties in *Cardano* notat *Illuſtriſſ. Scaliger*; Ita quippe *Exerc.* 360. ubi *Cardanus* exiſtimârat, majorem eſſe differentiam inter ſtrenuiſſimum equum & ignaviſſimum, quam inter verum & pictum, ita eum excipit *Scaliger*: *Ergò Equi ignavia formam abjecerit Ac longe minus quam non equus erit: ſi ejus natura longè eſt inferior eâ, quæ neutiquam equus eſt. Quare ſi mihi eſſet imperium in eum, qui iſta prodidit atque profitetur, equo picto vehi juberem per bibernos pulveres Mediolanenſes.*

44.

44. Tradens autem rerum ratione eſſentiæ inter ſe convenientias, ac diſconvenientias, Fundamenta ſimul omnis diſtinctonis ac diviſionis promit; qui uſus ratione neceſſitatis ſe extendit, quouſque diſtinctio, id eſt ad omnia. Plurimorum enim & ubivis occurrentium mater errorum eſt, quòd multorum intellectui deſit facultas abſtrahendi, & quæ vel in ſe, vel & in unâ eâdemque re multa ac diverſa adunantur, diſtinguendi. Quales v. gr. ſunt, qui cum *Diogene* Menſam & Cyathum vident, menſeitatem & cyathitatem non vident, quoniam oculis Philoſophicis, ut *Plato* de *Diogene* ajebat carent. Sunt qui diſcrimen reale nullum poſſunt agnoſcere, niſi inter ea, quæ manifeſtè divulſa vident; quemadmodum *Flacius*, peccatum originis ad ſubſtantiam hominis pertinere putavit, quia ab eâ nequeat abeſſe. Sic nonulli in phyſicis guſtum & tactum eundem eſſe ſenſum arbitrantur; quòd ille ſine tactu aliquo non perficiatur. Hujus vitio & defectu complures in moralibus & politicis non diſtinguunt Beatitudinem à felicitate, Remp. à Civitate & urbe, familiam à domo, alterationem à Mutatione Rerum Pub. in Theologiâ juſtificationem & ſanctificationem, luctum irregenitorum & regenitorum, & ſic in cæteris. Et ſanè quanti ſint abſtractiones & diſtinctiones tritis nobis proverbiis ſatis com-

commendatur, qualia ſunt, *Qui benè diſtinguit, benè docet; abſtrahentium non eſt mendaciũ;* Hinc eruditũ eſſe eruditi definiunt nôſſe rerũ differentias, & Philoſophũ eſſe qui abſtrahere novit. Maxima proinde diſtinctionis eſt utilitas & neceſſitas, ſed non minor difficultas, τὸ γὰρ διορίζειν οὐκ ἐστὶ τῶν πολλῶν, ſed doctorum & Sapientum. Verum difficultatem minuit per hunc uſum Metaphyſica: Hæc enim donat oculis illis Philoſophicis, quibus *Diogenis* fratres deſtituuntur; hujus ſtudio utiliſſimus abſtrahendi habitus in nobis excitatur. Et quia idem eſt menſura recti & obliqui, exinde rejicit, & exilio damnat frivolas omnes (quarum quidem vulgò, ſed immeritò cauſa audit) diſtinctiunculas, quum fundamento in rerum naturâ careant, inanes conceptûs ac mentis larvæ ſint, meros fumos objicientes audienti.

45. IV. Quantum rerum accuratæ definitiones præſtent, nemini non obvium eſſe puto, ſed nec minus quam difficulter & periculosè conſtituantur ipſæ: Verum, vix facilis, tuta & accurata obſcurioris rei, dabitur definitio, niſi metaphyſicæ auxilio: utpote quæ rerum tradit attributa communia, quæ vice generis in definitione funguntur; & dum differentias earum exhibet, ſimul propria ſuggerit attributa, aut ad ea indaganda

viam

viam ſternit; Et magis, dum inferius & cognoſcibilis genus proximum, omnia remotiora, eorumque differentias includit, eorum quoque præſupponit notitiam, qui igitur poterit generis proximi convenientia debitè æſtimari, niſi & ſummum quoque genus pernoſcatur? Quin & examine à ſuperiori facto deprehendi poteſt, quodnam unicuique rei ſit genus conveniens; Exempli gr. Quod in Dei ejusve attributorum deſcriptione vice generis & differentiæ ponatur, haberi poteſt tum ex Entis diviſione, tum ex affectionum Entis doctrinâ, nec aliunde id poteſt Theologia Naturalis arceſſere. Habentur inde Creaturæ in genere ejuſque affectionum communiſſimarum genera & differentiæ; facilè inveſtigatur genus proximum corporis, Angeli, Temporis, motus &c. Hinc & rectè *Philoſophus* Reipublicæ genus conſtituit τάξιν, hoc eſt ordinem, ſive ordinationem, quia ipſi in Metaphyſicis opponitur confuſio. Hinc ea quæ Reip. opponuntur rectè per confuſionem definiuntur, ſic Tyrannis eſt confuſio Civitatis, ſic ochlocratia, &c. vid. *cap.* 34.

46. V. Ad *plura* cognoſcenda viàm ſternit, dum 1. *Ordinem* inter illa commonſtrat. 2. Eorum *ſcientiis* mirificè prodeſt.

47. I. *Ordinem* monſtrat, dum à generalioribus ad ſpecialia proceſſum inchoat, cum-

eumque facilem, certum, ac naturæ conſentaneum paſſim oſtendit, quo non tantum *confert memoriæ*, (cum quæ ordine tenentur, tanquam continuatâ chordâ, longè felicius memoriæ mandentur, retineantur, atque ex eâ ſuggerantur:) ſed & laboris *gravitatem* ac prolixitatem valde *imminuit*. Etenim Scientiarum omnium officium eſt & propria virtus, monente *Verulamio*, ut experientiæ ambages & itinera longa quantum veritatis ratio permittit, abbrevient, ac proinde remedium veteri querelæ de *vitâ brevi*, *arte longâ*, adferant. Et ſanè eam ob cauſam omnes artes & diſciplinas conſtitutas eſſe, inductione conſtat. Eccur enim de homine in communi tractatio inſtituitur? ut compendioſe ea habeamus, quæ in ſingulis individuis cognoſcere infinitum & impoſſibile fuiſſet. Cur de Animali in genere agitur? quia infinitum & vitæ humanæ impoſſibile, communia attributa Animalium in omnibus & ſingulis cognoſcere ſpeciebus & individuis. Cur de viventibus in genere docetur? ne ſit opus ea quæ Plantis, Beſtiis & hominibus communiter inſunt, in ſingulis ſeorſim contemplari, quod & operoſum & tædioſum nimis. Quo verò ſcientiæ ſunt univerſaliores & ſuperiores, eô magis dictum officium præſtant, ut ex allatis exemplis patet; Cum igitur certum ſit, Metaphy-

taphyſicam omnium eſſe generaliſſimam & ſupremam ; maximè illum uſum ab ipſâ, præſtari conſpicuum erit: Nulla quippe eſt ſcientia , quæ de pluribus nos erudiat rebus, nulla, quæ hoc præceptis faciat paucioribus.

48. 2. *Scientiis*, ad quas plura illa cogſcenda pertinere poſſunt, Metaphyſica prodeſt, dum *primo*, eas inter ſe *unit* ac connectit: *Secundò* eis *ſubjecta præſcribit. Tertio*, earum *defendit principia. Quartò*, earum *affectiones*, in ipſis de ſubjecto demonſtrandas, *tradit*.

49. *Primò*, reliquas ſcientias inter ſe *unit*. Quam noxia in corpore humano eſt continuitatis ſolutio, tam perniciosum in diſciplinis vulgare illud vitium, quo peculiaria ſibi quiſque in ſuâ ſcientiâ regna figit, quaſi nullum illa ad aliam ſcientiam reſpectum includat, aut ſine omni alterius ope ſubſiſtere poſſit. Noxium inquam illud eſt vitium; Ut enim unius diſciplinæ partes & axiomata facilè deſtruuntur, & corruunt, ſi ſeorſim ſingula & non omnia inter ſe connexa & cohærentia tradideris, ita nec diſciplinæ & ſcientiæ ſingulæ ſartæ tectæ permanere queunt, niſi unionis & communionis vinculo contineantur: Omninò ut Sagittæ illius Scythæ ſenis ſingulæ ſeorſim facilè à filiis frangi poterant, conjunctæ in faſciculo non poterant. At hoc in-

indiſſolubile omnium diſciplinarum vinculum Metaphyſica maximè monſtrat. Nam quicquid per Entis diviſionem diſtinctis conſiderandum ſcientiis tribuitur, id in iis, quæ ſunt ante entis diviſiones, eſt unum & indiviſum. Etenim ſicut corpora ſublunaria omnia unam communem materiam habent, quæ ita eſt eorum mater, ut tamen formam informantem ſibi peculiarem ſingula teneant: Ita cunctæ artes ac ſcientiæ, unius illius Entis, quod Metaphyſica conſiderat, partem ſibi aliquam abſcindunt, de unâ illâ materiâ omnes participant, etiamſi formas ei diverſas imprimant, & ſecundum diverſas rationes illam tractent. Unit ergo Metaphyſica pulchro vinculo reliquas diſciplinas, & ſecum & inter ſe.

50. *Secundò* Metaphyſica noſtra reliquis diſciplinis *ſubjecta præſcribit*, easque hoc pacto, conſtituit, ac inter ſe diſcernit. Quemadmodum ubi Phyſica deſinit Medicina incipit; ubi Politica finit, Juriſprudentia orditur: ita ubi prima Philoſophia ſubſiſtit cæteræ diſciplinæ inchoantur: ipſa quippe ſecat res, ut autem res ſecantur, ita ſcientias ſecari æquum eſt.

51. *Tertiò*, Principia aliarum ſcientiarum defendit, quoniam illa aut demonſtrat, aut immediatè ex conceptibus educit. Contra negantem principia diſputandum

dum non eſſe, vulgò dicimus, quoniam ex eorum conceſſione ſaltem procedit concluſio: At cum cujuscunque ſcientiæ non ſit ſua demonſtrare principia, utpote quæ præſupponit, aut fluctuabunda ſemper erit, & potius opinio, quam certa ſcientia, niſi auxiliū in illis corroborandis ac clariſſimè probandis ſuggereret Metaphyſica; ita v. gr. non poteſt Phyſicus Materiæ ſive corporis probare productionem ac finitatem tàm eſſentiæ, quam durationis, niſi Metaphyſicis ſuffultus principiis.

52. *Quartò*; Nec minus *attributa* iſtorum Subjectorum, inferioribus ſcientiis jam aſſignatorum, ipſa Metaphyſica *oſtendit*, & ad illa invenienda viam monſtrat. Nam ſi ducamus iſta inferiora ſubjecta per omnia Entis generalia, ſeu metaphyſica attributa, perquirendo, quomodo ſingula in his inferioribus ſubjectis determinentur, eisdemque applicentur, habebimus attributa propria & affectiones ſpeciales; quam ad rem præter generalem attributorum doctrinam, etiam Diviſio Entis prima, ex omnibus attributis educta, plurimum facit.

53. Atque ita ex parte oſtenſus Metaphyſicæ uſus, circa *propriam intellectus informationem*, ex vaſto mundi volumine, non habito reſpectu ad alios, rerum notitiam venditantes; Ex quibus ſimiliter *comparandæ* rerum cognitioni, inſignes præſtat commoditates. Comparatur autem

tem *ex ſcriptis aliorum* rerum cognitio, 1. Veri *ſenſus inveſtigatione*, ac perceptione. 2. *Iudicio de veritate* vel falſitate ejusdem; Et *utrobique* emolumentum haut mediocre confert.

54. I. *Verus ſenſus* inveſtigatur, *partim* ex legitimâ *terminorum* ſimplicium *perceptione*; *partim* ex eorum *cohæſione*. Ad ſimplicium terminorum *perceptionem* conferre Metaphyſicam notiſſimum eſt; Etenim *primò*, extra omnem dubitationis aleam eſt, nullos alicujus diſciplinæ terminos toties in omni ſermone ac ſcripto occurrere, quoties communiſſimi & generaliſſimi primæ Philoſophiæ; nihil enim loquimur, vel ſcribimus, niſi de aliquo, de uno. de Ente, & non-Ente, de cauſa &c Et ſi ſpecialia velimus attingere, adhibentur ejus termini in quæſtionibus & diſputationibus: v. gr. *Opticis*, an color ſit Ens reale? quæ diſtinctio, luminis, lucis, radii? &c. In *Phyſicis*, an temperamentum ſit relatio, vel harmonia? an ignis & anima ſit ſubſtantia vel accidens? In *Theologicis*, an voluntarium ſit de eſſentiâ peccati, quæ norma bonorum operum? quæ notæ eccleſiæ? &c. In his quippe aliisque innumeris neceſſaria eſt terminorum præcognitio, priusquam affirmes vel neges, propugnes vel oppugnes, tum ne turpem elenchi ignorationem committas, aut in logomachiam tandem Diſputatio terminetur.

55.

55. *Secundò*, & *ſpeciales termini* ſingularum diſciplinarum *ad generales* iſtos Metaphyſicos & *revocandi*, & ex iis, ut pote primis, aliquâtenus menſurandi ac æſtimandi ſunt; Quidquid enim ineſt generi, id quoque ineſt ſpeciebus; unde quod generalibus iſtis terminis ineſt, id quoque ſpecialibus ſuo modo ineſſe par eſt. Ita igitur entia ex generali ente, affectiones ex affectionibus, habitudines ex habitudinibus, potentiæ ex potentiis generalibus deducuntur. V. gr. Homo ut ens, ex Ents Metaphyſicâ contemplatione illuſtratur; ut Riſibilis, ex potentiâ activâ; ut pater ex dependentiâ; ut cives ex unione; ut ſubditus, Maritus &c. ex appoſitione. &c.

56. *Cohæſio* terminorum *ex* mutuo *reſpectu* percipitur, qui ſemper in reſpectu Metaphyſico fundatus eſt; unde maximè Metaphyſica confert ad axiomatum & enunciatorum Metaphyſicorum extra Metaphyſicam occurrentium genuinum ſenſum rectè intelligendum, eumdemque ab abuſu contra Pſeudographemata vindicandum. Creberrima eſt principiorum Metaphyſicorum detorſio, perverſa interpretatio, & vitioſa accommodatio: at Metaphyſica ea rectè explicans, teipſum à tali vitio præſtabit immunem, & præterea efficiet, ut aliorum erroribus ſanâ & congruâ principiorum interpretatione

occurras. Ita cum ex eo, quod *perfecto nihil poſſit addi*, *vid. cap. 9. th. 18.* *Sociniani* probant, à λόγῳ non potuiſſe carnem aſſumi, id ineptiſſimè detorqueri percipies, cum axioma de ſolâ perfectione loquatur eſſentiali, quæ multò minus ab Ente primo excludit acceſſum extraeſſentialem in unione hypoſtatica, quam ab Ente ſecundo, acceſſum accidentis in unione accidentali; Idem in infinitis aliis obſervabis.

57. Hinc etiam, non obſcurè eluceſcit, quantum valeat *in ferendo judicio*, de veritate & falſitate congruitate & incongruitate dicti ſcripti ve alterius; Cum enim judicium ante legitimam perceptionem temerarium, & calumiantis animi ſit indicium, prius terminorum, eorumque cohæſionis probè gnarus eſſe debet, qui ad judicandum animum applicat. Et magis, cum veritas quælibet ſpecialis generalem præſupponat veritatem, quam Metaphyſicæ eſt ſuggerere, illa ad hanc, tanquam ad lydium lapidem, exigenda erit; Cum prima veritas (loquor de iis, quæ naturali lumine cognoſcuntur:) omnis reliquæ ſit menſura. Quare non ſaltem Autorum *ſententiæ*, v.gr. de communicatione propriorum, accidentium extra ſubjectum exiſtentiâ, corporum penetratione & polytopiâ, falſitatis *damnandæ* ſunt, ſed & *proverbia* ac dicteria familiari paſſim ſermone trita

exa-

examinari poſſunt. Quæ in tantum falſa aut vera æſtimari debent, quatenus axiomata Metaphyſica diſſentientia aut conſentientia habent. Ex. gr. Omni veritati repugnans eſt ſententia, quam ad ſalvandum abſurdum tranſſubſtantiationis dogma, proponunt *Conimbric.* 1. *Phyſ. c.* 9. *qu.* 5. *art.* 3. *circa difficultatem*, ut ajunt, *de conſtitutione vermis, enati ex ſpeciebus ſacræ Eucha- riſtiæ*; Neque enim ille fieri poterit ex incorruptibili & glorioſo Salvatoris corpore, in quod realiter tranſmutatam ajunt hoſtiā, quâ loco panis utuntur: Neque ex nihilo: neque ex putrefactâ hoſtiâ, ut autumant; Quare hunc in modum huic ictui proſpicere nituntur: *Dicendum breviter eſt, in eo eventu receptis primum in quantitate diſpoſitionibus ad formam vermis, ipſo generationis momento ſubjici à Deo materiam, vel denuo creatam, vel aliunde aſcitam, vel potius eandemmet quæ evanuerat, reproductam, ex quâ ſimul cum formâ vermis componatur.* Nam 1. quantitatem, quæ accidens eſt, eſſe ſine ſubjecto, repugnat huic axiomati, *nullum inhærens eſt ſine eo cui inhæreat*; & huic: *Nullum inhærens eſt extra illud cui inhæreat*, vid. *cap.* 23. *th.* 2. II. Recipi diſpoſitiones in quantitate illâ accidentariâ, repugnat huic axiomati: *Subjectum toto genere dignius eſt accidente*; Et huic, *Omne ſubjectum accidentis eſt ſub-*

ſtantiâ; vid. d.c.*th.* 7. III. Quantitatem illam, quæ prius fuit hoſtiæ, poſtea fieri vermis, repugnat huic axiomati: *Nullum inhærens poteſt tranſire, ex eo cui inhæret in aliud*, vid. d. c. *th.* 2. IV. A Deo iſti productioni materiam immediatè ſubjici per extraordinariam & miraculoſam actionem, repugnat Axiomati: *Eſſentiæ non ſunt multiplicandæ præter neceſſitatem*, vid. *cap.* 1. *th.* 28. Adeoque nec multiplicanda, nulla urgente neceſſitate, ut hoc in negotio, miracula. V. Illam materiam denuò ex nihilo creari, repugnat huic: *Fruſtrà fit per plura, quod æquè benè fieri poteſt per pauciora*, cujus ratio eſt Axioma modo allegatum: *Eſſentiæ non ſunt multiplicandæ præter neceſſitatem.* VI. Eamdemmet, quæ evanuerat, hoc eſt annihilata erat, reproduci, repugnat ipſius ſingularitati, quâ *omne ens ſuum eſſe ſemel habet*: at bis haberet illa materia, ſi ejus nullâ parte reliquâ, denuò reproducenda foret, vid. *cap.* 3. *th.* 5. 8.

58. Hoc ipſo pacto in omnibus *ſententiis* familiari paſſim ſermone tritis; obſervat Metaphyſicus, quaſdem eſſe veras & exactè quadrantes, alias non exactè; ac proinde non niſi contingenter eſſe veras. Quoniam multæ ſæpe earum ſub uno axiomate Metaphyſico continentur. Ita v. gr. ſub iſto axiomate Metaphyſico: *Plura requi-*

quiruntur ad eſſe, quam ad non eſſe; Quod *cap.* 1. *th.* 7. ut ex primo fluens, omiſſum eſt, hæc continentur, & ex eo expendi debent, vulgata: *Perditur in puncto, quod non revocatur in anno. Facilis deſcenſus Averni: at revocare gradum, ſuperasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor eſt. Ardua quæ pulchra*: Pulchrum enim eſt magis Ens, deforme quaſi non ens. Item ex hoc; *nihil eſt in dependente, quod non prius ſit in independente*, *cap.* 17. *th.*9. hæc oriuntur: Diſce ſed à doctis: Sus Minervam: qui non habet, non dabit: Concionator frigidus, ſine flammis auditor: Qualis cognitio, talis curatio: Cœcus cœco dux, & conſimilia plura. Quis itaque eorum, qui circa inveſtigationem & analyſin occupati ſunt, ut Theologi, Iuriſconſulti, aliique Metaphyſicæ utilitatibus carere poterit?

59. Nec minus emolumentum præſtat, in *docendo* & informando alios prima Philoſophia, quod ex hiſce *quatuor* dilucidè apparet, 1. quod, ſine ipſa *nullum Thema ſimplex* debitè *pertractari* queat, 2. *Loca communia non* poſſint *conſcribi*. 3. Nullus *tractatus* de quâvis materiâ *concipi* aut deſcribi, poſſit. 4. Denique quod ſine ipſâ impoſſibile ſit, *debitè* de quâcunque re *diſſerere*.

60. Etenim I. ad *tractationem Thematis* omninò requiritur, ut ipſum ad genus ſuum

revoces, ejus cauſas & affectiones omnes enumeres, ſed utrumque neutiquam ſine ope Metaphyſicæ, præſtabis. Hæc enim ſumma genera rerum, & quomodo ad ea inferiora reduci debeant, ſummaſque rerum cauſas & affectiones, ex quibus ſpecialiores deducuntur, pandit; quemadmodum id jam oſtendi.

61. II. Porro quemadmodum Alphabetum literarum omnium enumeratione, certâque digeſtione, hunc inter alios uſum habet, ut Lexicographi juxta id vocabula omnia in Dictionariis ordine diſponere, aliique alia numerare atque ordinatè dirigere poſſint: ita ipſa Metaphyſica, realium præcipuè attributorum plenâ enumeratione, rectâque diſpoſitione, hunc inter alios uſum obtinet, ut omnia de omni re cognoſcendâ aut dicendâ plenè enumeremus ac ordine digeramus, quare directam & compendioſam viam docendi exhibet: oſtenditq; quomodo ſecundum illam omnia in unum faſciculum colligi poſſint, quæ alii de re eadem diviſim, diffuſe & confuſe prodiderunt.

62. III. Ad ſcribendum de aliquâ materiâ *tractatum*, prodeſt Metaphyſica, utpote 1. *terminorum*, non tantum *generalium*, ſed & *ſpecialium perceptionem* procreans. 2. *Definitionibus* & *diviſionibus* conſtituendis *inſerviens*. 3. *Axiomata* generalia *tradens*. 4. *Ordinem* legitimum *inſtituens*: Quæ omnia

nia ad quemcunque tractatum quam maximè requiruntur. In ſpecie id oſtendere, nunc brevitati inſervire volens, ſuperſedeo.

63. IV. De objectâ quâcunque materiâ benè *diſſerendi* facultatem Logicæ communiter vendicamus, nec malè; Eſt enim illa ipſa facultas, ars, aut modus quidam, dirigendi mentem in rerum cognitione: Verum Logica ſaltem formam ac modum ſuppeditat, at materiam aliunde emendicatum venit; Eam autem conſtituunt axiomata ac principia complexa, quæ quidem cuilibet diſciplinæ propria, vernacula ac domeſtica ſunt, at præterea etiam communia quædam, & quidem nulla frequentiora, quam Metaphyſicæ, veluti communiſſimæ ac ſupremæ cognoſcendæ veritatis normæ. Hinc ſcilicet factum eſt, ut multa Metaphyſicorum propria axiomata, à Dialecticis ad Topica tranſlata ſint: Quidquid enim in his eſt optimum & fructoſiſſimum, in Metaphyſicis agris natum fuit. Enunciata autem & Axiomata Metaphyſica in omnigeno diſcurſu obvia ſunt, ſed partim expreſſè poſita, partim ſuppreſſè inſita. Si quæ autem tacitè vim ſuam effundant, in iis eruendis ſedulo aciem intendere debes; Major enim propóſitio, ut Syllogiſmi ſemper ponit fundamentum, ita ſæpiſſimè generali Metaphyſices axiomati, aut definitioni innititur. Ita in *Ca-*

techeſi noſtrâ *Heidelbergenſi; quæſt.* 30. Catechumeni Reformatorum adverſus *Pontificios* ita argumentantur : *Qui eſt perfectus ſervator, in eo fideles omnia poſſident, quæ ad ſalutem requiruntur: At Ieſus eſt perfectus ſervator. Ergo.* Introſpice hujus Syllogiſmi majorem, & videbis ipſam in definitione Metaphyſicâ perfecti fundari: Poſſem hic campum latiſſimum aperire, ut quisque ea Metaphyſicæ Axiomota opportunè poſſet venari, ut iis abundet: Verum non patitur nobis propoſita brevitas: Reſervandum ergo id peculiaribus Lectionibus, de uſu Metaphyſicæ applicando inſtitutis. Uſus autem Metaphyſicæ in *docendo* diô clarius hinc pateſcit: Simulque, nihil ad totam Theoriam τ͂ ὄντων requiri, quod non ex ſolâ Metaphyſicâ, tamquam fonte deſumi poſſit.

64. Emolumentum quoque præſtat Metaphyſica, in πρᾶξει τῶν δεόντων, *præſcribens regulas & leges agendi, operandi, vivendi,* quâtenus communiſſimæ in naturâ notiones, ut menſuræ & regulæ aſſumi poſſunt, ad ea menſuranda & regulanda, quæ à creaturâ rationali produci debent: Et ſimul patefaciens normam, ex quâ facta, mores, ſtudia hominum ad decreta Metaphyſicæ exigi poſſunt; videndo, an illa his reſpondeant & conſentiant, an verò ab iis deflectant & diſſentiant, non faciendo, vel pra-

practicè abnegando, quod generaliſſimæ notiones affirmando quaſi jubent. Quod ut pateſiat, breviter oſtendendum, 1. *Quomodo leges civiles plerumque axiomatibus Metaphyſicis ſuperſtruantur.* 2. *Quo pacto in ipſâ vitâ degendâ ſpecialiter utilis ſit.*

65. I. *Leges Civiles axiomatibus Metaphyſicis inniti*, patebit, ſi breviter ex *titul. D. de R. I.* quædam ad illa reducantur. Igitur *l.* 1. *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt breviter enarrat.* Quæ definitio colligitur ex tribus prioribus proprietatibus Menſuræ. Enarrat enim rem quæ eſt, quia, *menſura certa & conſtans eſſe debet*; & breviter, quia *menſura prima eſt, cap.* 29. *th.* 4. Item *l.* 2. *Mulieres ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ ſunt &c.* §. 1. Item, *impubes omnibus officiis civilibus debet abſtinere.* Fluit ex eo, quod *inter ſubjectum & adjunctum requiratur proportio & convenientia, cap.* 26. *th.* 2. *l.* 3. *Ejus eſt nolle, qui poteſt velle.* Cujus ratio eſt, quod *contraria ſint ſub eodem ſubjecto, Cap.* 23. *th.* 9. l. 6. *Non vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit hæreditatem*; Ratio eſt, quia à ſe removet conſtitutionem hæredis, adeoque & eſſe, juxta Axioma: *Cujus nullum eſt eſſe, ejus nulla conſtitutio, cap.* 1. *th* 7. l. 7. *Ius noſtrum non patitur, eundem in paganis & teſtato & inteſtato deceſſiſſe* (Addita ratione) *quod earum rerum naturaliter inter ſe pugna ſit,*

juxta definitionem oppoſitorum, *quæ de eodem tertio dici nequeunt*, *cap.* 33. *th.* 2. l. 10. *Secundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda*, *quoniam privatio & habitus ejuſdem ſunt ſubjecti*, *cap.* 33. *th.* 8. l. 11. *Id quod noſtrum eſt ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*; *Quoniam*, *nihil deferente independente & cauſa, nihil acquiritur dependenti & cauſato*, *cap.* 17. *th.* 10. l. 12. *In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur*; Quia *primum in unoquoque genere eſt menſura reliquorum*, *cap.* 29. *th.* 4. l. 16. *Imaginaria venditio non eſt pretio accedente*; Quia *poſita conſtitutione ponitur eſſe*, *cap.* 1. *th.* 7. Et *quod habet omnia requiſita id perfectum eſt*, *cap.* 9. *th.* 6. l. 35. *Nihil tam naturale eſt*, *quam eo genere quidve diſſolvere*, *quo colligatum eſt*, Quia *qualis eſt alicujus conſtitutio*, *talis quoque eſt eſſentia*, *taleſque ejus affectiones reliquæ*, adeoque & talis duratio, *cap.* 1. *th.* 7. l. 37. *Nemo qui condemnare poteſt*, *abſolvere non poteſt*. Ratio eſt, quia *habitus & privatio ejuſdem ſubjecti ſunt*, *cap.* 33 *th.* 8. Unde & tales actus, quorum unus eſt alterius quaſi privatio, ejuſdem ſunt ſubjecti. l. 40. *Furioſi*, *vel ejus*, *cui bonis interdictum eſt*, *nulla voluntas eſt*. Quia *deficiente judicio deficit voluntatis conſenſus*, ut in furioſo; Et *ſublatâ indifferentiâ*, *& factâ determina-*

natione ad oppoſitum, perit voluntas, cap. 20. *th.* 19. l. 45. *Neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emtio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.* Quia *omnis relatio eſt inter duo*, *tract.* 1. *ſ.* 3. *c.* 4. *th.* 7. Unde & *in appoſitione duo ſunt*, *tract.* 2. *c.* 26. *th.* 2. l. 54. *Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet*, Quoniam *nieſt in dependente, quod non prius fuerit in independente*, *cap.* 17. *th.* 9. l. 56. *Semper in dubiis benigniora, præferenda ſunt*; *Quia plura requiruntur ad eſſe, quam ad non eſſe*, cum ad eſſe requiratur conſtitutio, ad non eſſe nihil, *Cap.* 1. *th.* 7. at benignitas magis conſervat eſſe, quam rigor. l. 73. §. 3 *Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi nequeant, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent*, *Nullum* quippe eſt *ſignum, quod cognoſcenti nihil indicare poteſt*, *cap.* 28. *th.* 7.

66. L. 80. *In toto jure generi per ſpeciem derogatur.* Quoniam *Genus in unâ ſpecie conſervari nequit*, *cap.* 24 *th.* 12. L. 83. *Non videtur rem amittere, quibus propria non fuit*, Quia Privatio præſupponit habitum, utpote, *quia ejusdem cum ipſa eſt ſubjecti*, *cap.* 33. *th.* 8. L. 100. *Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt*; vid. allegatam ad l. 35. h. t. rationem. L. 143. In toto & partes continentur; Quia *totum eſt aliquo modo multum & unum, à parti-*

bus, quâ talibus, *reipſa non diſtinctum*, *cap.* 24. *th.* 3. L. 120. *Nemo plus commodi heredi ſuo relinquit, quam ipſe habuit*; Quoniam *nihil eſt in dependente*, quâ tali, *quod non ſit prius in independente*, *cap.* 17. *th.* 9. L. 123. §. 1. *Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat*. Quia ejus *manet eſſentia*, ut quæ *non tollitur extrinſecâ*, & reparabili *mutatione*, *cap.* 7. *th.* 5. 6. L. 129. §. 1. *Cum principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem quæ ſequuntur locum habent*; Quia *efficientes minus principales, ſine principali aliqua effectum producere non poſſunt*, *cap.* 20. *th.* 26. L. 141. §. 1. *Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt*. Ratio eſt, quia *cujuslibet entis una eſt conſtitutio in eſſe, unaque eſſentia*, *cap.* 1. *th.* 27. L. 147. *Semper ſpecialia generalibus inſunt*; Quia *totum aliquo modo multum eſſe debet*, & *ex unione plurium, ſive partium conſtat*, *cap.* 24. *th.* 3. L. 175. §. 1. *Quod quis ſi velit habere non poteſt, id repudiare non poteſt*. Quia privatio præſupponit habitum, ut quæ *non eſt, niſi debitæ perfectionis negatio*, *cap.* 33. *th.* 8. L. 175. §. 1. *Non debeo melioris conditionis eſſe, quam auctor meus fuit*; Quoniam *nihil eſt in dependente, quod non prius ſit in independente*, *cap.* 17. *th.* 9. L. 182. *Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere*; quia *in omni appoſitione eſt ordo*

at

ac convenientia quædam, *cap. 26. th. 2.* Eâdem ratione ſtabilitur l. 185. *Impoſſibilium nulla eſt obligatio.* L. 208. *Non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquã habuit*, ob rationem ad l. 17. §. 1. modo allatam. &c.

67. II. In vitâ degendâ ſpecialiter utilem eſſe Metaphyſicam, breviter uno atque altero axiomate oſtendam. Sit itaque 1. pro Exemplo hoc Axioma Metaphyſicum: *Primum & perfectiſſimum in unoquoque genere eſt menſura reliquorum, cap. 29. th.* 4. Optimè notârunt illud axioma Sapientes & principes Ahaſueri, quando Reginæ Vaſthi ſuperbiam ideo puniendam decrevere, ne omnes fœminæ factum Reginæ imitando, maritos ſuos ſpernant, ſed honorem ut ipſis tribuant. Hinc in ſcripturis toties nobis vita, actiones, mores Chriſti, ut regulæ vitæ noſtræ proponuntur. Hinc cum beatorum Angelorum ergà Deum officia ſint præſtantiſſima, in genere officiorum à creaturis præſtitorum, petimus quotidie: fiat voluntas tua, ut in cælo, ſic & in terra. Et cum fontes S. Scripturæ perfectiſſimè nobis mentem Dei declarent, hinc verſiones omnes ad eos exigere debemus: Conſimiliter in Oeconomicis & Politicis, uſum habet: Ita in omni virtute ad ſummum faſtigium tendendum eſt Patriſamiliâs, quia ipſius virtus exemplar eſſe debet, ad quod ſe omnis

tiorem eſſe, d.c.*th.* 18. nonne monet ne unquã rebus utaris ſublimibus, ad humilia bona conſequenda, ut faciunt, v.gr. qui ſcientiam & bona animi expetunt, propter eminentiam, aliorum oppreſſionem, honorem, opes, aliaque fortunæ bona. Denique dum prima Philoſophia dicit, qui intendit *finem*, *intendit etiam media fini cohærentia*, *ibid.* nonne monet, ut, ſi tibi propoſueris fructus diligentiæ & laboris, diligens quoque & laboris patiens ſis? Et ſi fines expetas honeſtos, uti expetere debes, ut adhibeas media honeſta.

70. Viciſſim dum aſſerit Metaphyſica, *omne bonum ſui diffuſivum & communicativum* eſſe, nonne te excitat ad Eleëmoſynas largiendas, & ut approbes illud Ciceronis é Platone dictum: Non ſolum nobis nati ſumus: Ortus noſtri partem patria vendicat, partem amici.

71. Item dum oſtendit Metaphyſica, *nihil exiſtere, quin producat aliquid, aut productum in ſe recipiat*, ſcias, non eſſe tibi otium ſectandum, ſed ſemper aliquid agendum, aliquid patiendum; Semper operis aliquid facito, inquit Auguſtinus, ut te diabolus inveniat occupatum.

72. *Nullum Effectum excedere cauſæ ſuæ virtutem*, docet Metaphyſica; Hinc nihil ultra vires ſuſcipies, nihil invitâ dices facieſve minervâ. Hinc Concionator ſi ipſe

ipſe frigeat, auditores nihil flammarum concipiunt; nec pios concitat affectus in aliis, niſi prius ipſe piè affectus fuerit.

73. Ex definitione *perfecti*, cognoſcis, quid ad perfecti operis abſolutionem requiratur; Curare nimirum debes, ne quid deſit, ne quid ſuperſit, ne quid addi, vel demi poſſit.

74. *Plura ad eſſe, quam non eſſe requiri*, docet Metaphyſica; Ergo imperii clavum tenens, illa Regum & principum facta imitaberis, quorum hæc ſunt dicta; *Conſervare magis cupio, quam perdere plebem; malo unum ſervare civem, quam mille hoſtes perdere.* Inde quoque feſtinationem novercam prudentiæ ſcies in moralibus; nec non in rebus aliis, ſi quid præclarum & ſingulare futurum ſit, lentè feſtinandum eſſe, memineris.

75. *Iuſtinus*, lib. 8. ſub initio, inquit, Græciæ Civitates in mutuum exitium ſine modo ruentes, omnibus perire, quod ſingulæ amitterent, non niſi oppreſſæ, ſenſerunt: Non ergo memores fuerunt Axiomatis Metaphyſici; *Quod competit omnibus & ſingulis alicujus multitudinis unitatibus, id competit etiam ipſi multitudini. cap. 24. th. 3.*

76. Quod ſi in primariâ Entis diviſione in Infinitum & finitum, homo ſeſe intuitu Creatoris, tanquam in ſpeculo voluerit con-

contemplari atque examinare, vitæ practicæ reperiet fœcundum fontem, habebit τὸ γνῶθι θεὸν, τὸ γνῶθι σεαυτόν; Experieturque, utut in aliis ſcientiis ſuperbiendi occaſionem habere queant homines, aut obrepere iis poſſit oblivio Dei, in Metaphyſicâ tamen ſeriò inſpectâ, fieri id nequâquam poſſe.

7. Denique Metaphyſica dum rerum perfectionem & dignitatem ponderat, atque ſuo pretio æſtimat, multum facit ad deliberationes & conſultationes ritè inſtituendas; docet quid eligere, quid fugere debeas; Ex. gr. in Herculis bivio conſtitutum, ex alterâ parte voluptate, ex alterâ virtute adſtante, utrum eligere conveniat, Metaphyſica te docebit, ſi voluptatis & virtutis generaliſſima attributa fueris contemplatus, quæ in Entis doctrinâ occurrunt; plus enim realitatis in virtute, quam in voluptate comperies. In ducendâ uxore digniora ſemper bona indignioribus præferenda eſſe, Oeconomica prudentia præſcribit; Eadem requiſita uxoris enumerat, certas animi corporiſque dotes, & bona externa. Quæ autem ex his digniora ſint, ex communiſſimis primæ Philoſophiæ principiis erui poteſt. Si ex neceſſitate ſucceſſionis optio detur in Republica, inter principem callidum & obtuſum planè, quæritur uter eligendus? Cum autem Meta-

physic-

phyſica doceat, id præferendum eſſe, quod Enti vicinius, & calliditas vicinior ſit vero Enti (prudentiæ) callidum obtuſo præferes. Plura adderem, ſed me charta de ſermonis fine monet, ubi vix officinam utilitatum practicarum aperueram? Dicta autem copioſe ſatis patefaciunt, quam inſignem uſum præſtet vitæ degendæ & πρά-ξει τῶν δεόντων Metaphyſica. Et cum nec minorem antea in cognitione & θεωρίᾳ τῶν ὄντων oſtenderimus, ubique utilis Prima Philoſophia dignoſcitur.

78. Luculenta adeo cum ſint hæc Metaphyſicæ commoda, meritò ſuſpecta eſſe debent, quæcunque à malevolis adverſus ipſam, ejuſque utilitates in medium adducuntur; & vel ſponte ſuâ corruunt: Quidquid autem roboris habeant, expendendum nunc eſſet, ſed deficit charta, id itaque in ipſis Exercitationibus præſtabitur; Hoc tamen obiter teneri poterit, ipſos Metaphyſicos aliquâ ex parte in culpâ eſſe, quòd vulgò divina hæc Scientia tam malè audiat; Etenim plurima ab ipſis planè neglecta fuerunt; ipſam Metaphyſicam à Logicâ non ſufficienter diſtinxerunt, generalia ſpecialibus accommodare, & ex ſpecialibus generalia excitare, parùm aut non curârunt; Generaliſſimas notiones, ut faciliores ac notiores, quam ut iis accuratius cognoſcendis, & uſui applicandis,

tem-

tempus & opera ſint impendenda, omiſerunt; unde incauti impegere in illa, quæ tamquam notiſſima adſpicere dedignati ſunt. Et denique plurimi Metaphyſicam potius in ſubtilitate quæſtionum, quam utilitate ad alias diſciplinas poſitam exiſtimârunt; quo præjudicio gravati, de uſu ne cogitârunt quidem. His inquam aliiſque vitiis Metaphyſici ſuam ſcientiam ſuſpectam reddiderunt.

Exitus.

ATque ita, per Dei gratiam, abſolvi hocce triplici tractatu conſtans Metaphyſicarum Inſtitutionum Α'υτοσχεδίασμα, iisdem penè verbis ac ſententiis conſcriptum, ac typis excuſſum, quibus, ita ſuggerente memoriâ, illud in privato Collegio Diſcipulis propoſuerã, nihil minus tum quam ejus editionem, aut etiam conſcriptionem cogitans; Pleniores quippe Exercitationes moliebar, ex quibus poſtea inſtitutiones formari poſſent. Verius itaque abortivus quã legitimus fœtus, hac feſtinatione, partim Diſcipulorum continuâ petitione, partim, & quam maximè, ſerio quorum in me eſt non exigua autoritas, hortatu, dicam an imperio, præcipitatâ, excluſus, vel me ipſo Judice, æſtimabitur. Nam

Nam nec ubique eadem ἀκρίβεια, nec eadem brevitas aut prolixitas; Alicubi ab inſtitutionibus deflector ad elenchtica, alicubi hæc prorſus declino; Nec mirum, currente prælo, non minus ac calamo, animo etiam aliis intento, omnia penè prodiere: Solam evidentiam ac claritatem dictorum, quantum potui ubique tentavi, quam an aſſecutus ſim, tuo (Lector) ſtabit judicio. Cæterum quot capita, tot ſententias & hic experiere in quibuſdam, licet ſedulò omnis immutationis, quantum poſſibile fuit, ſpeciem evitare conatus ſim: Novi quippe probé χαλεπὸν εἶναι συνήθειαν μακρὰν ἰάσασθαι. Contentiones ac inanes rixas evitavi, ut quibus non tantum carere poſſumus, ſed & ipſa Veritas, ejuſque utilitas non parum detrimenti capit. In refutando ſententias, abſque ullâ calumniâ in Authores placidum me geſſi: Ita quippe fert animus, incolumem etiam ſervare amicitiam, licet diverſum ſentiamus; Quid enim ad me, quod alius aliter ſtatuat: Fruatur ille ſuo ingenio, & me meo frui, ne deneget. Turpius nihil exiſtimo, quam diverſum ſentientes aut tabificâ invidiâ, aut vatiniano odio proſequi; nonne qui id facit, ſeipſum macerat, ne dicam enecat? Id igitur præſtiti, ut potius ſententias, quas à vero deviare autumabam, in ordinem cogerem, quam ut authores earum traducerem.

rem. Si erravero aut in aliquo lapſus fuero, (quiſquis enim eſt, qui non ſæpius aberrat:) memor ſis humanæ ſortis, & Chriſtianæ charitatis; quarum illâ ab indignatione, hac verò à contumeliâ liberaberis: Sciens ſanè & volens non erravi, unicè hoc exoptans, ut voto & fructui Diſcipulorum meorum ſatisfacerem; Gloriam non exſpectavi, probè gnarus, plura ac præſtantiora ad illam requiri, quam hiſce chartis continentur; quare nec te adſpexiſſent, niſi Bibliopolæ quæſtum ſuum in iis quæſiiſſent. Si, dum fortè per otium haſce pagellas inſpicere libuerit, aliquid quod in uſum tuum convertas, reperieris, eo utere ac fruere: Sin quod diſpliceat, expunge, contemne, refuta, nam & tale quid ſi obſervavero, in poſterioribus cogitationibus, non benigniorem à meipſo exſpectabit ſortem. Interim velim ſis monitus, me Vocabula Conſtitutionis & Diſtinctionis, quibus illud, quod per modum prioris inadæquatè de Ente concipimus, expreſſi, in amplâ ſatis, ac forte non ſatis tritâ ſignificatione uſurpâſſe; Sed deërant alia; Neque hoc ægrè feres, dum in pluribus aliis idem fieri à Metaphyſicis paſſim obſervas; Longe quippe anguſtior ſignificatio in vulgari uſu Dependentiæ, Inhærentiæ, Unionis, &c. quam quæ eſt in uſu Metaphyſicorum. Scilicet vulgari linguâ loquendum,

dum, etiam de iis, quæ ne quidem vulgus cogitat. Exſpectares forſan, longiorem *Meiſneri*, *Scheibleri*, & inprimis *Calovii* inter *Lutheranos*; *Suarezii*, *Conimbricenſium*, aliorumque inter *Ieſuitas* refutationem; Sed elenchtica prolixiora inter didactica tradere non duxi conſultum; & magis quoniam Exercitationes Metaphyſicas, ſi Deo ita viſum, brevi adornabo, quibus inter alia hoc præſtabo, ut *Maccovium*, *Timplerum*, *Keckermannum*, *Burgersdicium*, aliosque Reformatæ Religionis Metaphyſicos ab eorum injuriis vindicem. Hæ ſi tibi gratæ videantur, unâ precare mecum Αρχιφιλόσοφον, ut conatus meos almâ ſua benedictione largiter velit promovere; ad ſui nominis gloriam, ac animarum noſtrarum ſalutem. Vale.

FINIS.

INDEX.

Rerum & Verborum.

A.

A, *Ab quid denotet.* Pag. 228. *Abſens quid?* 371.

Abſolutum unde nomen habeat? 207. *Quomodo accipiatur? ibid. Triplex.* 208. *Abſoluta affectio quid?* 107. *Quotuplex?* 108. *Abſoluta neceſſitas.* 171. *Abſolutus actus quid?* 232. *Soli Deo convenit. ibid. Abſoluta dependentia non datur.* 252. *Abſolutum ſubjectum.* 321.

Academiæ Inſtrumenta Philoſophiæ. 12.

Accidens quid ſignificet? 322. *Quid ſit? ibid. Ejus eſſentia eſt inhærentia. ibid. Axiomata.* 328. *Differentiæ.* 329. *Ipſi convenit exiſtentia.* 217.

Accidentalis perfectio. 189. *Quotuplex illa? ibid. Accidentalis actus quid?* 235. *Forma.* 313.

Actio an ſit cauſalitas? 258. *Quotuplex?* 268. *Obliqua eſt finis cauſalitas.* 293. *omnis propter finem.* 296.

Activa potentia quid & quotuplex? 238. *Efficiens.* 279. *Activus actus quid & quotuplex?* 233. *Activum inſtrumentum.* 285.

T *Actua-*

Actuale infinitum quid? 199. *Actualis eſſentia.* 126. *Vnio.* 159.
Actus unde nomen habeat? 231. *Quid ſignificet? ibid. Quomodo aliter dicatur? ibid. Quid ſit?* 232. *Ab ente realiter non diſtinguitur. ibid. Ejus differentiæ. ibid.* Oppoſitum. 237. *Axiomata.* 240.
Adjunctio quid, & quas ſpecies habeat? 349.
Adjunctum quid ſignificet? 351.
Admiratio cauſa Philoſophiæ. 11.
Æqualia relata. 71.
Æquivoca efficiens. 282.
Æternitas. 228.
Æviternitas. ibid.
Affectio unde nomen habeat? 106. *Quid ſignificet? ibid. Quomodo aliter appelletur?* 107. *Quid ſit? ibid. Quotuplex ſit? ibid. Quomodo tranſſcendentalis?* 109. *Entis an detur? ibid. Quid enti ſuperaddat?* 112. *Differentiæ ejus.* 113. *Reſpectiva quotuplex?* 114.
Aggregatio. 158. 160.
Aliquid quomodo accipiatur? 44.
Alteratio. 181.
Analogum genus. 338. *Analoga ſpecies quid, & quotuplex?* 343. *Analogica convenientia & diſconvenientia.* 373.
Angeli non ſunt actus puri. 232.

Ani-

INDEX.

Animatum inſtrumentum. 286.
Annihilatio. 180.
Antiqvum quid? 369.
Apparens bonum. 245.
Appetitus cognoſcendi cauſa Philoſophiæ. 11.
Appoſitio quid? 349. *Ejus axiomata. ibid. Diviſio. ibid.*
Apprehenſio cauſa Philoſophiæ. 8.
Arbitrarium inſtrumentum. 286. Signum 356. *Arbitraria menſura.* 366.
Ariſtoteles tractavit Theologiam. 26.
Ars quid? 4.
Artificialis materia. 305. *Forma.* 313.
Aſſimilationis finis. 300.
Aſſiſtens forma. 315.
Aſtrologia judiciaria ad Medicinam non requiritur. 18. *Non eſt pars Philoſophiæ.* 21.
Attentio quid? 9.
Augmentatio. 181.
Axiomata v. *in ſingulis terminis.*

B.

B*Onitas quomodo ſumatur?* 184. *Quid ſit?* 191. *Ejus ſubjectum. ibid. Diviſio.* 192. 193. *Oppoſitum.* 193. *Omni Enti convenit.* 191. *Quomodo ſe habeat ad Ens?* 193. *Vid. & Utile.*

C.

Aſualis efficiens. 282
Cauſa unde nomen habeat? 259. *Singularitatis.* 141. *Ejus Acceptiones.* 259. *Definitio.* 260. *Axiomata. ibid. Affectiones.* 261. *Differentiæ.* 265. *Numerus.* 267. *Sine quâ non an ſit diſtinctum genus cauſæ?* 271. *Cauſa efficiens, Vid. Efficiens.*
Cauſalitas quid? 257.
Cauſativa dependentia. 252.
Certitudo quid? 182. *Quibus tribuatur? ibid.*
Circumſtantia quid? 368. *Enti finito propriè convenit. ibid. An ſit cauſa?* 271.
Cognitio genus Philoſophiæ. 3. *Cognitioni Dei inſervit Philoſophia.* 15. *Et ſui ipſius. ibid. Cognoſcendi principia.* 99. 255. *Cognitionis certitudo.* 182. *Prioritas.* 386.
Commune ſubjectum. 312. *Accidens.* 324. *Signum.* 358. *Objectum. ibid.*
Communitas. 143.
Comparatum quid? 211. *Ejus gradus. ibid.*
Completum quid ſignificet? 346. *Quid ſit? ibid. Quomodo dividatur?* 347. *Completa eſſentia.* 127.
Complexio. 158. *Complexa neceſſitas.* 173.

Com-

INDEX.

Compoſitio quomodo accipiatur? 158.
Compoſitum quid? 316.
Conceptus Entis datur. 46. *Analogus.* 47. *Formalis & objectivus. ibid. Conceptuum perſpicuitas.* 183.
Concretio. 158. 161.
Conditio neceſſitatis externa. 172.
Conditionatum quid? 109.
Confuſio. 158. 388.
Conjunctum inſtrumentum. 285.
Connexionis impoſſibilitas. 175. *Contingentia.* 177
Conſequens neceſſitas. 174.
Conſequentiæ neceſſitas. ibid.
Conſervans efficiens. 278.
Conſtantia voluptatis Philoſophicæ. 13.
Conſtitutio Entis principium. 105. *Unde ejus nomen?* 117. *Quid ſit?* 118. *Ejus ſubjectum. ibid. Axiomata.* 120. *Quomodo differat ab ente?* 119. *Et à diſtinctione? ibid.*
Contingens cauſa. 266. *Eſſentia.* 127. *Signum.* 358.
Contingentia quid ſignificet? 176. *Quibus tribuatur? ibid. Quid ſit? ibid. Quibus opponatur. ibid.*
Continuatio. 160. *Continuum totum?* 340.
Contradicentia quæ? 381.

Contradictio qualis oppoſitio? 382.
Contrarietas quid? 383.
Convenientia quid? 372. *Quotuplex?* 373.
Coordinatio ſcientiarum. 41. *Cauſarum.* 263.
Corporum modi. 61. *Eſſentia.* 128.
Correlatum quid? 64.
Corruptio. 18. *Corrumpens efficiens.* 278.
Creatio. 180. *Creaturæ exiſtentia.* 217.
Cura Philoſophiæ cauſa. 9.

D.

DEfinitio Metaphyſicæ. 32. *Vnitatis V. Vnitas; & ſic in cæteris terminis.*
Denominatio. 161. *Externa, Vid. Externa denominatio.*
Dependens Ens quid? 250.
Dependentia unde nomen habeat? 248. *Quomodo accipiatur? ibid. Quid ſit? ibid. Ejus axiomata.* 249. *Diviſiones.* 251. *An ſit cauſalitas?* 257. *Dependentiæ principium.* 255. *Quotuplex?* 256.
Deus Philoſophiæ cauſa. 7. *Ad ipſum cognoſcendum utilis Philoſophia.* 15. *Non eſt ſubjectum Metaphyſicæ.* 38. *Ei convenit modus.* 55. *Relatio.* 66. *Quomodo ſimplex?* 155. *Solus immutabilis.* 180. *An & quomodo in ipſo ſint omnes perfectiones?* 200.

200. *Ei convenit exiſtentia.* 216. *Vbietas.* 225. *Quomodo diſtinguatur à creaturâ?* 392.

Diminutio. 181.

Diſconvenientia quid? 372. *Quotuplex?* 373.

Diſcretum totum quid? 341.

Diſcurſus inſtrumentum Philoſophiæ. 12.

Diſparata quæ? 384.

Diſponens forma. 315.

Diſſimilaris pars. 345.

Diſtinctio Entis principium. 105. 213. *Quomodo accipiatur?* 213. Quid ſit? *ibid. Ejus ſubjectum.* 214. *Axiomata. ibid. Quomodo differat ab Ente? ibid. A conſtitutione? ibid. Affectio ex eâ orta.* 215. *Realis.* 376. *Rationis.* 377.

Duratio quid? 227. *Ejus ſubjectum. ibid. Diviſio. ibid.*

E.

Effectum quid? 286. *Per accidens an detur?* 282.

Efficiens primò inter cauſas tractanda. 272. *Vnde ejus nomen? ibid. Quomodo aliter dicatur?* 273. Quid ſit? *ibid. Ejus cauſalitas. ibid. Axiomata.* 274. *Differentiæ.* 275. *Per accidens an ſit efficiens?* 283.

Elicitus actus quid? 233.
Emanativa efficiens. 279.
Ens Subjectum Metaphyſicæ. 34. *Ejus acceptiones.ibid.* & 44. *Nominaliter capi nequit.* 35. *Creatum non eſt ſubjectum Metaphyſicæ* 38. *Immateriale non eſt ſubjectum Metaphyſicæ. ibid. Nec ſecundum omnes rationes.* 39. *Dari non eſt dubium.* 44. *Ejus ſynonyma. ibid. Inter ipſum & nihil an detur medium?* 45. 49. *An habeat ſubjecti ſcientifici requiſita?* 45. *An quid unum?* 46. *Datur ejus conceptus communis. ibid. Sed analogus.* 47. *Habet principia & affectiones.* 48. *Rationis triplex.* 52. *Vid. Rationis ens. Omni convenit modus.* 55. *In potentiâ. Vid. Potentia. Ejus Principia. Vid. Principium. An habeat affectiones?* 109. *Omni convenit eſſentia, & ſoli.* 123. *Omni & ſoli convenit ſingularitas.* 139. *Et Perfectio.* 186. 188. *Ubietas.* 225. *Quomodo actus & Actu eſſe dicatur?* 230. *Ejus diviſiones.* 392.
Entitas. 121. *Entitativus actus quid?* 234.
Eſſendi principia. 99. *Hæc requirit Metaphyſica.* 100. *Non externa. ibid. Sed interna.* 101.

I N D E X.

Eſſentia non eſt entis principium. 104. *Quæ ex eâ oriantur affectiones?* 114. *Ejus ambiguitas.* 120. *Synonymia.* 121. *Subjectum.* 122. *Habitudo ad ſubjectum.* 124. *Ad exiſtentiam.* 126. *Differentiæ. ibid.* *Actus.* 236. *Prioritas.* 387. *Quid ſit?* 122.
Eſſentialis affectio quæ? 108. *Quotuplex? ibid.* *Mutatio.* 180. *Perfectio.* 189. *Actus quid?* 235. *Dependentia.* 251, *Pars quid & quotuplex?* 344. *Diſtinctio.* 377. *Eſſentiale totum ad integrale pertinet.* 333. *Quid & quotuplex?* 341.
Evidentia quid & quotuplex? 183.
Ex (præpoſitio) varie accipitur. 303.
Exemplar an ſit diſtinctum genus cauſæ. 269.
Exercitatio quid? 9.
Exercitus actus quid? 137.
Exiſtendi potentia. 239.
Exiſtentia non eſt entis principium. 104. *Quæ ex ipſa oriantur affectiones?* 114. *Vnde nomen habeat?* 215. *Quid ſit? ibid.* *Omni enti convenit.* 216. *Quomodo ſe habeat ad ens?* 219. *Ad Eſſentiam?* 220. *Ejus ſubjectum.* 216. *Differentiæ.* 221. *Axiomata.* 223. *Modi.* 224. *Actus.* 234 236. *Prioritas quid, & quotuplex?* 381.

Experientia inſtrumentum Philoſophiæ. 12.
Extenſiva perfectio. 189.
Externa relatio. 73. *Neceſſitas.* 171. *Mutatio.* 181. *Cauſa.* 267. *Convenientia quotuplex?* 375. *Denominatio ut aliter dicatur.* 74. *Quid ea? ibid. Non nuda vox. ibid. Nec ipſa res. ibid. Nec plane nihil.* 75. *Ejus differentiæ. ibid. Fundamentum.* 76. *Quomodo differat ab aliis nonentibus?* 77. *Proprietates ejus. ibid.*

F.

F*Alſitas quomodo accipiatur?* 167. *Quomodo deſcribatur? ibid. Enti opponitur. ibid.*
Figura quid, & quotuplex? 62
Finis ſecundo loco inter cauſas tractari debet. 286. *Vnde nomen habeat?* 287. *Eſt cauſa. ibid. Diſtincta ab efficiente.* 289. *Ejus cauſalitas.* 293. *Definitio.* 294. *Axiomata.* 295. *Differentiæ.* 297. *An ſemper bonus?* 295.
Finita potentia. 239. *Duratio.* 228. *Vbietas.* 226. *Eſſentia.* 128.
Finitas unde nomen habeat? 194. *Quotuplex? ibid Quid ſit?* 195. *Ejus ſubjectum. ibid. Axiomata.* 196.
Forma unde nomen habeat? 306. *Quid ſigni-*

gnificet? ibid. *Quomodo aliter dicatur?* 307. *Ejus definitio.* 308. *Officia.* 311. *Differentiæ.* 313. *An ſit cauſa?* 308. *An ſubſtantia.* 312. *Dicitur eſſentia.* 122.
Formalis unitas. 138. *Diſtinctio.* 379. *Actus.* 234. *Formale totum.* 334. *Bonum.* 245. *Objectum.* 352.
Fortuita efficiens. 282.
Fundamentum denominationis externæ. 76.
Futurum quid? 91. 369. *Quotuplex?* 91.

G.

GEneralitas. 142.
Generatio. 180.
Generica forma. 315. *Convenientia.* 374. *Diſtinctio.* 377.
Genus an ſit totum ſpecierum? 335. *Ejus ſignificationes.* 336. *Proprietates.* ibid. *Diviſiones.* ibid.
Gradus veritatis. 168. *Comparationis.* 211. *Quotuplex ille?* ibid. *Cauſarum.* 264.

H.

HAbitus diviſiones. 3.
Heteronyma relata. 71.
Honeſtum bonum. 246.

I.

IDeæ triplex acceptio. 14.
Identitas quid? 374.
Ignorantia cauſa Philoſophiæ. 11.
Immanens actus. 233. Efficiens. 279.
Immaterialis forma. 315.
Immutabilitas. 170. Quid? 179. Quotuplex? 180. Soli Deo convenit. ibid.
Impellens cauſa quid & quotuplex? 284.
Imperatus actus quid? 233.
Impoſſibilitas quibus tribuatur? 174. Rerum duplex. ibid. Connexionis. 175. Orationis. ibid.
Inæqualia relata. 72.
Inanimatum inſtrumentum. 286.
Incommunicabile. 137. 141.
Incompletum quid & quotuplex? 347.
Incompleta eſſentia. 127.
Incomplexa neceſſitas. 173.
Incorruptibilitas. 170.
Independens quid & quotuplex? 250.
Indeterminatio. 144.
Indifferentia. ibid.
Indigentiæ finis. 30[illegible].
Individuum. 137. Quid? 343. Quibus modis efferatur. 344. Indiuiduale totum. 334. Individuationis principium. 241.
Inductio inſtrumentum Philoſophiæ. 12.

In-

Infinitas unde nomen habeat? 194. *Quotutuplex? ibid.* 198. *Ejus ſubjectum* 200. *Axiomata.* 202. *Infinita eſſentia.* 128. *Vbietas.* 225. *Duratio.* 228. *Potentia.* 238. *Relatio.* 73 *Infiniti modi.* 61.
Influxus τȣ̃ eſſe in alud an cauſalitas? 258.
Informare quid? 311. *Informans forma.* 315. *Informatio.* 161.
Inhærentia. 222. *Quid?* 317. *Ejus axiomata. ibid. Potentialis non datur.* 318. *Eſſentia accidentis.* 222.
Inhæſio. 161.
Inſeparabile accidens. 330.
Inſtrumentum an ſit diſtinctum genus cauſæ? 270. *Quid & Quotuplex?* 285.
Integralis pars quid & quotuplex? 344.
Integrum quid ſignificet? 340. *Quid ſit? ibid. Quomodo dividatur? ibid.*
Intellectus Philoſophiæ cauſa. 8.
Intelligentia quid? 3.
Intelligibile non eſt ſubjectum Metaphyſicæ. 39. *Intelligibilis materia.* 305.
Intenſiva perfectio. 189.
Intermedius finis. 299.
Interna relatio. 73. *Neceſſitas.* 171. *Mutatio.* 180. *Cauſa.* 267. *Convenientia quid, & quotuplex?* 374. *Internus finis.* 297.
Irrationalis potentia. 239.

Iucundum bonum. 246.
Iudicium quid? 8.
Iuriſprudentiæ utilis Philoſophia. 16.

L.

Ibera efficiens quid? 280. *Ejus conditiones.* 281.
Libertas effectum Philoſophiæ. 14. *Ejus partes. ibid. In quo conſiſtat?* 281.
Libri inſtrumenta Philoſophiæ. 12.
Limitatum Subjectum quid? 321.
Localitas quid? 226.
Loci mutatio. 181.
Logica pars Philoſophiæ. 10. 19.
Logica ſimplicitas. 167. *Potentia* 239.

M.

Agiæ naturali utilis Philoſophia. 18.
Malitia quomodo accipiatur? 193. *Quæ utilitati opponatur.* 247.
Malum ſummum an detur? 247. *An poſſit eſſe finis?* 295.
Mathematicæ ſcientiæ quæ? 21.
Materia quid ſignificet? 301. *Prima eſt ens perfectum.* 187. *Ei convenit exiſtentia.* 218 *Quid ſit?* 302. *Eſt cauſa. ibid. Ejus cauſalitas.* 303. *Differentiæ. ibid.*
Materiale bonum. 245. *Objectum.* 352. *Materia-*

terialis unitas. 138. *Forma*. 315.

Mechanicis artibus utilis Philoſophia. 18.

Medicinæ utilis Philoſophia. 17.

Medium eſt bonum. 246. *Quid & quotuplex?* 300. *Inter Ens & nihil datur*. 49. *Quomodo hoc appellandum?* 50. *Quid? ibid. Quomodo ſe ad ens & nihil habeat?* 51. *Ejus differentiæ. ibid.*

Memoria quid? 9. *Eſt cauſa Philoſophiæ. ibid.*

Menſura quid? 61. 360. *Quotuplex?* 61. *Temporis quæ & quotuplex?* 229. *Ejus proprietates.* 360. *Differentiæ*. 365.

Menſuratio quid? 359.

Metaphyſica pars Philoſophiæ. 19. *Ejus nomina*. 25. *Vox ambigua*. 26. *An detur?* 27. *Non poteſt reduci ad Theologiam*. 30. *Quomodo differat à Logicâ? ibid. Ejus definitio*. 32. *Subjectum Ens quâ Ens*. 34. *Proprietates*. 39. *Officia. ibid. Eſt ſcientia accuratiſſima*. 40. *Præſtantiſſima. ibid Sapientia*: 41. *Domina. ibid. Prior reliquis. ibid. Ipſi reliquæ ſcientiæ ſubalternantur. ibid. Non rectè dividitur in generalem & ſpecialem*. 42. *Ejus utilitas*. 389. *Ad cognitionem Entium*. 390. *Oſtendit eſſe Entium. ibid. Et principia*. 391. *Affectiones ibid. Differentias*. 392. *Informat intellectum*. 397. *Oſten-*

Oſtendit ſumma genera. 399. *Et dignitates rerum.* 401. *ConVenentias ac diſconvenientias.* 402. *Definitiones.* 404. *Ordinem inter plura cognoſcenda.* 405. *Scientias inter ſe unit.* 407. *Eis ſubjecta præſcribit.* 408. *Earum principia defendit. ibid. Attributa oſtendit.* 409. *Docet inveſtigare verum ſenſum.* 410. *Bene judicare.* 412. *Confert ad docendum.* 415. *Ad debite operandum.* 419. *Ad deliberandum.* 427.

Metaphyſica ſimplicitas. 154. *Prioritas.* 387.

Minus principalis cauſa. 267. *Efficiens.* 283. *Finis.* 298. *Materia.* 305. *Pars* 345.

Minus principale objectum. 354.

Mixtio. 158.

Modalis eſſentia. 127. *Vnio.* 161. *Diſtinctio.* 379.

Modus Entis quomodo accipiatur? 53. *Quid ſit?* 54. *Ejus genus. ibid. Subjectum.* 55. *Differentiæ.* 59. *Eſt aliquid.* 55. *Convenit omni enti. ibid: Etiam Deo. ibid Etiam aliis modis.* 75. *Etiam privationi.* 58. *Non eſt nihil. ibid. Nec privatio.* 59. *Nec denominatio externa. ibid. Nec relatio. ibid. Quomodo ab ente diſtinguatur?* 59. *Infiniti modi qui?* 61. *Modi cauſarum.* 264.

Momentanea exiſtentia. 221. *Duratio.* 227.

Multitudo. 134.
Muſica non eſt pars Philoſophiæ. 22.
Mutatio quotuplex ? 180.
Mutua relatio. 69.

N.

N*Atura* Philoſophiæ *cauſa.* 8. *Dicitur eſſentia.* 124. *Naturæ neceſſitas.* 173
Naturalis privatio. 96. *Actus quid & quotuplex ?* 234. *Potentia quid?* 240. *Dependentia.* 251. *Materia.* 305. *Forma.* 313. *Menſura.* 366 *Naturale ſignum.* 356.
Neceſſaria eſſentia. 126. *Ea duplex.* 127. *Cauſa.* 266. *Efficiens.* 280. *Neceſſarium ſignum.* 358. *Inſtrumentum.* 286.
Neceſſitas unde nomen habeat ? 169. *Ejus ſignificationes. ibid. Synonyma.* 170. *Subjectum.* 171. *Differentiæ. ibid. Axiomata.* 178. *Quid ſit ?* 171.
Notio unde nomen habeat ? 84. *Quomodo aliter dicatur ? ibid. Secunda an ſit ?* 85. *Quid ? ibid. Quid non ?* 86. *Ejus cauſæ.* 87. *Modus.* 88. *Differentia. ibid.*
Novum quid ? 369.
Nullibi. 227.
Numerus. 61.
Numerica unitas. 137. *Forma.* 315. *Convenientia.* 374. *Diſtinctio.* 378.

O.

O.

OBedientialis potentia. 240.
Objectiva potentia. 239.
Objectum quid, & quotuplex? 352.
Obliqua actio eſt finis cauſalitas. 293.
ObſerVantia qualis habitus? 3.
Obſervatio cauſa Philoſophiæ. 11.
Occupatio quid, & quotuplex? 352.
Opinio quid? 3.
Oppoſitio quid? 381. Eius proprietates. 381. Genera quinque. ibid.
Oppoſitum unitatis. 134.
Opus & operis fruitio. 299.
Orationis impoſſibilitas. 175. Contingentia. 177. Certitudo. 182.
Ordo quid præſtet Philoſophiæ? 10. Quis inter partes Philoſophiæ? 23. Affectio cauſarum. 261. Qaid ſignificet? 384 Qaid ſit? 385. Ejus ſubjectum. ibid. Differentiæ. 386. Oppoſitum. 388. Axiomata. ibid.
Orignationis principium quotuplex? 255.
Orta relatio. 73. Menſura. 366.

P.

PArs quas ſignificationes habeat? 242. Et convenit exiſtentia. 218. Ejus differentiæ. 342.

Partialis forma. 316. *Finis.* 299. *Efficiens.* 276. *Cauſa.* 265. *Partiale ſubjectum.* 351.
Particularis menſura. 367.
Paſſiva potentia quid & quotuplex? 239. *Paſſivum inſtrumentum.* 285. *Paſſivus actus quid, & quotuplex?* 234.
Per (præpoſitio) varie ſumitur. 310.
Perfectio quid? 186. *Ejus ſubjectum. ibid. Habitudo ad ſubjectum.* 188. *Oppoſitum. ibid. Diviſiones.* 189. *Axiomata. ibid. Privatione negata quæ & quotuplex.* 95. *Perfectiones omnes an & quomodo in Deo ſunt?* 200.
Perfectionale totum. 334.
Perfectum quot modis ſumatur. 185.
Permanens exiſtentia. 221. *Soli Deo convenit. ibid. Materia.* 305.
Perpetuitas. 170.
Perſpicuitas quotuplex? 183.
Philoſophiæ nomen. 2. *Quid ea ſit?* 3. *Ejus ſubjectum tractationis.* 5. *Inhæſionis.* 6. *Cauſa. ibid. Principalis.* 7. *Minus principalis.* 10. *Fines varii.* 12. *Utilitas.* 15. *Diviſio.* 19.
Phyſica ſimplicitas. 157. *Potentia* 240. *Prioritas.* 387.
Politica privatio. 97.
Poſſibilitas quid? 177.
Potentia unde nomen habeat? 237. *Quas ſigni-*

gni-

gnificationes habeat? ibid. Ejus definitio. 238. *Diviſio. ibid. Axiomata.* 240. *Ens in potentiâ ut aliter dicatur?* 89. *Materialiter nihil. ibid. Ejus formalitas. ibid. Quomodo futurum?* 91. *An pertineat ad ſubjectum Metaphyſicæ? ibid.*
Potentialis eſſentia. 126. *Vnio.* 160. *Potentiale infinitum quid?* 198.
Poteſtativum totum. 334.
Præceptores inſtrumenta Philoſophiæ. 12.
Præcognita ſcientiæ quæ? 25.
Prædicabile totum quid? 333. *Quotuplex?* 335.
Prædicabilitas. 142.
Prædicamentalis relatio. 70.
Præſens ratione temporis quid? 369. *Ratione ubi quid?* 370.
Præteritum quid? 369.
Præternaturalis actus. 235. *Potentia.* 240
Prima relatio. 73. *Cauſa.* 265. *Efficiens.* 275. *Materia.* 303. *Forma.* 314. *Menſura.* 366. *Primus actus quid?* 235.
Principalis cauſa. 266. *Efficiens.* 283. *Finis.* 298. *Materia.* 305. *Forma.* 315. *Pars* 345. *Principale objectum.* 354.
Principium unde dicatur? 253. *Quid? ibid.* 99. *Ejus axiomata.* 254. *Differentiæ.* 255. 99. *Individuationis.* 141. *Principia ſubjecti debent eſſe præcognita.* 43. 98. *Exter-*

terna non conveniunt Enti. 100. *Sed interna.* 101. *Quæ illa.* 105.
Principiatum quid propriè? 251.
Prioritas quotuplex? 387.
Privatio ambigue dicitur. 92. *Ei convenit modus.* 58. *An ſit?* 93. *Quid?* 94. *Quid non?* 95. *Ejus diviſio.* 96.
Privative oppoſita quæ? 383.
Procreans *efficiens.* 278.
Proprium *ſubjectum.* 222. *Accidens.* 229. *Non poteſt communicari. ibid. Objectum.* 358.
Proxima *cauſa.* 265. *Efficiens.* 277. *Materia.* 304. *Forma.* 314. *Species.* 343. *Proximum genus.* 336. *Objectum.* 354. *Signum.* 357. Proximus *finis.* 299.
Prudentia quid? 4. *Ad Philoſophiam pertinet.* 22.
Pura *eſſentia.* 127. *Purus actus.* 232.
Puritas *voluptatis* Philoſophicæ. 13.

Q

QUâ *vel quatenus Ens an debent addi ſubjecto Metaphyſicæ?* 35. *Quid ſignificet?* 36.
Quæſtio propter quid an ſit cauſalitas? 275.
Quantitativum totum quid & quotuplex? 340.

Quan-

Quantitativa pars, quid & quotuplex? 344.
Quidditas. 121.
Quies quid? 62.

R.

R*Ationis convenientia.* 373. *Diſconvenentia* 378 *Relatio.* 70. *Hujus conditiones. ibid. Ens rationis unde dictum?* 78 *Quomodo accipiatur? ibid. Ejus tractatio duplex.* 79. *An ſit? ibid. Quid?* 80. *Quomodo diſtinguatur ab aliis non-entibus? ibid. Ejus requiſita.* 82. *Diviſio.* 83.
Rationalis unio. 165. *Potentia.* 239.
Realis relatio. 69. 73. *Hujus conditiones.* 69. *Vnio realis.* 159. *Convenientia quid & quotuplex?* 373.
Receptionis actus quid & quotuplex? 234.
Recipiendi potentia quid, & quotuplex? 240.
Relata quæ? 385.
Relatio unde nomen? 63. *Quomodo accipienda? ibid. Ejus ſynonyma. ibid. Definitio.* 64. *Requiſita. ibid. Fundamentum.* 67. *Differentiæ.* 69. *Omnis inter duo.* 64. *Non eſt nihil.* 68. *Nec Ens. ibid. Nec modus entis.* 69; *Realis. ibid. Rationis.* 70.
Relatum quid dicatur? 62. *Synonymum & Heteronymum.* 71. *Æquale & inæquale. ibid.*

ibid. Relata neceſſitas. 171.
Remota forma. 314 Materia. 304. Cauſa. 265. Efficiens 277. Species. 343. Remotum Genus. 336. Objectum. 354. Signum. 357. Remotus finis. 299.
Res quomodo capiatur? 45. Divinæ & humanæ quæ? 5. Rerum impoſſibilitas 174. Certitudo. 182. Perſpicuitas. 183. Rei principium. 255. Prioritas. 287.
Reſpectivum quid? 211. Reſpectiva affectio quæ? 109. Quotuplex? 114. Reſpectivus actus quid? 232. Quotuplex? 233.
Reſpectus duplex. 210.

S.

Scholæ inſtrumenta Philoſophiæ. 12.
Scholaſtici farraginem ſcientiarum loco Metaphyſicæ tradunt. 26.
Scientia latè dicta. 3. Ejus ſpecies. 4. Strictè dicta. ibid. Philoſophica quotuplex? 20. Subjectum ejus præcognitum eſſe debet. 43.
Secunda materia. 304. Forma. 314. & Cauſa. 265. Efficiens. 275. Notio. Vid. Notio ſecunda. Secundus actus quid? 235.
Secundaria convenientia. 375.
Senſibilis materia. 305.
Senſus inſtrumentum Philoſophiæ. 11.
Separabile accidens. 330.
Separatum inſtrumentum. 285.

Significatio quid? 355. *Ejus axiomata. ibid.*

Signum quas habeat ſignificationes? 356. *Ejus definitio. ibid. Differentiæ. ibid.*

Similaris pars. 345.

Simplex convenientia. 373.

Simplicitas quid? 154. *Ejus nomen.* 152. *Ambiguitas.* 153. *Quomodo aliter dicatur? ibid. Quotuplex?* 154.

Singularitas. 137. *Quid?* 138. *Ejus ambiguitas.* 137. *Synonymia. ibid. Diſtinctio in materialem & formalem.* 138. *Subjectum.* 139. *Ordo ad ſubjectum.* 140. *Effectum.* 141. *Cauſa. ibid.*

Situs quid? 62. *Quæ ejus ſpecies? ibid.*

Species quid ſignificet? 338. *Quid?* 339. *Prædicabilis ut dividenda? ibid. An poſſit ſervari in uno individuo? ibid. Subjicibilis quid & quotuplex?* 342. *Specialiſſima.* 343.

Specifica forma. 315. *Convenientia.* 374. *Diſtinctio.* 377.

Spirituum modi. 61. *Eſſentia.* 1:8.

Status Entis. 179.

Subalterna ſpecies. 343. *Subalternum genus.* 337.

Subalternatio ſcientiarum. 42. *Quibus modis capiatur? ibid.*

Subjectum quas ſignificationes habeat? 319.

An

INDEX.

An ſit cauſa. 271. *Modi.* 55. *Relationis.* 64. 66. *Vnitatis.* 133. *Inhæſionis quid?* 319. *Ejus axiomata.* 320. *Differentiæ.* 321. *Adhæſionis quid & quotuplex?* 350.
Subjectum Metaphyſicæ. Vid. Metaphyſica.
Scientiæ præcognitum, & quomodo? 43.
Subjectiva dependentia. 252. *Pars quid, & quotuplex?* 342.
Subjicibilis ſpecies quid, & quotuplex? 342
Subordinatio ſcientiarum. 41. *Cauſarum, quid & quotuplex?* 261. *Ejus axiomata.* 262.
Subſiſtentia. 222.
Subſtantia non eſt ſubjectum Metaphyſicæ. 38 *Subſtantiæ perfectio.* 189.
Subſtantialis forma. 313
Succeſsio. 181.
Succeſſiva exiſtentia. 221. *Duratio.* 227.
Sufficientia voluptatis Philoſophicæ. 13.
Synonyma relata. 71.

T.

TEmpus pro quo accipiatur? 229. *Ejus mutatio.* 181.
Terminus relationis. 64.
Theologiæ utilis Philoſophia. 16.
Totale ſubjectum. 351. *Totalis cauſa.* 265. *Efficiens.* 276. *Finis.* 299. *Materia.* 305 *Forma.* 316.

V. *To-*

Totum quomodo capiatur? 331. *Quid?* 232. *Quomodo dividendum?* 333. *Quomodo completum dicatur?* 345.
Tranſiens actus. 233. *Efficiens.* 279. *Materia.* 305.
Tranſſcendentalis relatio. 70.

V.

VBietas unde nomen habeat? 224. *Quid? ibid. Ejus ſubjectum.* 225. *Diviſiones. ibid. Oppoſitum.* 226. *Omni Enti convenit.* 225.
Vbiquitas quid. 226. *Solius Dei eſt. ibid.*
Veritas quid? 164. *Quomodo æſtimetur? ibid. Ejus nomen.* 162. *Ratio formalis.* 164. *Subjectum.* 166. *Oppoſitum* 167. *Modi.* 148.
Verum bonum quid? 245.
Violentiæ neceſſitas. 174.
Vltimus finis. 299.
Vnio quomodo capiatur? 151. *Quomodo aliter dicatur. ibid. Quid? ibid.* & 331. *Quomodo dividenda?* 159.
Vnitas quare ante alias affectiones tradenda? 131. *Vox ambigua? ibid. Ejus definitio.* 132. *Subjectum.* 133. *Habitudo ad ens. ibid. Oppoſitum.* 134. *Differentiæ.* 136. *Quid & quid non enti ſuperaddat?* 133.
Vniverſalia non ſunt notiones ſecundæ. 84.
Nec

INDEX.

Nec ideæ. 145. *Nec res veræ.* 146. *Nec tantum nomina communia.* 150. *Vniverſale totum.* 335. *Vniverſalis menſura.* 367.
Vniverſalitas quid ſignificet? 142. *Quomodo aliter dicatur?* ibid. *Quid?* 243. *Ejus conditiones.* ibid. *Subjectum.* 145. *Ordo ad ſubjectum.* ibid. *Efficiens.* 150. *Finis* 151. *Differentiæ.* ibid.
Vniveca efficiens. 282. *Species.* 343. *Menſura.* 365. *Vnivocum genus.* 338.
Voluntas Philoſophiæ cauſa. 8.
Voluptas Philoſophica quid? 12. *Ejus comites.* 13. *Partes.* ibid.
Vtilitas. 115. 243. *Quid?* 243. *Ejus ſubjectum.* 244. *Objectum.* ibid. *Differentiæ.* 245. *Axiomata.* 246. *Non eſt interna affectio.* 245.
Vtilitas Philoſophiæ. 15.
Metaphyſicæ. 289. & ſeqq.

FINIS.

V 2

A01 1454316

B462

115